



John Adams
Library.




IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.



SHLF N^O.
ADAMS
80.2
V.3







~~20.10.1985~~ 80.2
v.3

CHRISTIANI WOLFII,

POTENTISSIMI SUECORUM REGIS, HASSIÆ LANDGRAVII
CONSILIARI REGIMINIS, MATHEMATUM AC PHILOSOPHIÆ
PROFESSORIS PRIMARII IN ACADEMIA MARBURGENSI,
PROFESSORIS PETROPOLITANI HONORARII, ACADEMIÆ
REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ, SOCIETATUMQUE
REGIARUM BRITANNICÆ ATQUE BORUSSICÆ MEMBRI


ELEMENTA
MATHESEOS
UNIVERSÆ.

TOMUS TERTIUS,

Qui OPTICAM, PERSPECTIVAM, CATOPTRICAM,
DIOPTRICAM, SPHÆRICA & TRIGONOMETRIAM
SPHÆRICAM, atque ASTRONOMIAM tam SPHÆ-
RICAM, quam THEORICAM complectitur.

EDITIO NOVA,


PRIORI MULTO AUCTION ET CORRECTION.



GENEVÆ,

Apud MARCUM-MICHALEM BOUSQUET & SÖCIOS.

M D C C C X X V.



P R Æ F A T I O.

UE M nobis in conscribendis hisce Matheskos Elementis proposuimus finem, eundem ut in hoc TERTIO quoque eorundem TOMO consequeremur, operam dedimus. Quamobrem non minus in singulis Opticæ partibus, quam in Trigonometriâ Sphæricâ & Astronomiâ, ea adjecimus, quæ adhuc jure desiderari posse videbantur, ut satis instructus accedas ad alios quoscunque Autores legendos, vel etiam ad Thesauros Scientiæ propriis inventis ditandos, si quidem id ferant vires, si ferat otium, si volupe fuerit. Hinc utique factum, ut in molem majorem excreverit hic Tomus ceteris, & quartâ sui propemodum parte superet partem Tomi Secundi priorem Editionis primæ, quæ in eodem continetur. Prolixum nimis foret indicare singula, quæ accessere: sufficerit itaque speciminis loco quedam commemorasse. In Opticâ Theoriam colorum NEWTONIANAM exhibuimus auctiorem, ne desiderentur ea, quæ extra dubi-

tationem eandem ponunt, & Principia de Visione magnitudinis ac Immissione Luminis uberiora. Ita, præter alia, Catoptricæ adjecimus Caput integrum quintum de Catoptricâ Analyticâ, & Dioptricæ novum de Perspicillis & Dioptricâ Analyticâ; tum etiam in hac Telescopium Catadioptricum NEWTONIANUM, unà cum Mechanico HADLEII apparatu ube-rius explicavimus, propterea quod ejusdem usus in Observatoriis Astronomicis hodie invaleſcat. In Trigonometriâ Sphæricâ adjecimus varia ad solutionem Problematis de Angulis ex tribus lateribus datis inveniendis. Maxima vero incrementa accessere Astronomiæ, præſertim Parti ejusdem Theoricæ, tum quod interea temporis, quo primæ Editioni hæc altera succeſſit, varia notatu digna fuere detecta, tum quod olim in iis acquieveramus, quæ KEPLERUS ipſe de suâ Planetarum Theoriâ tradiderat, omissis iis, quæ ad eam perficiendam attulere recentiores. Hisce incrementis accenseri debent, quæ de Atmosphærâ Solari, de maculis Veneris, de tentatâ Observatio-ne Parallaxeos Fixarum annuâ & detectis earundem aberrationibus annuis, de observando Solsticio ope Gnomonis, de Anomaliâ coæquatâ ex mediâ directè inveniendâ, de novâ formâ Tabularum Astronomicarum, de Excentricitate Orbitæ Ellipticæ Telluris & Planetarum primiorum, unà cum positione Lineæ Apsidum inveniendâ, de motu vertiginis Lunæ, aliquique tradun-tur. Cum in Editione primâ Eclipsium Solarium calculum per Parallaxes, utpote maxime uisitatum, tantummodò expo-suissemus, hodie vero invaleſcat modus à KEPLERO excogita-tus, considerandi Eclipses Solares tanquam Eclipses Terræ à Selenitis observandas, igitur integro Capite elegans hoc inven-tum explicare voluiimus: Nulli igitur dubitamus fore, ut hisce

hisce subsidiis instructus Opera quæcunque Optica & Astronomica citra ullam difficultatem perlustret, ac si qua occurrant à nobis non tradita, ea cum nostris, adeoque primis Matheseos Principiis connectat. Hunc enim fructum sperare debet, qui nostra Matheseos Elementa familiaria experitur, ut, quæcunque jam reperta sunt, vel in posterum reperientur, ea singula citra ullum Circuli metum, servato ubique rigore demonstrandi, cum primis Matheseos notionibus connectat: id quod num fieri possit, si cui defuerit Systema, in quo omnium Disciplinarum veritates palmariæ inter se connectuntur, illorum esto judicium, qui Methodi vires intimius perspexere. Jam porro nemo non novit, quæcunque in Opticis atque Astronomiâ traduntur, ad naturæ cognitionem Mathematicam ejusque usum in vita humana pertinere. Qui vero Scientiam proprius adspiciunt, ultro fatebuntur, cognitionis Mathematicæ primam ideam ex Opticis atque Astronomiâ derivari, per Aërometriam & Hydrostaticam ampliandam, per Mechanicam vero ulterius perficiendam. Quamobrem qui in Scientia rerum naturalium eo usque progredi voluerit, ut cognitionem Mathematicam eidem jungat, & hujus auxilio subinde utatur in causarum investigatione, ei suademus, ut ad modum quo Geometria & Arithmetica, tum etiam Algebra, in Opticis Disciplinis ad Observationes communes, in Astronomiâ, tam ad communes, quam Astronomicas applicatur majorem attentionem afferat, quam quâ utuntur illi, quibus tantummodo animus est res solas cognoscendi. Ita enim futurum confidimus, ne cognitionem naturæ Mathematicam promoturus in quâcunque Hypothesi, quam tanquam possibilem sumit, Analysis Mathematicam exerceat, parùm sollicitus num ea sit Hypothesis

thesis Naturæ, quam supponit, an vero ab eâ aliena, & utrum aliena, citra erroris assignabilis metum, verè substitui possit, nec-ne. Immo non minùs futurum pro explorato habeo atque comperto, ne Scientia Physica cum Naturæ cognitione Mathematicâ confundatur & illius cultura prorsus negligatur, cum tamen longe plurimi sit usus, quos illa promittit, ab hâc vero non sine temeritate expectaremus. In parte Theoricâ Astronomiæ, si Methodum species, singulare quid occurrit. Hæc enim ex parte conjecturalis est, atque liquido monstrat, quomodo conjecturæ levissimæ initio satisfacere debeant, ne desit meditandi materia ulterius progressuris; mox collatis viribus continuo emendandæ, expoliendæ ac perficiendæ, donec tandem ad liquidam perveniantur veritatem. Docuimus in Horis Subsecivis (*a*) quomodo Astronomum imitari debeat Medicus: eodem vero modo eundem etiam imitari tenetur Physicus. Quicunque igitur eum imitari decreverit, ei lectio Elementorum Astronomiæ, præmissis ceteris Disciplinis, unde Principia mutuatur, imitamentum reddet facile: immò proderit, ut quæ de hoc imitamento præcepimus, plene intelligentur, & vires imitandi conferet, non adeò facile alio modo acquirendas. Ceterùm Scientia Optica plurima habet, quæ oblectant, ac ideo Technasmata quoque varia hinc inde adjecimus, ut constaret apertius naturæ cognitionem Mathematicam & professe, & delectare. Ipsa vero Siderum Scientia per se animum sciendi cupidum voluptate perfundit, quam geminari experieris, ubi ad modum, quo ex Observationibus cruuntur Dogmata, animum adverteris. Absit vero ut tibi persuadeas, hanc voluptatem solam ab Opticæ atque Astronomiæ tractatione sperrandam esse. Modo enim ostendimus utilitates longe majores

ex eadem propullulare. Evidem Geographia, Chronologia & Gnomonica adeo firmo nexu cum Astronomia cohærent, ut non defuerint, qui istarum Disciplinarum palmarias propositiones ipsi Astronomiæ inseruerint: non tamen fieri potuit, ut has ipsas Disciplinas cum Astronomia eidem Tomo insereremus, propterea quod Tomus Tertius jam in molem majorem ceteris excrevit, Tomo autem Quarto non suffecisset Architectura Civilis & Militaris cum Pyrotechniâ. Ast molis hic habendam esse rationem haud facile quisquam inficiabitur. Cum Mathesi edendæ unicè vacare haud quaquam liceat, sed danda quoque opera sit, ne Operum Philosophorum Editio nimis differatur, ideo Tomus hic Tertius tardius prodit, quam alias proditurus fuerat. In id tamen incumbemus, quantum quidem per nos stabit, ut Quartus horum Elementorum Tomus minori temporis intervallo Tertium excipiat, quam is Secundum secutus. Dabam MARBURGI CATTORUM, die 13 Aprilis 1735.


CATALOGUS LIBRORUM MATHEMATICORUM,

Qui venales prostant

Apud MARCUM- MICHAELEM BOUSQUET & SOCIOS.

Bernoulli (Jacob) Ars Conjectandi Opus Posthumum. *siccedit Tractatus de Seriebus Infinitis, & Epistola Gallicè scripta de Ludo Pilæ Reticularis, 4. Basileæ 1713.*
de Bononiensi Scientiarum & Artium Instituto, atque Academia Commentarii, 4. Bononie 1731. cum figur.
Blanchini de Kalendario & Cyclo Cæsariorum, ac de Paschali Canone S. Hippoliti Martyris Dissert. fol. cum figur. Roma 1703.
— Hesperi & Phosphori nova Phœnomena, sive Observationes circa Planetam Veneris &c. fol. cum fig. Romæ 1728.
Bombardier (le) François, ou nouvelle Méthode de jeter les Bombes avec précision, par Mr. Belidor. 4. Amsterd. 1734. avec figur.
Clavii Opera Omnia Mathematica, fol. 5 vol. Colon. Calculs d'Usage, pour trouver promptement les poids & mesures suivant leur prix, depuis un denier jusqu'à mille livres, & pour trouver les Taxations en dehors & en dedans, depuis cent mille livres jusqu'à une livre, par Masson, 8. Paris 1709.
Commentaires sur l'Analyse des Infinitiment petits, par Mr. De Crouzas, 4. Paris 1721. avec figur.
— sur la Géometrie de Des Cartes, par le P. Rabuel Jésuite, 4. figur. Lyon 1730.
Cours de Physique, accompagné de plusieurs Pièces, concernant la Physique, qui ont déjà paru, & d'un Extrait Critique des Lettres de Mr. Lewenhoek, par sen Mr. Hartsoeker, 4. La Haye 1730.
Description d'une Horloge d'une nouvelle invention, pour la juste mesure du temps sur Mer, &c. par Sully, 4. Paris 1726. avec figur.
Ecole (l') de Mars, ou Mémoires instructifs sur toutes les parties qui composent le Corps Militaire en France, par Mr. De Guignard, 4. 2. vol. avec figur. Paris 1725.
— des Arpenteurs, avec un Abrégé du Nivellement, par Mr. Dela Hire, 12. fig. Nouv. Edit. 1728.
Elémens (Nouveaux) de Mathematiques, par Prestet, 4. 2. vol. Paris 1689. avec figur.
— de Mathematiques, par le P. B. Lami, 12.
— de Geometrie, par le même, 12.
Essais d'une Nouvelle Théorie de la Manœuvre des vaisseaux, par Mr. Bernoulli, 8. Bâle 1724. figur.
Fortification (Nouvelle) Françoise, par Mr. Rozard, 4. avec figur. Nurimb. 1731.
— Graveland Physica Newtoniana, 4. Lugd. Bat. cum fig.
— Philosophia Newtonianæ Institutiones, in usus Academicos, 8. Amstel. 1728. cum fig.
Gregorii (Davidis) Astronomia, Physicæ & Geometriæ Elementa, Secunda Editio, cum fig. æneis 4. 2. vol. Geneva 1726.
Geometrie des Lignes & des surfaces Rectilignes & Circulaires, par Mr. De Crouzas, 12. 2. vol. Amsterd. 1718. avec figur.

Hagen (Gottlieb. Frid) de Methodo Mathematica, cum Præfatione Christ. Wolfii, 8. Norimb. 1734.
Hermannii Phoronoma, sive de Viribus & Motibus Corporum solidorum & fluidorum, 4. Amst. 1726. cum fig.
Hire (de la) Tabulæ Astronomicæ, 4. Paris 1727. cum fig.
Hugenii Opera varia, 4. 2. vol. cum fig. 1724. Lugd. Batav.
— Opera Reliqua & Opera Posthuma, 4. 2. vol. Amstel. 1728. cum fig.
Histoire & Mémoires de l'Academie Royale des Inscriptions & des Belles Lettres, depuis son Etablissement, 12. 12. vol. Hol. avec fig.
— de l'Academie Royale des Sciences complet jusqu'à 1731. inclus. 12. Amsterd. avec fig. 42. vol.
L'Hopital (le Marquis de) Traité Analytique des Sections Coniques &c. 4. Paris 1720. avec figur.
— Analyse des Infinitiment Petits, 4. Paris 1716. avec figur.
Keil Introduction ad veram Physicam & veram Astronomiam. 4. cum fig. Lugd. Batav. 1725.
Méchanique, ou Statique de Mr. Varignon, 4. 2. vol. Paris 1725. avec figur.
Mémoires pour l'Attaque & la Défense d'une Place, par Mr. Goulon, Nouvelle Edition, 8. Paris 1730. avec figur.
Mémoires de l'Academie Royale des Sciences, contenant les Ouvrages adoptés par cette Academie avant son renouvellement en 1699. 4. 5 vol. La Haye 1731. avec figur.
Newton Arithmetica Universalis, 4. Lugd. Bat. 1732.
Nieuwentit Analysis Infinitorum, 8. Amst. cum fig.
Ottia Mathematica, 2. cum fig. Satisb. 1719.
Ouvrages de Mathematique du P. Lamy, 12. 3. vol. Amsterd. 1734. avec figur.
Ozanam Cours de Mathematique, 8. 5. vol. Amst. 1697. avec fig.
Oeuvres diverses de Physique & de Méchanique de Mrs. C. & P. Peirault, 4. 2. vol. Leyde, avec fig.
Schotti Cursus Mathematicus, fol. cum fig.
Saccherii Conatus Geometricus, &c. 4. Mediolani 1733. cum figur.
Traité d'Optique de Newton, traduit de l'Anglois, par Colte, 12. 2. vol. fig. Amsterd. 1720.
— de la Perspective Françoise, par Courtonne, fol. Paris avec fig.
— de Geometrie, par Seb. Le Clerc, 8. fig. Paris.
— du Mouvement & de la Mesure des Eaux coulantes & jaillissantes &c. 4. Paris 1725. avec fig.
— Méthodique & abrégé de toutes les Mathematiques, par De Neuveglise, 8. 2. vol. figur. Lyon.
— du Nivellement, par Picard, 12. Paris 1728.
— d'Algèbre de Mr. De Crouzas, 8. Paris 1726.
Wurzelbau Uranies Noricæ Basis Astronomica, &c. fol. Norimb. 1719.



ELEMENTA OPTICÆ.

P R A E F A T I O .




ON temere fit Visio , sed certis Legibus adstringitur , quas violare Natura non permittit. Evidem ideò haud raro contingit , ut quædam videantur , quod non sunt ; qui tamen secundum apparentiam per præcipitiantiam de rebus judicans in errorem incidit , frustrà fallacias Sensuum incusat . Homini enim Ratio data est , cuius lumine Leges Visionis absconditæ deteguntur. Ratione qui utuntur , secundum has Leges de rebus pronunciant , nec tales judicant , quales à Sensu Menti

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

A

ex-

exhibentur. Utinam eas considerarent, qui ad Res naturales scrutandas animum appellunt! Ita enim uno ictu ex Physicâ profligarentur horrida Imaginationis monstra & commenta Philosophorum. Operæ itaque pretium fecere Mathematici, immutabilium Naturæ Legum Interpretes genuini, quod in Leges Visionis solitâ industriâ inquisiverint. Quare cum exemplum in Opticâ explicentur, ejus studio omnes gnaviter incumbere debent, quibus cognitio Rerum naturalium curæ cordique existit. Sunt verò etiam multa in Physicâ argumenta; quæ sine Opticæ principiis accuratè intelligi nequeunt. Quis enim de Lumine, de Coloribus, de Diaphano, Opaco, Lucido, de Meteoris Emphaticis, Iride, Coronis, Parheliis, Paraselenis, immo de ipsâ Visionis naturâ certi quidpiam statuet, ubi Opticæ fuerit ignarus? Quis Siderum naturam? quis Systematis Mundani structuram? quis Planetarum motus? quis Luminarium Eclipses non invitâ Minervâ rimabitur, nisi Optices cognitione imbutus? Ea igitur in Astronomiâ utramque paginam facit, nec ad Scientiam istam accedere quisquam debet, nisi Opticâ salutatâ. Peperit etiam Optica Perspectivam, Artis Pictoriæ complementum, immò nullam habet hæc Ars Regulam, cuius ratio in Opticâ non contineatur. Unum verò est, quod moneam: quia veritatem puram Mathesis complectitur, opinionibus maculatam aspernatur, à Philosophorum Hypothesibus abstinui, quas vulgo in Opticam male intrudunt, iis nempe solis contentus, quæ aut Experiendiâ certâ, aut Demonstratione firmâ nituntur.



ELEMENTA OPTICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Fundamentis Opticæ.

DEFINITIO I.

1. **O**PTICA est Scientia Visionis directæ.

SCHOLION.

2. *Interdum latius sumitur pro Scientia Visibilium, quatenus visibilia sunt; ita ut Catorpticam atque Dioptricam una comprehendant.*

DEFINITIO II.

3. *Viso directa dicitur, quam efficit Radius directus.*

DEFINITIO III.

4. Per *Lumen vel Lucem* intelligo, id quod corpora circumjecta visibilia efficit.

SCHOLION.

5. *Tum enim dicimus Lumen esse præsens, quando corpora circumjecta videre possumus.*

DEFINITIO IV.

6. *Radius est Lumen à puncto radiante per medium non resistens protensum.*

DEFINITIO V.

7. *Radius directus est, cuius omnes*

partes à puncto radiante usque ad Oculum in directum jacent.

DEFINITIO VI.

8. *Punctum radians est quodlibet visibile punctum, unde radii emanant.*

DEFINITIO VII.

9. *Corpus Luminosum vel Lucidum est id, quod sui Luminis diffusivum, seu quod suo Lumine radiat.*

DEFINITIO VIII.

10. *Corpus Illuminatum est, quod alieni Luminis diffusivum, seu quod Lumine aliunde accepto radiat.*

DEFINITIO IX.

11. *Corpus Diaphanum, Pellucidum seu Perspicuum est, quod radios transmittit.*

DEFINITIO X.

12. *Corpus Opacum est, quod radios intercipit, seu transitum radiis negat.*

DEFINITIO XI.

13. *Visibile radiare dicitur, quando Lumen diffundit.*

COROLLARIUM.

14. Nullum ergo corpus radiat, nisi Luminosum aut Illuminatum. Aut enim proprium Lumen diffundit, aut alienum. In illo casu est Luminosum (§. 9); in hoc Illuminatum (§. 10).

DEFINITIO XIII.

15. Radiatura locus est intervalum in diaphano, per quod visibile radiat.

DEFINITIO XIII.

16. *Oculus* est Organum Corporis visibilia repræsentans. Constat ex tunicis quinque, Cornea, Sclerotica, Uvea, Choroide, Retina, & tribus humoribus, Aqueo, Crystallino, Vitreo.

SCHOLION.

17. Per representationem intelligimus delineationem visibilium in Oculo factam: quam mox Experimentis confirmatur sumus. Sed ut ea distinctius intelligatur, strueturam Oculi ante exponi fas est.

DEFINITIO XIV.

Tab. I. 18. *Cornea* est tunica externa anterior dd, instar cornu pellucida valde que firma, figuræ vel sphæricæ, vel potius sphæroidicæ, ultra reliquam Oculi globositatem in anteriora protuberans Oculumque una cum Sclerotica consolidans.

COROLLARIUM.

19. Cornea radios Luminis transmittit (§. 11).

SCHOLION.

20. In multas lamellas facili negotio separatur; sed quod ad præsentem scopum nil facit. Ipsi vulgo ab Anatomie imperitis colores adjudicantur, qui tunicae Uveæ substratae insunt & per eam tantummodo transparent.

DEFINITIO XV.

21. *Sclerotica* est tunica externa posterior aa, opaca valdeque firma, majoris sphæræ aut sphæroidis segmentum quam Cornea, cum qua Oculum consolidat, ejusque figuram pariter ac in situ suo singulas partes conservat.

SCHOLION I.

22. Ideo tam tenaces sunt tunicae Cornea & Sclerotica, ne Oculus, tam nobile organon, facile lœdatur.

SCHOLION II.

23. Vestitur autem Sclerotica anteriore sui parte membrana alba, quam Adnatam vocant Anatomici, tum ad decorum, tum ad volubilitatem Oculo conciliandum.

DEFINITIO XVI.

24. *Uvea* est tunica interna anterior ee, Corneæ substrata, humori Aqueo innatans & in medio perforata, figuram annuli vel zonæ habens, intus aspera & nigra, foris lœvis & diversicolor, radios ad visionem necessarios in interiorem Oculi concamerationem intromittens, superfluos vero arcens.

SCHOLION.

25. Pars Uveæ, quæ per Corneam transparet, à variate colorum dicitur Iris. Et quia Solis depicti imaginem referre videtur, radiis quasi innumeris circa orbiculum nigrum diffusis, Solem nonnulli vocant.

DEFINITIO XVII.

26. *Pupilla* est foramen rotundum, tunicae Uveæ, instar orbiculi nigricantis in Oculo conspicuum & aditum radiis in Oculi interiora concedens.

DEFINITIO XVIII.

27. *Choroide* est tunica interna posterior bb, Sclerotica contigua adeoque eandem cum ipsa figuram, superficiem vero

Tab. I.
Fig. 1.

vero concavam politam habens, tenuis atque mollis, suaque nigredine Oculum opacans.

SCHOLION I.

28. In pecudibus non æque ac in hominibus tota nigra est Chroides, sed in superficie concava colore livido tincta apparet. Unde & Pupilla in animalibus non prorsus nigricat.

SCHOLION II.

29. Cornea Sclerotica, Uvea Chorodi connectitur mediante ligamento membranaceo, quod Ciliare vocant: unde tenuia quædam filamenta usque ad humorem Chryallinum undique procedunt, quibus Processuum Ciliarium nomen imposuerunt Anatomici.

DEFINITIO XIX.

30. Retina seu Amphiblestroides est tunica intima cc, Chorodi contigua, tenuis ac mucosa, subalba, inter diaphanum & opacum fere media, cum fibrillis Nervi optici fortiter connexa.

SCHOLION I.

31. Retina intra aquam agitata facile expanditur, à Choroide autem separata in massam mucosam conglobatur.

SCHOLION II.

32. Evidem RUY SCHIUS contendit; inter Choroidem & Retinam dari adhuc tunicam aliam, quam à se repertam Ruy Schianam vocat, Chorodi tam firmiter connatam (ipsa ejus verba recito) ut vulgari sectione Anatomica in oculis non incurrat. Enimvero VERHEYENUS in Oculo Ovino Choroidem duabus lamellis constantem haud difficulter invenit; in humano autem interiorem lamellam nullo modo observare potuit. Quoniam vero tunica multæ ac membranæ duplice lamella constant, quemadmodum ego ope siphonis mei Anatomici (§. 52 Hydrost.) tunicas vesicæ in duas lamellas facile separo; non sine ratione judicat Anatomici-

cus peritissimus VERHEYENUS (a) et si in omnium viventium oculis duplex Choroidis lamella inveniretur, non tamen ideo de novo nomine laborandum esse.

DEFINITIO XX.

33. Humor Aqueus g est, qui anteriorem Oculi cavitatem inter Corneam Fig. 1. & Processus Ciliares replet, instar aquæ fluidus, tenuis ac limpidus.

DEFINITIO XXI.

34. Humor Chryallinus f est massa consistens, sed pellucida, figuræ lenticularis; inæqualiter convexa, pellicula tenui ac pellucida involuta, quam Aranæam seu Arachnoidem vocant.

SCHOLION I.

35. Partem humoris Chryallini anteriorem KEPPLERUS (b) segmentum Sphæroidis rotatione Ellipsis circa axem geniti; posteriorem vero segmentum Conoidis Hyperbolici rotatio ne Hyperbolæ circa axem geniti esse suspicatur.

SCHOLION II.

36. Humorem Chryallinum nec in omnibus hominibus, nec in omnibus ejusdem hominis ætatis ejusdem esse figuræ; in aliquibus enim magis, in aliis minus ad rotunditatem tendere; in ætate integra esse turgidum, in fracta, quasi planum, autor est SCHOTTUS (c)..

DEFINITIO XXII.

37. Humor Vitreus h est, qui posteriorem Oculi cavitatem replet, vitro suo similis, aliqualis consistentiæ, admodum diaphanus, pellicula tenui (quam Hyaloidem vocant Anatomici) vestitus.

A. 3

DE-

(a) In Corporis humani Anatom. lib. i. Tract. 4. c. 14. p. 248. Edit. B. t. secund. An 1710.

(b) In Paralip. in Vitelionem c. 5. p. 167.

(c) Magiae Universi Nat. & Art. part. i. lib. 2. præl. i. artic. 8. p. 64.

DEFINITIO XXIII.

38. *Reflexio Luminis* est propagatio in partes anteriores corporis opaci, in quod incidit, ob ejus resistentiam.

DEFINITIO XXIV.

39. *Refractio Luminis* est deviatio à linea, per quam propagari debebat, ob diversam medii densitatem.

DEFINITIO XXV.

40. *Visio distincta* est, quæ partes à se invicem distinctas discernit.

DEFINITIO XXVI.

41. *Visio confusa* est, quæ partes à se invicem distinctas non discernit, seu confundit.

AXIOMA I.

42. *Nihil videtur sine Lumine* (§. 4).

AXIOMA II.

43. *Si Oculus eodem modo afficitur, Visio eadem.*

SCHOLION.

44. *Veritas Axiomatis manifesta est per Axioma fundamentale quod nihil sit sine ratione sufficiente* (§. 25. Mech.). *Si enim Oculus eodem modo afficitur in duobus casibus; nulla sanè est ratio, cur in uno casu alia esse debeat Visio, quam in altero. Videtur equidem Axioma adhuc aliquid obscuritatis habere; sed quicquid ejus restat, totum disparebit, ubi in sequentibus explicatum fuerit, quomodo Oculus eodem modo afficiatur. Ceterum hinc colligitur, cur in rerum natura præcaveri non potuerit, quin visibilia interdum aliter apparerent, quam sunt.*

OBSERVATIO I.

45. *Si per exiguum foramen, quod pisi magnitudinem non aequalat, Lumen*

Solare in cameram obscuram intromittatur; per totum, quā patet, medium à foramine usque ad corpus opacum ulteriore propagationi resistens, linea recta lucida comparebit in directum jacens recte inter foramen & Solem interjecta.

COROLLARIUM I.

46. *Lumen ergo propagatur per lineam rectam, consequenter radii per lineas rectas repræsentari possunt* (§. 6).

COROLLARIUM II.

47. *Cum nihil videatur sine Lumine* (§. 42), *Lumen verò per lineas rectas propagetur* (§. 46); *nullum objecti punctum videbitur; nisi quod pupillæ in directum jacet* (§. 26).

SCHOLION.

48. *Suppono nempe radios ab objecto per idem medium ad oculos trajici.*

COROLLARIUM III.

49. *Radii Ab, Ac, Ad, Ae, &c. ex eodem puncto A emanantes continuo divergunt.* Fig..

OBSERVATIO II.

50. *Si Lumen per exiguum foramen Tab. in cameram obscuram intromissum AC Fig.. speculo BF excipiatur; in partes anteriores speculi per rectam CD propagabitur.*

COROLLARIUM.

51. *Lumen ergo à corporibus reflectitur, quæ ulteriori progressui obstant* (§. 38).

SCHOLION.

52. *Non injucundum est spectaculum, dum verso speculo BF, radii AC & DC una ad perpendicularum EC accedunt, iterumque ab eo digrediuntur aut prorsus cum eodem coalescent: imprimis cum radii sub forma linearum rectarum compareant, quales in Optica* (§. 46) *repræsentantur.*

OBSERVATIO III.

ab. I.
ig. 5. 53. Si Lumen per exiguum foramen
in cameram obscuram intromissum LM
oblique incidat in vitrum conicum HIK
aqua plenum, vel etiam in vitrum soli-
dum, non recta ex M in O tendet, sed
à recta LO deviabit per MN.

COROLLARIUM.

54. Cum aër & aqua, itemque vitrum
sint diversæ gravitatis specificæ (§. 57. Aë-
rom.), adeoque etiam diversæ densitatis
(§. 20. Hydrost.) ; radius ex uno medio in
aliud diversæ densitatis transiens refringi-
tur (§. 39).

OBSERVATIO IV.

55. Si in Speculo ad fenestram collo-
cato magnitudinem Pupillæ observes; ma-
nibus ad tempora applicatis, ut Lumen à
lateribus affluens ab Oculo arceatur, eam
dilatari; manibus vero remotis, denuò
coarctari videbis. Eandem variationem
notabis, si noctu candelam ardentem Ocu-
lo alterius nunc admoveris, nunc ab eo-
dem removeris.

COROLLARIUM I.

56. Crescente adeo Lumine, Pupilla co-
arctatur; decrescente, dilatatur.

COROLLARIUM II.

57. Hinc major est in luce meridiana,
quam in crepera.

OBSERVATIO V.

b. I.
5-3. 58. Quodlibet punctum objecti A vi-
detur omnibus in locis b, c, d, e, &c.
ad quæ ex eo linea recta duci potest.

COROLLARIUM I.

59. Quia nihil videtur sine Lumine (§. 42);
quodlibet objecti punctum radios innume-
ros quaquaversum diffundit.

COROLLARIUM II.

60. Quare cum radii per lineas rectas
propagentur (§. 46) ; à puncto radiante
radius emittitur in quodlibet punctum,
ad quod ex eo linea recta duci potest.

OBSERVATIO VI.

61. Quodsi Humor Chrystillinus C can- Tab. I.
dele ardenti AB, aut fenestre objicia- Fig. 6.
tur, & post eum in certâ distantia (que
tentando facile definitur), folium char-
te munde DE statuatur, super eo Imago
candele aut fenestra situ inverso b a com-
parebit & flamma mobilis, uti est, repre-
sentabitur. Quodsi candela retrahatur,
Imago b a disparebit, redditura si chartam
DE proprius admoveris, sed minor prio-
re. Si ab Oculo bovino posticam Scleroti-
cæ ac Choroidis, immo etiam Retina par-
tem, Humore Vitreo illæso separet & can-
delam ardentem ante Pupillam constituas;
ejus Imaginem situ inverso videbis in ex-
tima superficie Humoris Viirei vel ipsius
Retina, ubi non fuerit separata. Ea-
dem omnia eodem modo se habebunt, si
Humori Chrystillino substituas Vitrum
politum convexum C.

COROLLARIUM I.

62. A quibus Objectis radii in Oculum
illabuntur, eorum Imagines admodum exi-
guæ, sed valdè distinctæ pone Humorem
Chrystillinum delineantur.

COROLLARIUM II.

63. Imago Objecti majoris in eadem dif-
fiantia major est, quam minoris.

COROLLARIUM III.

64. Imago Objecti vicini majore inter-
vallo ab Humore Chrystillino distat, quam
remoti.

COROLLARIUM IV.

65. Imago Objecti vicini major est; Imago remoti minor.

COROLLARIUM V.

66. Cum adeo Objecta remota videantur minora, vicina vero majora; Objectum magnum appetet, si magna in Oculo delineatur Imago; parvum vero, si parva (§. 43).

COROLLARIUM VI.

67. Quæ ergo æqualia apparent; eorum Imagines in Oculo æquales sint necesse est.

COROLLARIUM VII.

68. Si Objectum movetur; Imago quoque in Oculo movetur, seu successivè alias aliasque Retinæ partes occupat (§. 61). Moveri adeo videntur, quorum Imagines alias aliasque Retinæ partes successive occupant (§. 43).

COROLLARIUM VIII.

69. Orbium vitreorum in fenestra contiguorum Imagines etiam in Oculo contiguæ sunt (§. 61). Quorum adeo Imagines in Oculo contiguæ sunt, ea contigua videntur (§. 43). Eodemque modo paret, quod continua videri debeant, quorum Imagines continuæ sunt.

COROLLARIUM IX.

70. Visio igitur convenit repræsentationi Objectorum in Oculo, hoc est, talia apparent Objecta, qualia in Oculo repræsentantur, seu ex Imaginibus in Oculo, ratio reddi potest, cur tale appareat Objectum.

COROLLARIUM X.

71. Cum Imago in Oculo delineata Objecto ipso multo minor existat; fieri potest ut vel ob hujus parvitatem (§. 63), vel distantiam (§. 65.) individuum in Oculo punctum occupet. Quoniam adeo Objectum non amplius repræsentatur; in utroque casu videri nequit (§. 70.).

COROLLARIUM XI.

72. Quia igitur nec Objecti vicini partes omnes exiguae, nec remoti satis magnæ videri possunt; neque vicina neque remota prorsus distinctè nudo Oculo videmus (§. 40.); distinctiū tamen vicina, quam remota (§. 65. 71.) cernimus.

OBSERVATIO VII.

73. Si Vitrum utrinque convexum & Tab. politum AB charta obducas, nonnisi duabus foraminulis sive quadratis, sive rotundis apertis, radii à Sole lucente S in chartam CD ad certam distantiam, tentando definiendam, collocatam per utrumque transmissi coalescunt in F, mox tamen à se invicem recessuri, si chartam CD vel propius ad lentem AB admoveas vel longiori intervallo, ab eadem removeas. Si idem Vitrum ita tectum fenestræ obvertas, Imagines ejus in unam coalescent: nec disparatebit Imago, etiam si foramen alterutrum tegas, nisi quod claritas minuatur.

COROLLARIUM I.

74. Quilibet radius fert secum integrum speciem puncti radiantis.

COROLLARIUM II.

75. Radii ab eodem punto Objecti egressi per refractionem in Vitro convexo, consequenter etiam in Humore Chryallino (§. 61), factam in uno punto iterum uniuntur.

COROLLARIUM III.

76. Tum ergo Objectum in charta CD, consequenter etiam in Retina (§. 61) repræsentatur, si radii diversorum punctorum radiantium species secum ferentes (§. 74) non confunduntur.

COROLLARIUM IV.

77. Imago in Oculo clarior est, si pluribus radiis delineatur, quam si paucioribus (§. 73). SCHOB.

SCHOLION.

78. Patet jam ratio universæ structuræ Oculi. Sclerotica nempe cum Cornea concretionem efficit; Uvea cum Choroide Oculum opacat, ne Radii peregrini ab ea reflexi Imaginem in Retina delineandam confundant (§. 76). Humor Chrystallinus per refractionem radios candem speciem secum ferentes unit (§. 75), ut Objectum clarè ac distinctè pone eum repræsentetur: quam refractionem Humores Aqueus & Vitreus juvant (§. 54). Pupilla dilatabilis, ut nunc coardari nunc ampliari possit (§. 56); quo lumen ad representationem satis claram sufficiens (§. 77) illabatur. Hinc non difficilis est Oculi artificialis constructio, in quo Objecta eodem modo repræsentantur, quo in vero. Quare cum is utilis sit ad veritates hæc tenus propositas confirmandas; ejus structuram paucis exponemus.

PROBLEMA I.

79. Oculum artificiale construere.

RESOLUTIO.

1. Fiant duo Hemisphæria cava ex ligno duriori, mediante aliqua commissura facilè conjungenda.
2. Hemisphærium anterius sit in medio perforatum foramine rotundo C, quod pupillæ vices sustineat & vitro tenui plano, vel (quod perinde est) convexo concavo, tanquam tunica Cornea, muniendum.
3. Interius in tubum brevem efformetur, & aliis ductilis G cum Lentiscula vitrea polita ac utrinque convessa (quæ Humoris Chrystallini munere fungitur) eidem immittatur.
4. Hemisphærio posteriori immittatur tubus ductilis EF, cui inditum sit Vitrum planum, cuius superficies

Wolffii Oper. Mathem. Tom. III.

interior lævigata quidem, sed non polita, Retinam cum Nervo Optico repræsentans.

Quodsi igitur foramen C Objecto cui-dam obvertas & tubum ductilem FE, sensim sensimque extrahas; videbis tandem Objectum in Vitro plano accuratissimè suis quidem coloribus nativis, sed situ inverso, delineatum. Et hac ma-china ea explorare licebit, quæ in antecedentibus de visibilium in Oculo na-turali repræsentatione dicta sunt (§. 62. & seqq.).

Aliter.

Quoniam perinde est, quæcunque fuerit cavitatis internæ figura; conclave quocunque ita obscurare poteris, ut nonnisi per exiguum foramen, Vitro polito utrinque convexo muniendum, Luci aditus pateat. Quodsi enim lin-teum album in certa distantia expan-das; omnium Objectorum foraminis op-positorum imagines quam distinctissimè suis nativis coloribus super eodem de-pinguntur. Erunt autem Imagines tan-to majores, quo Lens vitrea fuerit ma-joris sphæræ segmentum.

SCHOLION.

80. Hæc est decantata illa Camera obscura, cum quâ hodie Philosophi Oculum con-ferre solent, rationes Phænomenorum Opticorum reddituri. Evidem si foramen pisi mag-nitudinem non excedat; Objecta quoque deli-neantur, Lente remota: non tamen tam dis-tinctæ sunt Imagines, quam altero in casu. Primus hoc Phænomenon observavit JOAN-NES BAPTISTA PORTA (a). Demonstratio-nem damus in sequentibus.

B

CAPUT

(a) Magiæ Naturalis lib. 4. c. 2.

C A P U T II.

De Luce.

DEFINITIO XXVII.

81. *In*tenſitas *Luminis* est quantitas vis illuminatricis.

S C H O L I O N.

82. *Vim* illuminatricem ut *Phænomenon* considero, non ut peculiarem entitatem *Lumini* superadditam, aut ut *Qualitatem* occultam. *Licet* autem eam non pro inexplicabili habeam; *Mathematici* tamen non esse existimo, ut ejus naturam explicet, seu rationes *Physicas* reddat. *Absit* itaque ut quis arbitretur, me Scholasticorum figmenta ex *Philosophia* feliciter profligata in eam reducere velle.

C O R O L L A R I U M.

83. Quoniam Radius perpendicularis fortius ferit, quam obliquus, in ratione sinus totius ad sinum anguli obliquitatis (§. 552. *Mechan.*); Radius quoque perpendicularis obliquo in eadem ratione intensior est.

A X I O M A III.

84. Si singulorum Radiorum vires illuminatrices fuerint aequales, aut Radii fortes ac debiles in constante ratione misceantur; Intensitates *Luminis* habent rationem multitudinis Radiorum aequalia plana ferientium.

C O R O L L A R I U M.

85. Quia Densitas *Luminis* ex multitudine Radiorum per datum medium una transmissorum aestimatur (§. 14. *Hydrost.*); Intensitates *Luminis* in hypothesi virium illuminatricium aequalium aut in constante ratione mixtarum, in ratione Densitatum erunt.

T H E O R E M A I.

86. Si Lumen propagatur per Radios parallellos in medio non resistente, intensitas non variatur.

D E M O N S T R A T I O.

Quoniam Radii per spatium ABDC transmissi sunt paralleli, per hypoth. singuli à singulis eandem distantiam constanter tacentur (§. 81. *Geom.*). Quare cum Lumen propagetur in medio non resistente, per hypoth. nullus Radius intercipitur, nec ullius vis immutatur (§. 20. *Mechan.*). Intensitas igitur variari nequit (§. 81). Q. e. d.

T H E O R E M A II.

87. Si Lumen propagatur per Radios Tab. divergentes aequalium virium in medio Fig. non resistente, Intensitas *Luminis* decrescit in ratione duplicata distantiarum à Puncto Radiane reciproce.

D E M O N S T R A T I O.

Cum enim Lumen in medio non resistente propagetur, per hypoth. nec Radius ullus intercipitur, nec vis singulorum minuitur, adeoque Radii, qui in distantia AC per Hemisphærium à semicirculo FCG descriptum diffundebantur, in distantia AB per Hemisphærium à semicirculo DBE descriptum diffunduntur. Sunt igitur Densitates *Luminis* reciproce ut superficies Hemisphæriorum à semicirculis FCG & DBE descriptorum (§. 23. *Hydrost.*), conuenienter etiam Intensitates *Luminis* in eadem ratione existunt (§. 85). Sunt vero superficies illorum Hemisphæriorum in ratione semicirculorum FCG & DBE (§. 554. *Geom.* & §. 181. *Ariithm.*), hoc est

est in ratione duplicata distantiarum AC & AB (*§. 409. Geom.*). Ergo Intensitas Luminis in C, est ad Intensitatem in B, in ratione duplicata ipsius AB ad AC (*§. 167. Arithm.*). Q. e. d.

COROLLARIUM.

88. Si itaque fuerit $AB = 2AC$; erit Intensitas Luminis in B $= \frac{1}{4}$ Intensitatis in C. Si $AB = 3AC$; Intensitas in B erit $\frac{1}{9}$ Intensitatis in C. Intensitas adeo Luminis per Radios divergentes aequalium virium propagati, decrescit secundum progressionem I. $\frac{1}{4}, \frac{1}{9}, \frac{1}{16}, \frac{1}{25}, \frac{1}{36}$ &c.

THEOREMA III.

89. Si Lumen propagatur per Radios convergentes aequalium virium in medio non resistente; Intensitas Luminis crescit in ratione duplicata distantiarum à puncto concursus reciproce.

DEMONSTRATIO.

Eodem, quo in demonstratione Theorematis praecedentis, modo ostenditur, Intensitates Luminis in C & G esse in ratione circulorum EF & AB reciproce, consequenter in ratione duplicata ipsius GF ad CB (*§. 409. Geom.*). Quoniam vero GF ipsi CB supponitur parallela; erit $GF : CB = DG : DC$ (*§. 268. Geom.*), consequenter $GF^2 : CB^2 = DG^2 : DC^2$ (*§. 260. Arithm.*). Est igitur Intensitas Luminis in C ad Intensitatem in G, in ratione duplicata distantiae GD ad distantiam CD (*§. 167. Arithm.*). Q. e. d.

THEOREMA IV.

90. Aer Intensitatem Luminis minuit, quod per ipsum propagatur.

DEMONSTRATIO.

Si enim per exiguum foramen in

conclave obscurum, vel etiam per exiguum rimam Lumen intromittitur, à latere stantes lucidum tramitem vident (*§. 45*). Quare cum trames iste apparcat continuus, nec tantummodo videantur particulae huc illucque agitatæ, & nihil videatur sine Lumine (*§. 42*); necesse est, ut à particulis tum aëris, tum aliis in eodem circumvolitantibus Radii in Oculum reflectantur; consequenter ut in ulteriori progressu Radiorum numerus continuo minuatur. Quoniam itaque singulis Radiis inest vis sua illuminandi; minuto Radiorum numero, vis quoque illuminatrix, hoc est, Intensitas Luminis (*§. 81*) minuitur. Q. e. d.

SCHOLION.

91. Eodem modo ostenditur Luminis Intensitatem multo magis minui, dum per Aquam aut Vitrum, aliaque media Aere densiora propagatur, id quod etiam sensu satis manifestum: videmus enim Lumen per Vitrum planum transmissum non ita fortiter illuminare chartam objectam, quam quod ad latera Vitri in eandem incidit. Alia vero est ratio, si per refractionem Radii condenseruntur: de quo Luminis incremento agemus in Dioptrica.

COROLLARIUM.

92. Luminis adeo per Radios parallelos in aere propagati Intensitas continuo minuitur, consequenter ipsum tandem extinguitur, nec per immensum intervallum propagatur.

THEOREMA V.

93. Si latitudo plani illuminati IK Tab. I ad distantiam Puneti Radianis IH vel Fig. 12. KH, fuerit ut I ad 2000000, perinde est ac si Radii HI & HK incident in planum paralleli.

DEMONSTRATIO.

Quoniam HI ad IK perpendicularis
B 2 per.

per hypoth. reperiatur sinus anguli IHK, 50 (§. 36. Trigon.). Est vero sinus unius minuti secundi major 48, sinus duorum major 96, nimirum fere 97, *vi Canonis sinuum majoris*. Ergo angulus H unius circiter secundi, certe multò minor quam duorum secundorum; consequenter anguli I & K junctim sumti non differunt ad sensum à duobus rectis (§. 240. Geom.). Radii igitur HI & HK incidunt in IK ad sensum paralleli (§. 296. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

94. Ergo Radii HI & HK à Puncto procul distito H advenientes, multo magis incident in IK ad sensum paralleli, si IK ad IH minorem habuerit rationem quam 1 ad 2000000.

COROLLARIUM.

95. Quoniam Diameter Pupillæ satis ampliatæ vix $2''$ seu $\frac{1}{5}$ unius digitii excedit; Radii in Pupillam fere paralleli incident, si distantia Puncti Radianis ab Oculo fuerit $4000000''$, seu 40000 pedum, hoc est, (quia juxta VARENIVM (e) quantitas unius milliaris Germanici est 22800. pedum Rhenanorum) fere $1\frac{3}{4}$ milliaris Germanici.

SCHOLION.

96. *Supposui in Demonstratione*, duos angulos I & K junctim sumtos à duobus rectis non differre ad sensum, si angulus H non excedat quantitatem unius minutis secundi. Sed vix different ad sensum, etiamsi H fuerit dimidii scrupuli primi. Tum vero ratio ipsius IK ad KH erit, *vi Canonis sinuum*, ut 1454 ad 1000000, hoc est, fere ut 1 ad 6877. Quodsi Diameter Pupilla denuo ponatur $2''$, reperiatur IH $13754''$ seu 137 pedum. Unde id saltem liquet, quam primum distantia Objecti excedit intervallum 140 pedum, inci-

dentiam Radiorum in Pupillam sensim sensimque fieri quasi parallelorum.

AXIOMA. IV.

97. *Quæ à Luminosis ejusdem Intensitatis æqualiter distant loca, in iis aquale Lumen producitur.*

SCHOLION.

98. Patet ex ipsa notione Luminosorum ejusdem Intensitatis. Cum nimirum Intensitas sit quantitas vis illuminatricis (§. 81), Luminosa ejusdem Intensitatis dicenda sunt, quando in distantiis æqualibus æquale Lumen producunt.

OBSERVATIO VIII.

99. Si tria vel plura Luminosa A, Tab. B, C per exiguum foramen F in locum Fig. 1 obscurum radient; singulorum Imagines in charta objecta in a, b, & c eodem modo delineantur ac si singula sola per foramen illud F radiarent. Idem quoque accedit corporibus per se Opacis, sed Illuminatis.

COROLLARIUM.

100. Lumen igitur unum non officit propagationi alterius.

SCHOLION.

101. Idem non minus evidenter ex Astronomiâ constat. Cum enim ibi ostendatur, Lumen Solare nocturno tempore diffundi per vasta illa spatia, in quibus Planetæ vagantur; id tamen minimè impedit, quo minus Lumen Fixarum per eadem spatia ad nos propagetur.

THEOREMA VI.

102. Si duo Corpora Luminosa L & M ejusdem Intensitatis per commune intervallum PQ radient; in locis N & O ab utroque Luminoso L & M æqualiter distantibus æquale Lumen producitur.

DE-

DEMONSTRATIO.

Quoniam $NP = OQ$ & Lucida L & M ejusdem Intensitatis per hypoth. quantum Luminis L producit in N, tantundem etiam M producit in O (§.97). Porro quoniam $PN = QO$ per hypoth. erit $PO = QN$ (§.91. Arithm.). Cum adeo Lumen unum non officiat propagationi alterius (§.100), adeoque Luminosum M in N & alterum L in O eodem modo Lumen producant, ac si alterum abesse; tantum Luminis M in N producit, quantum L in O (§.97.). In locis adeo N & O æquale Lumen producitur (§.88. Arithm.). Q. e. d.

THEOREMA VII.

<sup>ab. I.
fig. 14.</sup> 103. Si duo Lucida L & M ejusdem Intensitatis per commune intervallum PQ radient; Lumen in medio E productum erit ad Lumen in loco quocunque N alterutri Luminoso L viciniori productum, in ratione composita quadrati dimidiæ distantia Lucidorum PE ad rectangulum ex segmentis PN & NQ, & aggregati ex quadratis istorum segmentorum ad duplum ejusdem rectanguli.

DEMONSTRATIO

Sit $PE = EQ = a$, $PN = b$, $NQ = c$, Lumen in E à Luminoso L productum $= l$. Quoniam Intensitates Lucidorum L & M sunt æquales, per hypoth. erit Lumen in E à Lucido M productum itidem $= l$ (§.102). Porro Lumen in N à Lucido M productum $= a^2 l : b^2$ & Lumen in N à Lucido L productum $= a^2 l : c^2$ (§.86). Quare cum Lumen à Lucido L in N productum non impedit, quo minus Lucidum M Lumen vi-

sue proportionatum ibidem producat (§.100), erit Lumen in N à duobus Lucidis L & M junctim productum $= a^2 l : b^2 + a^2 l : c^2 = (a^2 c^2 l + a^2 b^2 l) : b^2 c^2$ (§.235. Arithm.). Quod vero ab iisdem in E producitur $= 2l$, consequenter illud ad hoc est, ut $(a^2 c^2 l + a^2 b^2 l) : b^2 c^2$ ad $2l$, seu ut $a^2 (b^2 + c^2)$ ad $2b^2 c^2$ (§.178. 181. Arithm.,) nempe in ratione composita PE^2 ad $PN \cdot NQ$ & $PN^2 + NQ^2$ ad $2PN \cdot NQ$ (§.159. Arithm.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

104. Quodsi fiat $NE = d$, erit $PN = b = a - d$ & $NQ = c = a + d$; consequenter his valoribus substitutis, reperitur Lumen in N ad Lumen in E, ut $2a^4 + 2a^2d^2$ ad $2a^4 - 4a^2d^2 + 2d^4$, seu ut $a^4 + a^2d^2$ ad $a^4 - 2a^2d^2 + d^4$. (§.181. Arithm.). Quoniam itaque $a > d$, erit quoque $a^2d^2 > d^4$ (§.180. Arithm.), adeoque $a^4 + a^2d^2 > a^4 + d^4$ (§. 90. Arithm.) & hinc multo magis $a^4 + a^2d^2 > a^4 - 2a^2d^2 + d^4$. Lumen adeo omnium minimum in E producitur.

THEOREMA VIII.

<sup>ab. I.
Fig. 15.</sup> 105. Si duo Lucida L & I à punctis B & C æqualiter distent; erit Lumen in Fig. 15. B productum ad Lumen in C productum in ratione duplicata distantiarum reciprocæ.

DEMONSTRATIO.

Sint distantia Lucidorum à punctis B & C ut rectæ AB & AC. Sit porro $AB = a$, $AC = b$, Lumen à Lucido L in B productum $= m$, quod vero ibidem producitur à Lucido I $= n$; erit Lumen à Lucido L in C productum $= a^2 m : b^2$, & quod ibidem producitur à Lucido I $= a^2 n : b^2$ (§.87). Est ita-

Itaque Lumen, ab utroque productum in $B = m + n$, in C vero $= (a^2m + a^2n) : b^2$ (§. 100), adeoque Lumen in B ad Lumen in C, ut $m + n$ ad $(a^2m + a^2n) : b^2$, hoc est, ut b^2 ad a^2 (§. 178. 181. Arithm.), nempe in ratione duplicata distantiae AC ad distantiam AB. Q.e.d.

COROLLARIUM.

106. Ergo & ejusdem Lucidi diversæ partes, à duobus punctis sigillatim fere æquilatero distantes, producunt in iis Lumen distantiarum reciproce sumtarum quadratis proportionatum.

SCHOLION.

107. Hoc Corollario in Astronomia utimur, ubi quantitatem illuminationis à Sole in diversis Planetis definimus.

PROBLEMA II.

Tab. I. 108. Data distantia AB, ad quam Fig. 15. Luminosum simplex Lumen datae Intensitatis producit; definire distantiam AC, ad quam Luminosum in data ratione auctum Lumen priori æquale producit.

RESOLUTIO.

Sit ratio data $= a : b$, distantia AB $= a$, quæsita AC $= x$, Lumen in C à Luminoso simplici productum $= l$; erit ab eodem in distantia x producendum $= a^2l : x^2$ (§. 87), consequenter quod ad eandem distantiam à Luminoso aucto in ratione $a : b$ producitur $= abl : x^2$ (§. 530. Mechan.). Est vero Lumen in C à Luminoso aucto productum æquale ei, quod producitur à simplici in B, per hypoth. Ergo

$$\begin{array}{r} abl : x^2 = l \\ ab : x^2 = 1 \\ \hline ab = x^2 \end{array}$$

consequenter $a : x = x : b$

Theorema. Distantia AC, ad quam Luminosum auctum Lumen ejusdem Intensitatis producit, quod à simplici in data distantia producebatur, est media proportionalis inter hanc distantiam datam & aliam, quæ ad eam habet rationem Luminis aucti ad Lumen simplex.

COROLLARIUM.

109. Sphæra igitur activitatis in minore ratione augetur, quam vires Luminosi.

SCHOLION.

110. Eodem sane modo reperitur distantia, ad quam Luminosum fortius idem Lumen producit, quod à debiliiori in data distantia producebatur & contra. Nec difficulter hac methodo Problemata agnata alia solvuntur.

THEOREMA IX.

111. Si Sphæra Luminosa AGB aliam Tab opacam CHD illuminat; Radii extreimi Fig. Sphærarum utramque tangunt.

DEMONSTRATIO.

Recta AC, quæ utramque peripheriam AGB & CHD in A & C tangit, tota extra circulum cadit (§. 47. Geom.). Quare cum Lumen per lineas rectas propagetur (§. 46); fieri sane nequit, ut ullus Radiorum, qui ultra tangentem AC propagantur, à Luminoso AGB ad opacum CHD pertingant. Radii ergo extreimi Sphærarum utramque tangunt. Q.e.d.

THEOREMA X.

112. Si Sphæra Luminosa AB fuerit Tat Opacæ CD æqualis; dimidia partem Fig Opacæ dimidiam illuminabit.

DEMONSTRATIO.

Jungantur centra Sphærarum E & F recta

recta EF, ducanturque diametri AB & CD ad EF perpendicularares. Agantur præterea per A & C, itemque per B & D rectæ CA & DB (§. 20. Geom.). Quia CF & AE, itemque FD & EB ad EF perpendicularares atque æquales, per hypoth. erunt AC & BD ipsi EF parallelæ (§. 226. Geom.), consequenter anguli ad A & C, itemque ad B & D recti (§. 230. Geom.). Tangit adeo AC peripheriam AGB in A, peripheriam vero CHD in C, & BD illam in B, hanc vero in D tangit (§. 304. Geom.). Sunt igitur A & B puncta Sphæræ Luminosæ extrema, quæ in Opacam radiant, & C atque D puncta Spæræ Opacæ extrema, quæ illuminantur (§. 111). Quare cùm AGB & CHD sint semicirculi (§. 135. Geom.) ; Sphæra Luminosa dimidia dimidiā Opacæ partem illuminat. *Q. e. d.*

THEOREMA XI.

Tab. II. Fig. 17. 113. Si Sphæra Luminosa AB fuerit major Opaca IN; pars minor quam dimidia Luminosæ illuminat partem majorem dimidia Opacæ.

DEMONSTRATIO.

Radius extremus CI utramque Sphærarum tangit (§. 111), adeoque ad semidiametros CG & IM perpendiculararis (§. 304. Geom.), consequenter GC & MI sunt distantiae punctorum G & M, seu rectæ GM, à recta CI (§. 225. Geom.). Quare cùm JM < GC, per hypoth. distantia rectæ GM à recta CI continuo decrescit, adeoque Radius Luminis CI cum recta GM centra Sphærarum G & M conjugente convergit

(§. 83. Geom.). Anguli igitur o & u sunt recto minores (§. 241. Geom.) consequenter IMK recto major (§. 147. Geom.). Est ergo CE quadrante minor; IK quadrante major (§. 143. Geom.). Quare cum eodem modo demonstretur, esse DE quadrante minorem, KN vero quadrante majorem; erit CED semicirculo minor, IKN semicirculo major; consequenter minor quam dimidia pars Sphæræ Luminosæ majorem dimidia partem Sphæræ Opacæ illuminat. *Q. e. d.*

THEOREMA XII.

114. Si Sphæra Luminosa IN fuerit minor Sphæra Opaca AB; pars major quam dimidia Luminosæ illuminat partem Opacæ dimidia minorem.

DEMONSTRATIO.

Eadem est, quæ Theorematis præcedentis.

PROBLEMA III.

115. Datis semidiametris Sphæræ Luminosæ CG & Sphæræ Opacæ IM una cum distantia centrorum GM; invenire quantitatem partis illuminatae pariter ac illuminantis.

RESOLUTIO.

Ducatur FM ipsi CI parallela. Quoniam MI & CF ad CI perpendicularares (§. 111. Optic. & §. 304. Geom.); erit IM = CF (§. 226. Geom.), consequenter FG differentia semidiametrorum CG & IM, quæ ob has datas etiam datur. Et quia IM etiam ad FM perpendicularis (§. 230. Geom.), erit IL quadrans (§. 143. Geom.), adeoque LK excessus partis

partis dimidiæ illuminatæ ultra quadrantem.

Quoniam vero in Triangulo GFM ad F Rectangulo (§. 230. *Geom.*) datur latus FG differentia semidiametrorum IM & CG, itemque GM distantia centrorum G & M; angulus M inveniri potest (§. 38. *Trigon.*), cuius mensura est arcus desideratus KL.

Dato vero angulo FMG datur etiam FGM (§. 241. *Geom.*), cuius mensura est arcus CE, qui dimidiæ partem illuminantem Sphæræ Luminosæ manifestat.

E. gr. Juxta RICCIOLUM (a) Diameter Telluris ad Diametrum Solis ut 1 ad 33, nempe $IM = 1$ & $CG = 33$, adeoque $FG = 32$; distantia Solis à Tellure $GM = 7300$, Quare

Log. GM	38633229
Log. fin. tot.	100000000
Log. FG	15051500

Log. Sin. tot. 76418271, cui in canone sinuum artificialium respondent 15'.

Est ergo $IK = 90^\circ 15'$, consequenter $IKN = 180^\circ 30'$. Porro $CGM = 89^\circ 45'$, consequenter $CED = 179^\circ 30'$.

COROLLARIUM.

116. Cum eodem modo inveniatur tam arcus IKN, quam CED, si Sphæra minor IN fuerit Luminosa, major vero AB Opaca; per Problema præsens etiam determinatur pars Sphæræ majoris à Sphæra minore illuminata, itemque pars Sphæræ minoris in majorem radians.

THEOREMA XIII.

117. Si Sphæra Lucida major AB proprietor fuerit Opacæ minori IN; minor illius pars in hanc radiat, hujus tamen pars major illuminatur, quam in longinquieri distantia.

(a) Astronom. Reform. lib. 1. c. 19. f. 70. b.

DEMONSTRATIO.

Est enim ut GM ad FG, ita sinus totus ad sinum excessus partis dimidiæ illuminatæ ultra quadrantem LK (§. 115). Quamobrem si GM minuitur, FG existente eadem, ratio sinus totius ad sinum arcus LK minor fit (§. 203. *Arithm.*); consequenter sinus arcus LK, adeoque ipse arcus LK augetur (§. 206. *Arithm.*). Major ergo Sphæræ Opacæ pars illuminatur. *Quod erat unum.*

Dum vero arcus LK seu angulus LMK augetur; angulus CGE, consequenter arcus CE necessario minuitur (§. 241. *Geom.*). Minor adeo Sphæræ Lucidæ pars in Opacam radiat. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XIV.

118. Si Sphæra Lucida minor IN majori Opacæ AB propior fuerit, major ejus pars in eam radiabit, minorem tamen hujus partem illuminabit.

DEMONSTRATIO.

Eadem est, quæ Theorematis præcedentis.

THEOREMA XV.

119. Si objectum AB radiet per exiguum foramen C in parietem album ipsi Fig. oppositum, sitque radiaturæ locus post foramen bCa obscurus; situ inverso in pariete depingetur.

DEMONSTRATIO.

Quia enim foramen C valde exiguum, Radii à puncto B dimanantes parietem in b contingunt; qui vero à punctis A & D emanant, in parietis puncta a & d incidunt. Quare cum Radii

Radii à diversis punctis emanantes non confundantur ; à pariete reflexi speciem adhuc Objecti secum afferunt (§.74), consequenter Objectum in pariete spectandum exhibent (§.43). Quia vero Radii AC & BC in foramine se mutuo secant; situs Objecti invertatur necesse est, cum Radius ab infimo punto in locum supremum perveniat & contra. Objectum adeo situ inverso depingitur.
Q. e. d.

C O R O L L A R I U M .

120. Quia anguli ad D & d recti, per hypoth. verticales autem ad Cæquales (§.156. Geom.), erunt etiam b & B, itemque a & A æquales (§.246. Geom.) ; consequenter, si paries in quo delineatur Objectum fue-

rit huic parallelus, $ab:AB = dC:DC$ (§.396. Geom.), hoc est, altitudo Imaginis est ad altitudinem Objecti, ut hujus distantia à foramine ad distantiam illius ab eodem.

S C H O L I O N .

121. Ut picturæ sint claræ, Objecta Luminæ Solari collustrata sint opus est. Clariores quoque apparebunt, si spectator per horæ circiter quadrantem in tenebris commoratus fuerit. Cavendum præterea ne forte per rimulas Lumen illabatur, nec Cælum parietem nimis illustret. Imago equidem fit major atque distinctior, si major fuerit parietis à foramine distantia (§.120) : sed dum Radii nimis dilatantur, Lumen debilitatur peritque claritas Imaginis, ut tandem non amplius discerni possit. Atque hinc appetit defectum claritatis officere quoque Visioni distinctæ.

C A P U T I I I .

De Umbra.

DEFINITIO XXVIII.

122. **Umbra** est privatio Luminis interposito corpore Opaco. Privatio totalis omnis Luminis dicuntur *Tenebra*, subinde *Umbra mera*.

C O R O L L A R I U M .

123. Quoniam nihil videtur sine Lumine (§.42), Umbra mera videri nequit.

S C H O L I O N .

124. Quando itaque Umbram videre dicimus ; partim corpora videmus in Umbra quidem collocata, sed Lumine à collateralibus corporibus reflexo adhuc collistrata ; partim confinia Lucis & Umbrae, atque Luminis immutati minorem vim percipimus.

THEOREMA XVI.

125. *Quodlibet corpus Opacum projectum*
Wolfi Oper. Mathem. Tom.III.

cit Umbram' in directum cum Radiis à quibus illuminatur, seu in partem Luci oppositam.

D E M O N S T R A T I O .

Cum enim corpus Opacum Radiis transitum neget (§.12), Radii autem per lineam rectam propagentur (§.46); per intervalla cum ipsis in directum jacentia à tergo corporis non progrediuntur. Hæc ergo Lumine privantur, consequenter in iis Umbra est (§.121).
Q. e. d.

C O R O L L A R I U M I .

126. Moto ergo Luminoso, Umbra locum mutat.

COROLLARIUM II.

127. Moto corpore illuminato, Umbra locum mutat.

THEOREMA XVII.

Tab. II. Fig. 19. 128. Quodlibet Opacum G tot habet Umbras H, I &c. quot sunt lucida E & F ipsum illuminantia.

DEMONSTRATIO.

Quoniam corpus Opacum G intercipit Radios (§. 12), Radii autem per linéam rectam propagantur (§. 46), Lúcidum F per spatiū H ipsi oppositum radiare nequit. Privabitur ergo illud intervallum Lumine Luminosi F. Eodem modo ostenditur, spatiū I privari Lumine Lucidi E: ad spatiū vero L à neutro Lucidorum E & F Lumen diffundi. Quamvis vero Opacum G non obstat, quo minus Luminosum E in spatio H & Luminosum F in spatio I Lumen suum producat (§. 46); cum tamen spatia illa ab uno Luminoso minus illuminentur quam à duobus (§. 100), minus Luminis in iis existit, quan in aliis contiguis, adeoque Luminis quadam parte carent. Opacum igitur G tot Umbras habet, quot sunt Lucida ipsum illuminantia. Q. e. d.

COROLLARIUM.

129. Quodsi ergo Luminosa ad eandem Opaci partem multiplicentur, multiplicabuntur quoque ejus Umbras.

SCHOLION.

130. Si Lumen à Luminoso F in spatio H producendum insensibilem habuerit rationem ad Lumen in eodem spatio à Luminoso altero E productum; erit equidem in spatio isto H aliqua Luminis carentia, remoto Opaco G aafuturi, adeoque Umbra aliqua (§. 121): sed illam Oculus discernere nequit.

THEOREMA XVIII.

131. Si Lumen Luminosi fuerit Intensus, Umbra quoque Intensior est.

DEMONSTRATIO.

Cum enim Umbra sit privatio Luminis ob interpositum corpus Opacum (§. 122); majore Lumine privabitur spatiū aliquod, si Lumen Luminosi Intensus, quam ubi remissius extiterit. Unde Umbra obscurior videbitur, si corpora contigua majori Lumine collustrantur, quam si minore resplendent; hoc est, Umbra Intensior est, si Lumen interceptum ab Opaco fuerit Intensus, quam si remissius extiterit. Q. e. d.

COROLLARIUM.

132. Si plures Umbras coalescant, Opaco à pluribus Luminosis collistrato; Umbra multiplicata Intensior est.

SCHOLION.

133. Intensitas adeo Umbras estimatur ex gradibus Luminis, quibus spatiū aliquod privatur, relatè quidem ad Lumen, quo privatatur.

THEOREMA XIX.

134. Si Sphera Luminosa AB fuerit Tab. equalis Opaca CD, quam illuminat; Fig. Umbra hujus CDLK erit Cylindrica.

DEMONSTRATIO.

Cum enim Radii extremi CK & DL Umbram terminantes Peripheriam CHD in C & D tangant (§. 111) & Diámetro CD insistant (§. 112); erunt ad eandem rectam CD perpendiculares (§. 304. Geom.), adeoque inter se paralleli (§. 256. Geom.). Quare si ex centro F perpendicularis FM erigatur; erit eadem

eadem Radiis CK & DL parallelis (§. cit.); consequenter facta CK = DL, CFMK rectangulum (§. 100. Geom.). Quodsi jam concipiamus semicirculum CHI una cum rectangulo CKMF circa rectam HM gyrari; ille Sphærām parte sui antica illuminatam (§. 470. Geom.), adeo que hoc spatium Umbrosum describet. Figura igitur Umbræ Cylindrica est. (§. 465. Geom.). Q.e.d.

C O R O L L A R I U M I.

135. Sphæræ igitur Opacæ CD Luminosaæ AB æqualis Umbra ad eam distantiam extenditur, ad quam agere apta est Luminosa.

C O R O L L A R I U M II.

136. Si igitur ejus Umbra secatur, sectionis planum circulus est circulo maximo Sphæræ Opacæ æqualis (§. 466. Geom.).

T H E O R E M A X X.

ab. II. 137. Si Sphera Luminosa AB mag. 17. fuerit Opaca IN, quam illuminat; Umbra IHN erit Conica.

D E M O N S T R A T I O.

Quia Radius CH Sphæras AB & NI in C & I tangit (§. 111); Radii GC & MI ad eundem perpendiculares sunt (§. 304. Geom.). Quare cum $GC > IM$ per hypoth. Radius IR à recta MT per centra Sphærarum M & G transeuntem divergit (§. 84. Geom.). Quodsi ergo RS agatur cum chorda CD parallela; erit RCVT trapezium parallelarum basium (§. 103. Geom.). Quodsi jam concipiamus figuram TECR circa rectam TE rotari; quadrans AEG describet Hemisphærium illuminatum (§. 470. Geom.), trapezium vero RCVT, tanquam segmentum trianguli rectanguli RHT, ob rectos ad V (§. 291. Geom.) & T (§. 230. Geom.), Conum truncatum (§. 467. Geom.): quæ cum sit figura Umbræ, patet Umbram esse Calathiformem, seu figuram Coni truncati habere. Q.e.d.

C O R O L L A R I U M I.

138. Si igitur Umbra secatur plano basi parallelo; planum sectionis erit circulus, tanto quidem minor, quo longiori intervallo à basi distat (§. 468. Geom.).

C O R O L L A R I U M II.

139. Sphæræ igitur Opacæ à Luminosa majore illuminata Umbra continuo decrescit, tandemque in H finitur.

T H E O R E M A X X I.

140. Si Sphera Luminosa IN minor Tab. II. fueris Opaca AB, quam ill. minat; Umbra CDSR Calathiformis est, seu Coni Fig. 17. truncati figuram habet.

D E M O N S T R A T I O.

Quia Radius IR Sphæras AB & IN in C & I tangit (§. 111); semidiamenti GC & IM ad eundem perpendiculares sunt (§. 304. Geom.). Quare cum $GC > IM$ per hypoth. Radius IR à recta MT per centra Sphærarum M & G transeuntem divergit (§. 84. Geom.). Quodsi ergo RS agatur cum chorda CD parallela; erit RCVT trapezium parallelarum basium (§. 103. Geom.). Quodsi jam concipiamus figuram TECR circa rectam TE rotari; quadrans AEG describet Hemisphærium illuminatum (§. 470. Geom.), trapezium vero RCVT, tanquam segmentum trianguli rectanguli RHT, ob rectos ad V (§. 291. Geom.) & T (§. 230. Geom.), Conum truncatum (§. 467. Geom.): quæ cum sit figura Umbræ, patet Umbram esse Calathiformem, seu figuram Coni truncati habere. Q.e.d.

C O R O L L A R I U M I.

141. Umbra igitur Sphæræ Opacæ majoris à Lucido Sphærico minore illuminatæ

continuo dilatatur & ad eam distantiam extenditur, ad quam agere aptum est Luminosum.

COROLLARIUM II.

142. Si Umbra fecetur plano basi parallelo; erit illud circulus tanto quidem major, quo à basi remotior (§. 468. Geom.).

PROBLEMA IV.

Tab. II. 143. Data semidiametro Sphaeræ Fig. 17. Lucide majoris CG, una cum semidiametro Opacæ minoris IM, & distantia centrorum GM; invenire longitudinem Umbrae QH seu axem Coni Umbrosi.

RESOLUTIO.

1. Ducatur FM ipsi CH parallela, erit $IM = CF$ (§. 226. Geom.), adeoque FG differentia semidiametrorum GC & IM; consequenter (§. 268. Geom.),

Ut FG differentia semidiametrorum, ad GM distantiam centrorum;

Ita CF semidiameter Sphaeræ Opacæ, ad MH distantiam verticis Coni Umbrosi à Centro Sphaeræ Opacæ.

2. Quodsi ratio PM ad MH valde exigua fuerit, ita ut MH & PH notabiliter non differant; MH pro axe Coni Umbrosi assumi potest. Alias multanda est parte PM: quæ ut inveniatur;

3. Quaratur arcus LK (§. 115). Hic enim à quadrante subductus relinquit arcum IQ, qui est mensura anguli IMP (§. 57. Geom.). Cum adeo in triangulo MIP ad P rectangulo, præter angulum IMQ, etiam detur latus IM semidiameter corporis Opaci; reperietur MP (§. 36. Trigon.)

E. gr. Si semidiameter Telluris MI = 1, erit juxta Ricciolum semidiameter Solis AG = 33, distantia Solis à Terra GM = 7300, adeoque GF = 32. Unde $MH = 228\frac{1}{8}$. Quoniam angulus MIP est tantum $15'$; MP ad MI est ut sinus $15'$ ad sinum totum, adeoque ut 43635 ad 1000000 , seu ut 1 ad 252 (§. 181. Arithm.). Cum adeo PM non sit nisi $2\frac{1}{2}$ ipsius IM, ast $MH = 228\frac{1}{8}$ IM; poterit PM tuto neglegi, adeoque etiam $PH 228\frac{1}{8}$ semidiametrorum Terrestrium assumi potest.

COROLLARIUM.

144. Quoniam ratio distantiae corporis Opaci à Luminoso GM ad longitudinem Umbrae MH constans est, nempe in omni casu ut differentia semidiametrorum GF ad semidiametrum Sphaeræ Opacæ CF vel MI (§. 173. Arithm.); si distantia minuitur, longitudine quoque Umbrae minor evadere debet (§. 203. Arithm.). Opaci igitur Sphaericæ ad Luminosum Sphaericum majus accendentis Umbra decrescit.

DEFINITIO XXIX.

145. Si per extremitates objecti Opaci S & T ducantur parallelæ TV & SQ; angulus TVS, quem Radius per verticem S transiens & Umbra in V terminans cum recta TV efficit, dicitur Altitudo Luminosi. Perinde vero est, sive recta ST jungens extremitates Opaci sit ad rectam TV, quæ extremitatem unam objecti T cum extremitate Umbrae V jungit, perpendicularis, sive sub quocunque angulo ad eandem inclinata, veluti si fuerit SZ.

PROBLEMA V.

146. Data altitudine corporis Opaci TS & altitudine Luminosi e. g. Solis supra horizontem, hoc est, SVT; invenire longitudinem Umbrae in plano Horizontali TV.

RE-

R E S O L U T I O.

Quoniam in triangulo STV ad T rectangulo (§. 227. Geom.) datur angulus V, una cum latere TS, per hypoth. invenietur longitudo Umbræ TV (§. 36. Trigon.).

E. gr. Sit altitudo Solis $37^{\circ} 45'$, altitudo Turris 178 pedum; reperietur TV $241\frac{1}{2}$ pedum. Nimirum

Log. Sin. V. 97869056

Log. TS. 22718416

Log. Sin. S. 98980060

12.1698476

Log. TV 2.3829420, cui in canone quam proximè respondent $241^{\circ} 5'$.

P R O B L E M A VI.

147. Data altitudine corporis Opaci TS, una cum longitudine Umbræ TV; invenire altitudinem Solis supra Horizontem.

R E S O L U T I O.

Quoniam in triangulo STV ad T rectangulo dantur crura TV & TS, invenietur angulus V, qui metitur altitudinem Solis, inferendo (§. 38. Trigon.).

Ut longitudo Umbræ TV,
ad altitudinem Corporis Opaci TS;
ita sinus totus,
ad tangentem altitudinis Solis supra
Horizontem.

E. gr. Sit TS 30 pedum, TV $45'$; reperiatur TVS $33^{\circ} 41'$. Nempe

Log. TV 16532125

Log. TS 14771212

Log. Sin. Tot. 100000000

Log. Tang. TVS 9.8239087, cui in canone quam proximè respondent $33^{\circ} 41'$.

T H E O R E M A XXII.

148. Si altitudo Luminosi, v. gr. Solis

supra Horizontem TVS fuerit 45° ; longitudo Umbræ TV altitudini corporis Opaci TS equalis est.

D E M O N S T R A T I O.

Quoniam angulus ad T rectus est, si TVS fuerit 45° seu semirectus, etiam alter TSV semirectus erit (§. 241. Geom.), consequenter TV = TS (§. 253. Geom.). Q. e. d.

T H E O R E M A XXIII.

149. Longitudines Umbrarum TS & TV ejusdem corporis Opaci TS in plano Horizontali, pro diversa altitudine Luminosi, sunt ut cotangentes altitudinum Luminosorum.

D E M O N S T R A T I O.

Sint enim TZ & TV longitudines Umbrarum: erunt TZS & TVS altitudines Luminosi (§. 145). Quodsi TS sumatur pro sinu toto, erunt TZ & TV tangentes angulorum TSZ & TSV (§. 7. Trigon.), consequenter cotangentes altitudinum TZS & TVS (§. 11. Trig.). Sunt itaque Umbrarum longitudines ut cotangentes altitudinum. Q. e. d.

C O R O L L A R I U M I.

150. Quoniam cotangens anguli majoris minor est cotangente anguli minoris (§. 11. Trigon.); Luminoso ascidente Umbra decrescit.

C O R O L L A R I U M II.

151. Hinc Umbræ corporum meridianæ hieme longiores sunt quam estate, & singulis diebus Umbræ meridianæ breviores sunt antemeridianis & pomeridianis.

T H E O R E M A XXIV.

152. Si duorum Opacorum parallelo- Tab. II.
rum Fig. 21.

rum & ad Horizontem perpendicularium AB & DE Umbræ BC & DC eodem Radio AC, vel diversis æque-altis terminentur; altitudinibus Opacorum AB & DE, &, si Opaca fuerint ad linæam Horizontalem simili:er inclinata, etiam longitudinibus eorum proportionales sunt.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim DE est ipsi AB parallela, per hypoth. si Umbræ eodem Radio AC terminantur, erit in casu Opacorum perpendicularium ad Horizontem $CD : CB = DE : DA$ (§. 268. Geom.). *Quod erat primum.*

Quodsi vero fuerint Opaca AB & EF ad Horizontem BC inclinata, erit Tab. VII. *angulus ABC = EFC* (§. 233. Geom.) &, cum præterea angulus C utriusque triangulo ABC & EFC communis sit; $CB : CF = BA : FE$ & $CB : CF = AD : EG$ (§. 396 Geom.). *Quod erat secundum.*

Si Umbræ Radiis æque-altis AC & Tab. II. Ec terminentur; erunt in casu Opacorum AB & ED ad Horizontem perpendicularium in utroque triangulo ABC & EDC anguli B & D recti, anguli vero obliqui C & c æquales (§. 145), adeoque denuo $Dc : BC = DE : AB$ (§. 267. Geom.). *Quod erat tertium.*

Denique si Umbræ Radiis æque-altis Tab. VII. AC & Ec terminentur & plana AB at- Fig. 81. que EF ad Horizontem similiter inclinata; erit angulus ABC = EFc & $ACB = EcF$, consequenter cum $\triangle ABC \sim \triangle EFc$ (§. 267. Geom.), $BC : Fc = BA : FE = DA : GE$ (§. 396. Geom.). *Quod erat quartum.*

PROBLEMA VII.

153. *Mediante Umbra in planum Horizontale projecta, metiri altitudinem Tab. objecti cujuscunque Opaci, e. gr. Turris AB.* Fig.

RESOLUTIO.

1. In termino Umbræ Turris C baculo infixo, fune aut catenâ Horizontaliter extensâ metire longitudinem Umbræ AC (§. 126. Geom.).
2. Defigatur in terra baculus notæ altitudinis DE ad Horizontem perpendicularis, &
3. Investigetur ut ante longitudo Umbræ EF.

Dico esse $EF : AC = DE : AB$.

E gr. Sit $AC = 45'$, $ED = 5'$, $EF = 7$; erit $AB = 45 \cdot 5 : 7 = 32\frac{1}{7}$.

DEMONSTRATIO.

Quoniam ob ingentem distantiam Lunæ & Solis à Terra angulus F æqualis deprehenditur ipsi C, si baculus prope Turrim in Terra defixus Umbram EF projicit, Umbra Turris AC & baculi EF Radiis terminantur æque-altis (§. 145). Est ergo $EF : AC = DE : AB$ (§. 152). *Q.e.d.*

SCHOLION.

154. *Si alio Lumine, quam Solari aut Lunari, collustratum Objectum AB Umbram projiceret in C; baculus DE ita infigi debebet, ut ejus Umbra etiam in C terminaretur (§. 152).*

PROBLEMA VIII.

155. *Mediante Umbra, partim in planum Horizontale, partim in Verticale, hoc est, in planum ad prius perpendicularare*

culare projecta, altitudinem Objecti Opaci e.gr. Turris metiri.

R E S O L U T I O .

ab.II. I. Metire primum Umbram Horizontalem AK (§. 126. *Geom.*).
ig.23.

2. Pertica ad planum Verticale applicata, investiga altitudinem Umbræ Verticalis KL.

3. Hac in Terra ita defixa, ut nonnisi pars ipsi KL æqualis emineat, metire longitudinem Umbræ ejus.

4. Quoniam hæc addita Umbræ AK conficit longitudinem Umbræ à Turri projiciendam, remota domo MK; erit (§. 153), ut longitudine Umbræ perticæ ad longitudinem Umbræ Turris modo inventam, ita altitudo LK ad altitudinem Turris AB.

E. gr. Sit AK = 20', KL = 12', Umbra à pertica 12 pedum projecta = 8; erit AB = 28. 12 : 8 = 7. 6 = 42.

T H E O R E M A XXV.

156. *Æqualium Opacorum ad Horizontem perpendicularium Umbræ habent longitudines distantias suis ab eodem Luminoso vel Luminosis aque-altis proportionales.*

D E M O N S T R A T I O .

b.II. Sit EF longitudine Umbræ Opaci DE, BC longitudine Umbræ Opaci AB, & tam GH, quam AB & DE ad HF perpendicularares, crit BH distantia Opaci AB à Luminoso G & EH distantia Opaci DE ab eodem Luminoso G (§. 225. *Geom.*). Et quia tum AB, tum DE ipsi HG parallela (§. 256. *Geom.*); erit porro

AB:GH = BC:CH & DE:GH = EF:FH (§. 268. *Geom.*); consequenter ob AB = DE per hypoth. AB:GH = DE:GH (§. 168. *Arithm.*) ac ideo BC:CH = EF:FH (§. 167. *Arithm.*). Unde porro BH : BC = EH : EF (§. 193. *Arithm.*), adeoque tandem BH : EH = BC : EF (§. 173. *Arithm.*). Q.e.d.

C O R O L L A R I U M .

157. Luminoso igitur ad Opacum, vel Opaco ad Luminosum accedente, Umbra minuitur; recedente alterutro, augetur.

S C H O L I O N .

158. Ex diversa igitur longitudine Umbra- rum ejusdem Opaci in eadem altitudine Solis, Lunæ, Jovis ac Veneris supra Horizontem, colligere licet diversam eorundem à Terra distantiam: quamvis ad hanc diversitatem distinctè cognoscendam non sufficiat hæc methodus, ut ex Astronomia inferius constabit.

D E F I N I T I O XXX.

159. *Umbra recta est, quam proiec- cit corpus Opacum ad Horizontem per- pendiculare in planum Horizontale.*

S C H O L I O N .

160. Tales sunt Umbræ hominum erectiorum, edificiorum, montium, arborum.

D E F I N I T I O XXXI.

161. *Umbra versa est, quam proiec- cit Opacum perpendiculariter affixum piano ad Horizontem perpendiculari in hoc planum.*

S C H O L I O N .

162. *Talis est Umbra, quam projiciunt bra- chia hominis extensa: talis quoque est stylæ muro perpendiculariter infixi Umbra.*

T H E O R E M A XXVI.

163. *Umbra recta BF est ad altitu- Tab.II. dinem Fig. 25.*

dinem Opaci GF, ut cosinus altitudinis Luminosi DH ad sinum DE.

DEMONSTRATIO.

Quoniam BF est Umbra recta Opaci GF, per hypoth. erit GF ad BC perpendicularis (§. 159): & cum angulus B sit altitudo Luminosi (§. 145), erit DE sinus, DH vel BE cosinus altitudinis Luminosi (§. 2. 11. Trigon.), & DE etiam perpendicularis ad BC (§. 3. Trig.); consequenter DE ipsi GF parallela (§. 256. Geom.), adeoque BE: ED = BF: GF (§. 268. Geom.), hoc est, ut cosinus ad sinum altitudinis Luminosi, ita Umbra recta ad altitudinem Opaci. Q. e. d.

COROLLARIUM.

164. Jam cum sinus & cosinus æquales sint, altitudine Luminosi $\angle B$ 45 graduum existente (§. 241. 253. Geom.), in minore autem altitudine majores, in majore minores (§. 189. Geom.) ; patet Umbram rectam fieri in altitudine Luminosi 45° altitudini Objecti æqualem ; in minori altitudine vero majorem, in majori minorem, quorum prius jam supra (§. 248) demonstratum.

THEOREMA XXVII.

Tab. II.
Fig. 26. 165. Si altitudo Luminosi fuerit eadem, erit Opacum AC ad Umbram versam AD, ut Umbra recta EB ad Opacum suum DB.

DEMONSTRATIO.

Sint AC & EB ad AB perpendicularares, ducaturque recta EC. Quodsi CE fuerit Radius Luminosi; erit AD Umbra versa ipsius AC (§161) & EB Umbra recta ipsius DB (§. 159). Quare cum Verticales ad D sint æquales

(§. 156. Geom.); erit EB: DB = AC: AD
(§. 267. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

166. Quoniam Umbra recta ad Opacum suum, ut cosinus ad altitudinem Luminosi (§. 163); erit etiam Opacum ad Umbram versam, ut cosinus altitudinis Luminosi ad ejus sinum (§. 167. Arithm.), consequenter Umbra versa AD ad Opacum suum AC, ut sinus altitudinis Luminosi ad ejus cosinum (§. 173. Arithm.).

SCHOLION.

167. Idem quoque inde patet, quod per demonstrata angulus C sit altitudini Luminosi E æqualis. Quodsi enim CD sumatur pro sinu toto, erit AD sinus, AC cosinus altitudinis Luminosi (§. 2. 11. Trigon.).

COROLLARIUM II.

168. Si DB = AC seu longitudo Opacorum eadem; erit tum DB media proportionalis inter EB & AD (§. 156. Arithm.), hoc est, longitudo Opaci est media proportionalis inter Umbram ejus rectam & versam sub eadem Luminosi altitudine.

COROLLARIUM III.

169. Quando angulus C est 45° , sinus & cosinus æquales sunt, adeoque Umbra versa longitudini Opaci æqualis: quod idem de recta supra ostensum (§. 164.)

THEOREMA XXVIII.

170. Umbra recta est ad versam ejusdem Opaci, sub eadem altitudine Luminosi, in ratione duplicata cosinus ad sinum altitudinis Luminosi.

DEMONSTRATIO.

Est enim Umbra recta ad longitudinem Opaci, ut longitudo Opaci ad Umbram versam (§. 168); consequenter ut prima proportionalium ad tertiam

(§. 155).

(§. 155. *Arithm.*). Quamobrem Umbra recta ad Umbram versam est in ratione duplicata Umbræ rectæ ad longitudinem Opaci (§. 216. *Arithm.*), seu ut quadratum Umbræ rectæ ad quadratum longitudinis Opaci (§. 259. *Arithm.*). Est vero Umbra recta ad longitudinem Opaci, ut cosinus altitudinis Luminosi ad sinum ejusdem (§. 163); consequenter & quadratum illius ad quadratum hujus, ut quadratum cosinus altitudinis Luminosi ad quadratum sinus (§. 260. *Arithm.*). Ergo etiam Umbra recta ad versam, ut quadratum cosinus altitudinis Luminosi ad sinum ejusdem (§. 167. *Arithm.*); consequenter in ratione duplicata cosinus altitudinis Luminosi ad sinum ejusdem (§. 259. *Arithm.*)

Q. e. d.

S C H O L I O N.

171 Umbrarum rectarum & versarum usus est in Geodæsia: earum enim ope commode metimur altitudines tum accessibiles, tum inaccessas, etiam cum Corpus nullam Umbram proicit. Utimur autem Umbris rectis, quamdiu Umbra Corporis altitudinem ejus non excedit; Umbris autem versis, quando Umbra altitudine major: quod quomodo fiat, Problema sequentia exponunt.

P R O B L E M A I X.

172. Quadratum Geometricum confiducere, hoc est, Instrumentum, cuius ope ratio Umbræ rectæ atque versæ ad altitudinem Objecti investigari potest.

R E S O L U T I O.

II. I. Paretur quadratum ADGB vel ex orichalco, vel ex ligno, arbitriæ magnitudinis. Latus orichalcei communiter unius pedis; lignei vero

Wolfii Oper. Mathem. Tom. III.

- pedis unius cum dimidio esse solet.
2. Rectis AD & DG in 100 particulas æquales divisis (vel in plures, si majus fuerit; vel etiam in pauciores, si minus fuerit, e. gr. more veterum in 12) ducantur rectæ iis æquidistantes, & ad puncta divisionum singula ducantur inter eas rectæ versus centrum B convergentes.
 3. Ad latus AB aptentur pinnulae E & F; in centro vero B alligetur filum BH cum appenso pondere H.
 4. Denique ad latus DG, è regione minorum, scribatur Umbra recta; ad latus vero alterum AD Umbra versa: numerenturque partes Umbræ rectæ à G versus D; Umbræ versa ab A versus idem D.

Dico, si per pinnulas E & F in verticem Objecti collimes; centro B eidem opposito, partem lateris DG à filo abscessam esse ad latus integrum EG, uti Umbra recta est ad altitudinem Objecti; similiterque partem lateris AD ab eodem filo resectam esse ad latus integrum AD, uti est Umbra versa ad altitudinem Objecti, vel etiam latus integrum ad partem AD ab eodem filo resectam, ut Umbra recta ad altitudinem Objecti.

D E M O N S T R A T I O.

I. Concipiamus enim Radium visualem AC per pinnulas E & F transeuntem protendi usque in C donec longitudinem Umbræ rectæ BC definit & resecare in hoc instrumenti situ partem Umbræ rectæ GF. Quoniam Angulus E utriusque Triangulo EGF & EDC communis, Angulus F rectus (§. 98. *Geom.*), D itidem rectus (§. 215. *Mechan.*); erit

Tab.
III.
Fig. 28.

D GF

$GF : FE = DC : DE$ (§. 267. *Geom.*).
 Quoniam vero DE perpendicularis ad BC per demonstr. & AB Objecti altitudo per hypoth. ad eandem BC perpendicularis (§. 227. *Geom.*), adeoque DE ipsi AB parallela (§. 256. *Geom.*);
 $DC : DE = BC : AB$ (§. 268. *Geom.*),
 adeoque $GF : FE = BC : AB$ (§. 167. *Arithm.*). *Quod erat unum.*

Tab. II. Concipiamus similiter Radium vi-
 III. sualem AF continuari, donec in C Um-
 Fig. 29. bram rectam BC Opaci AB in hoc situ
 instrumenti definiat & filum EG rese-
 care partem Umbræ versæ HG . Quoniam
 angulus H rectus est (§. 98. *Geom.*)
 & D itidem rectus (§. 215. *Mech.*), ob-
 parallelisimum vero linearum HI & EF
 (§. 336. *Geom.*) $o = x$ (§. 233. *Geom.*);
 erit etiam $u = y$ (§. 246. *Geom.*), con-
 sequenter u altitudini Luminosi æqualis
 (§. 145.). Quodsi jam EG sumatur pro
 sinu toto, erit HG sinus (§. 2. *Trigon.*),
 HE cosinus (§. 11. *Trigon.*) altitudinis
 Luminosi. Est adeo HG ad HE ut sinus
 altitudinis Luminosi ad ejus cosinum;
 consequenter ut Umbra versa ad longitu-
 dinem Opaci (§. 166). *Quod erat alterum.*

III. Denique quoniam triangula
 HEG & DEC sibi mutuo æquiangula
 per demonstr. erit $EH : HG = DC : DE$
 (§. 276. *Geom.*). Et quoniam eodem
 modo, quo num. I. patet, esse $DC : DE$
 $= CB : BA$; erit etiam $EH : HG = BC$
 $: BA$ (§. 167. *Arith.*). *Quod erat tertium.*

Tertium infertur etiam hoc modo:
 Latus quadrati HE ad partem Umbræ
 versæ à filo resectæ HG , ut altitudo
 Objecti ad Umbram versam vi num. 3.
 Ergo etiam ut Umbra recta ad alti-
 tudinem Objecti (§. 164). *Q. e. d.*

SCHOLION.

173. Plerumque Quadratum Geometricum Tab.
 cum Quadrante conjungunt: quo in casu pre- Fig.
 terea opus est regula cum Dioptricis circa
 centrum B mobili.

PROBLEMA X.

174. Altitudinem accessibilem AB Ta-
 tam per Umbram rectam, quam versam, II
 metiri. Fig. 3

RESOLUTIO.

Statione in D ad arbitrium electa,
 & ejus ab altitudine AB distantia DB
 investigata (§. 126. *Geom.*) Quadratum
 Geometricum huc illucque vertatur, do-
 nec per pinnulas collineanti apex alti-
 tudinis A occurrat. Quodsi filum Um-
 bram rectam fecerit, inferatur:

Ut pars Umbræ rectæ resecta
 ad latus quadrati Geometrici,
 ita distantia stationis DB
 ad partem altitudinis AE .

Quodsi vero filum Umbram versam
 fecerit, inferatur:

Ut latus quadrati Geometrici
 ad partem Umbræ versæ resectam,
 ita distantia stationis DB
 ad partem altitudinis AE .

Cum adeo in utroque casu AE per re-
 gulam trium inveniri possit, si ipsi re-
 pertæ partem altitudinis BE , hoc est,
 in planicie Horizontali altitudinem Ocu-
 li tui addas; prodibit altitudo quæ sit
 integra AB .

E. gr. Sit $BD = EC = 36$; Umbra recta
 64. Quoniam latus quadrati est 100;
 erit $EA = 100 \cdot 36 : 64 = 56\frac{1}{4}$ pedum. Qua-
 re si addatur EB , quæ sit $5\frac{3}{4}$ pedum; pro-
 dibilis altitudo $AB = 62'$.

Sit $BD = EC = 188'$, Umbra versa 50:
 erit

erit $EA = 188.50 : 100 = 94'$. Quare si ad-datur $EB = 5\frac{3}{4}$ pedum; prodibit $AB = 99\frac{3}{4}$.

D E M O N S T R A T I O.

Quoniam EC ipsi BF parallela, per hypoth. erit $BF : BA = CE : EA$ (§.268. Geom.). Est vero etiam $BF : BA$, ut Umbra recta à filo resecta ad latus quadrati (§.172). Ergo ut Umbra recta à filo resecta ad latus quadrati, ita EC ad EA (§.167. Arithm.). *Quod erat unum.*

Porro latus quadrati est ad partem Umbræ versæ à filo resectam, ut Umbra recta ad altitudinem AB (§.172). Ergo etiam ut CE ad EA , per demonstrata. *Quod erat alterum.*

C O R O L L A R I U M.

175. Quodsi ergo filum in diagonalem quadrati cadit; erit $EC = EA$, seu altitudo Objecti, demta altitudine Oculi, est distantia ab Objecto æqualis.

P R O B L E M A X I.

ab. II. g 30. 176. Metiri altitudinem inaccessam per Umbram rectam, itemque per Umbram versam.

R E S O L U T I O.

1. Eligantur duæ stationes in D & H investigeturque distantia DH vel CG (§.126. Geom.).
2. Observetur, ut in Problemate præcedente, quamnam partem Umbræ vel rectæ, vel versæ in quadrato Geometrico filum resecet.
3. Quodsi filum in utraque statione Umbram rectam fecet, inferatur. Ut differentia Umbrarum rectarum in utraque statione designatarum ad latus quadrati;

ita distantia stationum GC
ad altitudinem EA.

4. Si filum in utraque statione Umbram versam fecet, inferatur:
Ut differentia Umbrarum versarum in utraque statione designatarum ad Umbram versam minorem; ita distantia stationum GC ad intervallum GE.

Quo dato, ope Umbræ versæ in G repertæ, altitudinem EA invenies ut in Problemate præcedente.

5. Si denique filum in prima statione G fecet Umbram rectam, in altera C Umbram versam; inferatur:
Ut differentia facti ex Umbra recta in versam à Quadrato lateris Quadrati ad factum ex latere Quadrati in Umbram versam;
Ita distantia stationum GC ad altitudinem quæsitam AE.

E. gr. Sit in casu primo distantia stationum GC = 25, Umbra recta in G 20, in C 35; erit $EA = 25.100 : (35 - 20) = 166\frac{2}{3}$. Sit in casu secundo distantia stationum GC = 200, Umbra versa in G 66, in C vero 33; erit $EG = 33.200 : 33 = 200$. Unde per Problema præcedens reperitur $EA = 66.200 : 100 = 132$.

Sit in casu tertio distantia stationum GC = 150, Umbra recta in G = 88, Umbra versa in C = 60; $EA = 100.60.150 : (10000 - 60.88) = 190\frac{40}{79}$ seu fere 191.

D E M O N S T R A T I O

- Est enim ut Umbra recta in G ad latus quadrati, ita EG ad EA, & ut Umbra recta in C ad latus quadrati, ita CE ad EA (§.174); adeoque Umbra recta in G ad Umbram rectam in C,

ut GE ad CE (§. 195. *Arithm.*) ; con sequenter ut differentia Umbrarum rectarum ad Umbram rectam in G , ita distantia stationum GC ad GE (§. 193. *Arithm.*). Quare cum etiam sit ut Umbra recta in G ad latus quadrati , ita EG ad EA (§. 174) ; erit ut differentia Umbrarum rectarum ad latus quadrati , ita distantia stationum GC ad altitudinem EA (§. 194. *Arithm.*). *Quod erat primum.*

Porro ut latus quadrati Geometrici ad Umbram versam in G , ita GE ad EA , & ut latus quadrati ad Umbram versam in C , ita CE ad EA (§. 174). Ergo Umbra versa in G est ad Umbram versam in C , ut CE ad EG (§. 200. *Arithm.*) , consequenter differentia Umbrarum ver-

farum est ad Umbram versam in C , ut distantia stationum GC ad distantiam stationis primæ ab altitudine quæsita EG (§. 193. *Arithm.*). *Quod erat secundum.*

Denique sit Umbra recta in $G = r$, versa in $C = v$, $GC = d$, $EG = x$: latus quadrati = l erit ob $r : l = x : EA$ & $l : v = d + x : EA$ (§. 174).

$$\begin{aligned} lx : r &= (vd + vx) : l \\ lx &= rvd + rvx \\ lx - rvx &= rvd \\ x &= rvd : (l - rv) . \end{aligned}$$

Quare cum sit $EA = lx : r$ per demonstr. valore ipsius x substituto , reperitur $EA = lvd : (l - rv)$, consequenter $l^2 - rv : lv = d : EA$. *Quod erat tertium.*

C A P U T I V.

De Coloribus.

DEFINITIO XXXII.

177. *Radius rubeus* est , qui efficit sensum coloris rubri. *Radius flavus* est , qui efficit sensum coloris flavi. Unde patet , quinam porro dicantur *virides* , *cærulei* , *violacei* aut alio modo colorati.

SCHOLION.

178. Si Radii Luminis à Corporibus illuminatis reflexi eodem modo Oculum afficerent , fieri sine nullo modo posset , ut aliorum color appareret ruber , aliorum flavus , aliorum viridis , aliorum cæruleus , aliorum violaceus & ita porro (§. 43). Alia igitur esse debet dispositio Radiorum , qui efficiunt ; ut Objecta vi-

deantur rubra ; alia vero eorum , qui Objecta exhibent flava , viridia , cærulea , violacea , vel alio colore tincta. Quamvis autem à proposito nostro alienum existimemus ut inquiramus , in quonam dispositio illa consistat ; nil tamen obstat , quominus per eam , licet obscure cognitam , doctrinæ gratia Radios distinguamus & hoc intuitu alios rubeos , alios flacos , alios virides &c. appellemus.

DEFINITIO XXXIII.

179. *Refrangibilitas Radiorum* est dispositio patiendi refractionem.

DEFINITIO XXXIV.

180. *Refrangibilitas major* est dispositio ad majorem refractionem sub eodem

dem angulo incidentiæ. Minor vero est dispositio ad minorem refractionem sub eodem angulo incidentiæ.

DEFINITIO XXXV.

181. Reflexibilitas Radiorum est dispositio patiendi reflexionem.

DEFINITIO XXXVI.

182. Reflexibilitas major est dispositio ad majorem reflexionem sub eodem angulo incidentiæ. Reflexio autem major censetur, si Radii aut copiosiores aut citius in totum reflectuntur.

OBSERVATIO IX.

183. Si Radius Luminis per exiguum foramen rotundum, cuius latitudo quartam digiti partem haud excedit, in conclave obscurum intromissa Prismate vitro trigono ABC ita excipiatur, ut prope angulum C per illud transeat; in charta alba EF colores Iridis vivacissimi conspicuntur, nempe in F rubeus, deinde flavus, proxime viridis, postea cœruleus, & tandem purpureus seu violaceus. In quacunque à Prismate distantia Lumen excepis charta aut corpore alio; iidem constanter apparebunt colores. Quemadmodum vero hoc Lumen coloratum per lineas rectas instar reliqui propagatur; ita quoque à Speculo reflectitur & per Lentem vitream convexam refringitur, suoque colores tam post reflexionem, quam refractionem retinet. Cum tamen Radii in foco coarciantur, in Lumen splendidum degenerant, mox, ubi post focum rursus divergunt, colores pristinos recuperantes; Neque injucundum est, spectare particulæ in aere volitantes eodem colore resplen-

dentes, quo imbuti sunt Radii ipsas illustrantes. Nempe in Lumine viridi virides, in cœruleo cœruleæ, in rubro rubræ apparent & coloratae splendorem retinent.

COROLLARIUM I.

184. Cum Lumini in transitu per Prismam accidat, nisi quod refringatur tum in ingressu, tum in egressu (§. 54) (utraque refractione Oculis ipsis admodum distincte obvia, dum Experimentum capit) ; per solam refractionem Lumen in colores mutari potest.

COROLLARIUM II.

185. Quoniam Radii colorati adhuc per lineas rectas propagantur, si à Speculis reflectantur, immo etiam in Lentibus vitreis refringantur (§. 183); omnes Luminis proprietates retinent (§. 46. 51. 54), consequenter adhuc Lumen sunt.

COROLLARIUM III.

186. Et quia Radii colorati post focum invertuntur, suumque colorem statim recuperant, quem ante focum habuerant (§. 183); in foco decussantur, adeoque invicem permiscentur, consequenter Radii colorati, speciatim rubei, flavi, virides, cœrulei, purpurei seu violacei, sub conveniente proportione commixti Lumen album resplendens generant.

COROLLARIUM IV.

187. Radii colorati non mutantur, etiamsi à Corporibus Opacis reflectantur. Reflexio igitur eorum dispositionem non immutat.

SCHOLION I.

188. Idem colores comparent, si Radius Solis LM oblique incidat in Vitrum conicum HKI. T. I. Fig. 5.

SCHOLION II.

189. Experimentum quidem succedit, etiamsi conclave non fuerit obscurum; in obscuro tamen colores non modo clariores, verum etiam magis distincti apparent.

OBSERVATIO X.

190. *Prisma DEF ita collocetur, ut Tab. refractioes Luminis ad ingressum & III. egressum sint inter se aequales: id quod Fig. 32. obtinetur, si illud circa axem lente convertas, donec Lumen coloratum, quod nunc ascendit, nunc descendit, inter ascensum & descensum stationarium videatur. Hunc enim situm convenientissimum judicat vir summus NEWTONUS (a). In medio spatio inter Prisma DEF & Lumen coloratum in pariete depictum NO (§. 183) collocetur Prisma alterum GH, quod excipiat Lumen coloratum LM sibi parallelum. Post alteram refractionem in hoc secundo Prismate factam, Lumen coloratum in pariete depictum IK inclinabitur ad simile Lumen NO, quod remoto Prismate GH ibidem cernitur, ita ut extremitates cœruleæ N. & I longiori intervallo à se invicem distant rubris O & K.*

COROLLARIUM I.

191. Necesse igitur est, ut Radii cœrulei magis refringantur quam rubri, & dispar etiam sit refractio in Radiis intermediis.

COROLLARIUM II.

192. Radii igitur Luminis Solaris non ejusdem sunt refrangibilitatis (§. 179); consequenter cum ratio diversæ refrangibilitatis intrinseca sit, nec ejusdem naturæ.

OBSERVATIO XI.

193. *Si fascia chartæ oblongæ & rigidae, lateribus inter se parallelis definitæ, cujus dimidia pars colore rubro, altera cœruleo infecta, filum serici nigrum atque tenuem aliquoties circumvolvas & ante eam in situ ad Horizontem perpen-*

(a) Optic. Lib. I. Part. I. Prop. 2. p. 23. Edit. Lat. sec.

diculari collocatam candelam accensam statuas, tandem in distantia 6. circiter pedum Lentem vitream totidem fere pedum, eamque utrinque convexam & uncias circiter 4 $\frac{1}{4}$ latam, opponas, ut chartæ coloratæ Imago post eam in charta alia alba depingatur (§. 61); animadvertes, ubi Imago cœrulea distincta comparet, ibi confusam esse rubram, ita ut fila sericea vix discerni possint & contra; majoremque requiri distantiam chartæ albae à Lente, si rubra Imago distincta esse debet, quam ubi cœruleam distinctam desideraveris.

COROLLARIUM.

194. Quoniam Imago ibi videtur distincta, ubi Radii ab uno Objecti punto emanantes in uno iterum uniuntur (§. 75. 76.); Radii cœrulei citius convergunt, quam rubri (§. 83. Geom.). Majorem igitur refractionem patiantur necesse est (§. 39.) consequenter Radii ab Objectis diversimode coloratis reflexi non sunt æque refrangibiles (§. 180).

OBSERVATIO XII.

195. *Si Prisma DFE, cujus anguli D & E semirecti, foramini C ita obiciatur, ut Lumen coloratum à basi in G reflectatur; primo Lumen cœruleum HG totum reflecti observabitur, cum reliquum adhuc in IK refringetur, & ultimo tandem loco reflectetur rubrum.*

COROLLARIUM I.

196. Radii igitur diversi coloris differunt gradibus reflexibilitatis (§. 181).

COROLLARIUM II.

197. Et quoniam Lumen cœruleum celerius reflectitur ceteris, rubrum vero tardissime omnium (§. 195); Lumen cœruleum reflexibilis est ceteris, rubrum vero reflexibilitatem minimam habet (§. 182).

COROLLARIUM III.

198. Sunt igitur iidem Radii magis reflexibles, qui magis refrangibiles existunt (§. 191).

SCHOLION I.

199. Refrangibilitatis & reflexibilitatis diversitatem ignorarunt Philosophi, donec eandem in apricum produceret vir ingeniosissimus magnoque suo merito celeberrimus ISAACUS NEWTONUS (a). Ab anno 1675. in Transactionibus Anglicanis eam cum eruditis communicavit & ab objectionibus nonnullorum ita vindicavit, ut ipsi Antagonistæ sibi satisfactum esse confiterentur (b). Demum clarius eandem exposuit & magna Experimentorum copia confirmavit in præclaro Optices Operे. Ac postea eadem Experimenta coram Societate Regia repetit, MONMORTIO Gallo tunc in Anglia agente, aliiisque ex Academia Regia Scientiarum Parisina presentibus, CEL. DESAGULIERIUS (c) Describit quoque eadem experimenta CEL. GULIEL. JAC. 's GRAVESANDE, & modum eadem facile repetendi exponit, omni apparatu huc necessario accurate descripto (d). Id vero palmarium est in hac doctrina, ut evincatur, Radios sua natura esse diversimode refrangibiles nec coloratos in aliud Lumen iterata refractione transmutari posse: quod ut ostendatur, Radios Luminis heterogeneos à se invicem separari neceſſe est, quemadmodum Problemate sequente docetur.

PROBLEMA XII.

200. Luminis Solaris Radios heterogeneos à se invicem separare.

RESOLUTO.

Tab. VII. 1. Per parvulum operculi fenestræ foramen rotundum F v. gr. $\frac{1}{10}$ unius digitii in Cameram obscuram contra

(a) Transact. Anglic. n. 80. p. 307. it. n. 83. p. 406. & seqq. &c.

(b) Vid. Transact. Anglican. 85. p. 5018.

(c) Transact. Anglic. Num. 348. p. 433. & seqq.

(d) In Physl. Element. Mathem. Tom. 2. c. 19. 20. p. 84. & seqq.

omnem Luminis accessum optimè munitam immittatur Radius Solis. Quodsi Lumen coloratum latius desideres, foramen præstat esse oblongum, v. gr. ut longitudo sit digitii unius vel duorum, latitudo vero $\frac{1}{10}$ vel $\frac{1}{20}$ ejusdem digitii.

2. In distantia decem vel duodecim pedum excipiatur is Lente convexa MN, Imaginem Solis I in distantia sex, octo, decem duodecimve pedum delineatura, pro diversa ejus forma, juxta ea, quæ in Dioptricis demonstranda hic tanquam à posteriori nota supponi possunt (§. 75).
3. Pone Lentem collocatur Prisma ABC, quod Lumen per illam transmisum refractione transmutat in Imaginem Solis oblongam & coloratam pt (§. 183). eadem fere distantia charta alba excipiendam, qua Imago rotunda num. 2. excipiebatur, huc tamen illucve movenda, donec rectilinea Imaginis latera quam maxime distincta appareant.

Aliter.

1. Formam majus, cuius latitudo 2 circiter pollicum lamina metallica minatur, in quo nonnisi exiguum admodum sit foramen F, veluti $\frac{1}{10}$ unius digitii.
2. Quodsi Radius Luminis per id in Cameram obscuram incidens fuerit admodum declivis, ope speculi B ita reflectatur, ut pavimento sit ad sensus parallelus, quo citra inclinationem ad ipsum longius progressiatur, & ad corrigendam irregularitatem reflexionis excipiatur tabu-

Tab.
III.

Fig. 83.

tabula T ad libitum attollenda, vel deprimenda, donec is transeat per foramen $f \frac{1}{16}$ unius digiti.

3. Radius per foramen f transiens excipiatur Lente utrinque convexa L in distantia diametri convexitatis, veluti 9 pedum, si Radius fuerit $4\frac{1}{2}$ pedum.
4. Pone Lentem L statuatur Prisma P eo situ, ut axis sit ad Horizontem perpendicularis & Radius per Lentem refractus nova refractione in Prismate facta abeat in Imaginem coloratam oblongam.

Dico Lumina heterogenea ita à se invicem esse separata, ut singula Lumina colorata pro simplici Lumine haberi possint: id quod per sequens Experimentum à posteriori patet, & ex superioribus cum NEWTONO ita ostenditur.

DEMONSTRATIO.

Quoniam spectrum oblongum coloratum, quod vi primæ refractionis prodit, secunda refractione in latus facta, non fit Imago quadrata, sed priori similis, situ tantummodo inclinato (§. 190); evidens est Lumen secunda refractione non æque in latitudinem, quemadmodum prima in longitudinem extendi. Quoniam latitudo Imaginis ea est, quæ Solis diametro respondet, & lateribus parallelis excurrentibus superiori ac inferiori parte arcu convexo terminatur; porro hinc colligitur, Imaginem oblongam ex tot constare circulis seu Imaginibus rotundis, quot sunt colores diversi, & secunda refractione, cum similis prorsus prodeat priori Imago, uniuersumque circulum uniformi re-

fractione tantummodo alio transferri. Enimvero si majores fuerint circuli, foramine ampliori existente invicem confunduntur, ut Lumen adhuc compositum sit. Quodsi vero diametri minuantur, foramine imminuto, centrum situ atque distantiis minime mutatis circuli minores non amplius, quemadmodum ante, confunduntur, ut minimum circa centrum cujuslibet circuli prodire debeat Lumen satis simplex, præsertim ubi Lente utaris ad penumbram auferendam. Atque ita patet utroque, quem exposuimus modo, Lumina heterogenea à se invicem separari. Q.e.d.

OBSERVATIO XIII.

201. Quodsi Imago colorata per Problema precedens facta, Radiorum separatione prodiens, tabella inter latera sustentaculi sursum deorsum mobili excipiatur & per exiguum foraminulum Lumen unius coloris solum transmissum ope Prismatis secundi denuo refringatur, Imago charta alba excepta est rotunda & ejusdem coloris sive Oculo nudo, sive per Prisma ipsam intuenti appareat, qui solus per foramen transmittebatur; nisi quod Lumen rubrum altissimo, cœruleum infimo loco compareat. Ceterum Experimentum eodem successu instituitur, si Radius declivis Luminis per foramen, cuius diameter est digiti dimidi, in cameram obscuram immensus per Prisma in sustentaculo circa axem suum volubile in aliud reflectatur & in eo refractum, ut Imago prodeat colorata, per foramen tabule inter ejusdem sustentaculi, quod Prisma alterum circa axem volut-

volumine continet, latera sursum deorsum mobilis, cuius diameter non nisi $\frac{1}{8}$ unius digiti, transmittatur; spectrum vero coloratum ut ante in distantia 10 aut 12 pedum excipiatur.

COROLLARIUM I.

202. Quoniam Lumina colorata à permixtione separata nullâ refractione amplius mutantur, sed eundem constanter colorem retinent; evidens est omne Lumen homogeneum proprium habere colorem & Lumina illa, qualia per Prismata prodeunt, esse simplicia, atque eorum colores esse colores primarios, quorum permixtione prodeunt colores compositi.

COROLLARIUM II.

203. Nullus adeo color ex modificatiōnibus Luminis oritur; colores vero permanentes Corporum inde sunt, quod alia Corpora alias Radios copiosius reflectant.

SCHOLION I.

204. Hinc videoas nullo alio Lumine collustrata magis resplendere cœrulea, quam cœruleo; nec rubra magis quam rubro, ac ita porro.

SCHOLION II.

205. Equidem industrius Naturæ scrutator MARIOTTUS factò accuratè Experimento se observasse profitetur, cum in distantia 30 circiter pedum colorem violaceum, qui majus quam 3 linearum spatium occupabat, per crenam duarum linearum trajectum Prismate alio valde oblique opposito exciperet, quan-

dam ejus partem in colorem cœruleum & rubrum transmutatum fuisse, hincque falsitatem Theoræ NEWTONIANÆ concludit (a). Enimvero cum non totum Lumen violaceum in alios diversos colores abierit; id saltem inde colligitur, separationem Radiorum diversis coloribus imbutorum in prima refractione non fuisse absolutam: id quod Experimendo præsenti conforme, minime autem Experimentum istud ad Theoriam illam funditus evertendam facit, quemadmodum visum iis, qui Radiorum heterogeneorum separationem NEWTONIANAM ignorarunt.

SCHOLION III.

206. Enimvero ut Corpora hos Radios facilius quam alios reflectant; ab ipsorum textura derivandum. Videmus enim mutata textura Corporum, mutari quoque colorem. E. gr. si frustulis Ligni Nephritici aquam limpidam affundas, intra 24 circiter horarum spatium extrahetur color, qui Oculo inter Lumen seu fenestram & tinturam posito intense cœruleus minimeque perspicuus appareat; tintura autem inter Lumen seu fenestram & Oculum collocata, perspicuus & ruber videtur. Quodsi Olei Vitrioli guttas aliquot instillaveris, quod vi corrosiva particulas ex Ligno extractas dissolvit texturamque tinturæ variat; color ex omni parte flavus est. Si vero Oleum Tartari per deliquium affuderis, quod massulas dissolutas iterum coagulat, color pristinus anceps reddit. Sed quoniam hac & innumera alia Physicæ sunt considerationis, ideo ea non persequimur; suo loco eadem reservantes.

C A P U T V.

De Visione Magnitudinis.

DEFINITIO XXXVII.

b. 207. *Angulus Opticus seu Visorius*
I. ABC est, quem intercipiunt
34. *Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.*

Radii AB & BC ab extremis Objecti Punctis in centrum Pupillæ ducti.

E DEFI-

(a) *Essay de la Nature des Couleurs.* pag. 207.
& seqq.

DEFINITIO XXXVIII.

208. Magnitudinem apparentem appello, quam Angulo Optico metimur.

AXIOMA V.

209. Quæ sub eodem vel æquali Angulo videntur, æqualia apparent. Quod vero videtur sub majori, id apparent majus: quod sub minori videtur, minus apparent.

SCHOLION.

210. Hæc Propositio ab Opticis instar Axiomatis assumitur, quia innumeris Experiendiis confirmari potest. Sane Sol & Luna, quia sub Angulo ad sensum æquali videntur, æquales apparent. Unde etiam Astronomi magnitudinem apparentem stellarum ex Angulo Optico astigmarē solent. Nec ratione caret. Etenim Objecta videntur æqualia, si Imagines in Oculo æquales sunt, & illud majus est altero, cuius imago in Oculo delineatur major. Si autem Angulus Opticus idem est, ex principiis Dioptricis demonstrari potest, Imagines quoque in Retina æquales esse. Ex iisdem constat, Imaginem esse majorem, si Angulus Opticus major; minorem vero, si is minor extiterit.

THEOREMA XXIX.

Tab. 211. Idem Objectum DF in vicinia III. majus apparent, quam è longinquō.

Fig. 35.

DEMONSTRATIO.

Aut enim crura Anguli CAH, sub quo videtur Objectum CH è longinquo, cadunt in crura Anguli DAF, sub quo idem videtur in distantia minore, aut extra crura hujus Anguli, aut intra eadem. Intelligatur itaque HC ipsi DF parallelæ & CH=DF, vi hypoth. ex A vero demissa ad DE perpendicularis AE, quæ eadem erit ad CH perpendicularis (§. 230. Geom.). Quodsi AC caderet in

AD, & AH in AF; tum foret ob $\triangle DAF \sim CAH$ similia (§. 268. Geom.) $AE:AB = DF:CH$ (§. 296. Geom.); consequenter ob $AE < AB$ per hypoth. $DF < CH$ contra hypothesis. Crura igitur Anguli CAH non cadunt in crura Anguli DAF, multo minus extra ea cadere possunt. Cadunt adeo intra crura Anguli DAF, consequenter Angulus CAH $<$ DAF, hincque Objectum idem è longinquō minus apparent, quam in vicinia (§. 209). Q.e.d.

THEOREMA XXX.

212. Magnitudines apparentes Objecti ADC & ABC sunt in ratione minore quam distantia DG & BG reciproce; in majoribus tamen distantiis sunt ad sensum ut distantiae istæ reciproce.

DEMONSTRATIO.

Ponamus magnitudinem apparentem fieri subduplam; erit $o = 2x$ (§. 208). Est vero $o = x + y$ (§. 239. Geom.). Ergo $x = y$, consequenter $DC = DB$ (§. 253. Geom.). Quare cum BG sit distantia ab Oculo per hypoth. adeoque Angulus ad G rectus (§. 225. 78. Geom.); $DC > DG$ (§. 220. Geom.); consequenter $DB > DG$ (§. 89. Arithm.) & hinc $BG > 2DG$ (§. 90. Arithm.). Quoniam igitur $o:x = 2DG:DG$ per demonstr. BG ad DG rationem majorem habet quam o ad x (§. 203. Arithm.), seu quod perinde est, o ad x rationem minorem habet quam BG ad DG. Quod erat unum.

Quodsi distantia DG augeatur, donec Angulus o paucorum minitorum secundum

cundorum fiat, Anguli m & n ad sensum non different (§. 241. *Geom.*), adeoque nec $DC \approx DG$ (§. 253. *Geom.*) consequenter nec $DB = DC$ per demonstr. à DG ad sensum differre potest (§. 87. *Arithm.*). Est adeo $BG = 2DG$ & hinc ut BG ad DG ita o ad x . *Quod erat alterum.*

THEOREMA XXXI.

^{ab.}
^{II.}
^{3.34.} 213. Cotangentes magnitudinum apparentium dimidiarum o & x ejusdem Objecti AC, sunt ut distantia DG & BG .

DEMONSTRATIO.

Quoniam Angulus n rectus est (§. 225. *Geom.*); si GC sumatur pro sinu toto, erent GD & GB tangentes Angulorum GCD & GCB (§. 7. *Trigon.*), hoc est, cotangentes dimidiorum Angulorum o & x (*§ Trigon.*). Est itaque cotangens ipsius o ad cotangentem ipsius x , ut DG ad GB . *Q. e. d.*

PROBLEMA XIII.

^{ab.}
^{II.}
^{3.34.} 214. Data magnitudine apparente dimidia ABG , una cum distantia BG ; dimidiam magnitudinem veram AG invenire.

RESOLUTIO.

Quoniam Angulus ad G rectus est (§. 225. *Geom.*), reperietur AG , inferendo (§. 40 *Trigon.*)

ut sinus totus

ad tangentem dimidiæ magnitudinis apparentis ABG ,

ita distantia BG

ad dimidiæ magnitudinem veram AG .

Eadem BG invenitur inferendo (§. 36. *Trigon.*)

Ut Cosinus magnitudinis apparentis dimidiæ ABG
(hoc est, sinus Anguli BAG)
ad sinum ejusdem;
ita distantia BG
ad magnitudinem veram dimidiæ AG .

E. gr. Sit $ABG = 15^\circ$, BG 30 pedum; erit

Log. sin. tot. 100000000

Log. tang. ABG 94280525

Log. BG 14771212

Log. AG -0.9051737,

cui in Canone quam proxime respondent
 $8'0''4''$.

Aliter.

Log. Cosin. ABG 99849438

Log. Sin. ABG 94129962

Log. BG 14771212

Logg. Summa 108901174

Log. AG 0.9051736

qui cum ante invento idem est.

COROLLARIUM.

215. Quodsi ABG ponatur dimidii scrupuli secundi & BG 6 digitorum; cum tangentis dimidii scrupuli secundi sit 24, reperitur $AG = \frac{144}{10000000}$ adeoque $CG = \frac{288}{10000000}$, hoc est, fere $\frac{1}{34722}$ (§. 227. *Arithm.*), adeoque minor quam $\frac{1}{30000}$ unius digitii. Unde assumere licet, Objecta, quæ sub Angulo unius minutis secundi videntur, non amplius apparere, sed instar Punctorum ab Oculo exhiberi.

SCHOLION.

216. Si sinus totus sit 10000000, sinus 10 scrupulorum secundorum vi Canonis majoris PISTICI est 484. Unde sinus dimidii scrupuli 24 (§. 23. *Trig.*); consequenter cum tangentis unius minutis in istiusmodi particulis à sinu non amplius differat, teste Canone Sinuum &

Tangentium communi, etiam Tangens dimidii
scrupuli secundi est 24.

PROBLEMA XIV.

Tab. 217. Data dimidia magnitudine ve-
III. ra AG, una cum distantia ab Oculo BG;
Fig. 34. invenire magnitudinem apparentem di-
midiam ABG.

RESOLUTIO.

Cum in Triangulo ABG dentur, præ-
ter rectum G (§. 225. Geom.), latera AG
& BG, invenitur cosinus magnitudinis
apparentis ABG hoc est, sinus Anguli
BAG (§. 38. Trig.).

Exemplum est inversum præcedentis.

COROLLARIUM.

218. Quodsi ergo Objectum aliquod tan-
to intervallo removeatur ab Oculo, cui di-
recte opponitur, donec ob imminutam con-
tinuò magnitudinem apparentem visui sub-
ducatur & distantia ab Oculo mensuretur;
per Problema præsens definietur magnitudo
apparens seu Angulus Visorius, quem illud
subtendit, ubi instar Puncti appetat.

PROBLEMA XV.

Tab. 219. Data dimidia magnitudine ve-
III. ra AG; invenire distantiam BG, ad
Fig. 34. quam sub dato Angulo ABG videtur.

RESOLUTIO.

Quoniam in Triangulo ABG, præter
rectum G (§. 225. Geom.), datur etiam
Angulus ABG, una cum crure AG, in-
venitur basis BG (§. 36. Trig.).

E. gr. Sit AG 30 pedum, ABG 25°;
erit

Log. sin. ABG	9.6259483
Log. sin. BAG	9.9572757
Log. AG	1.4771212
	11.4343969
Log. BG	1.8084486, cui in Ta.

bulis quam proximè respondent 64'3"3".

Quodsi BG sumatur pro sinu toto,
erit AG tangens Anguli ABG, adeo-
que reperitur etiam BG inferendo: ut
Tangens Anguli ABG, ad sinum totum;
ita AG, ad BG.

COROLLARIUM.

220. Quodsi Angulus ABG fiat dimidii
scrupuli secundi, definietur distantia, ad
quam Objectum integrum AC instar Puncti
apparere, adeoque non amplius videri de-
bet (§. 213).

SCHOLION.

221. Quodsi per Experientiam (§ 217) de-
finiatur Angulus, sub quo desinit Visio distinc-
ta Objecti; per præsens Problema determinari
potest distantia, in qua Visio Objecti distincta
esse desinit, ita ut non amplius discerni possit.
Quamvis autem distincta sensim sensimque
esse desinat Visio, neque adeo in puncto fiat;
in Praxi tamen seligendum est Punctum, ubi
non amplius Objectum discerni possit, nec sum-
ma in hisce talibus accuratione opus est.

THEOREMA XXXII.

222. Que sub eodem Angulo CAH
videntur GI & CH, habent magnitu-
dines distantiarum AE & AB proportiona-
les.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim GI ipsi CH parallela
per hypoth. erit $o = x$ (§. 233. Geom.),
adeoque Triangula GAI & CAH simi-
lia sunt (§. 267. Geom.). Quare cum AB
sit ad CH (§. 225. Geom.), adeoque
etiam ad GI (§. 230. Geom.) perpendicularis;
erunt AE & AB altitudines
Triangulorum GAI & CAH (§. 227.
Geom.), consequenter $GI:CH = AE:AB$
(§. 396. Geom.). Q. e. d.

PROBLEMA XVI.

223. Invenire distantiam AB, ad quam ab Oculo removendum est Objectum magnitudinis datae CH, ut videatur tanta magnitudinis, quanta apparet GI in distantia data AE.

RESOLUTIO.

Quoniam $GI : CH = AE : AB$ (§. 122); datis GI, CH & AE, reperitur AB per Regulam trium (§. 302. Arithm.).

E. gr. quæritur, ad quam distantiam ab Oculo removeri debeat Objectum 30 pedum, ut appareat æquale Objecto 6 pedum, quod videtur in distantia 20 pedum.

Quoniam $GI = 6$, $CH = 30$, $AE = 20$: erit $AB = 20 \cdot 30 : 6 = 100$.

PROBLEMA XVII.

224. Invenire altitudinem BD supra lineam Horizontalem BH per Oculum A positione datum ductam, in qua elevari debet Objectum datae altitudinis DE, ut tantum appareat quantum Objectum aliud altitudinis similiter datae BC in data distantia Oculi AB.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

I. Quoniam in Triangulo ABC ad B rectangulo (§. 225. Geom.) datur distantia Oculi AB & altitudo Objecti BC, cui æqualis apparere debet altitudo Objecti elevandi DE; Angulus BAC, sub quo in A videatur Objectum BC, reperiri potest (§. 40. Trigon.): cui æqualis est DAE (§. 209).

2. Concipiatur jam Circulus transiens per puncta A, D & E, cuius centrum sit in G; erit Angulus DGE duplus Anguli DAE modo inventi

(§. 313. Geom.). Quare si ex centro G demittatur perpendicularis GF; erit $DF = \frac{1}{2} DE$ & $DGF = \frac{1}{2} DGE$ (§. 184. Geom.) = DAE. In Triangulo igitur rectangulo DFG ad F rectangulo, datis Angulis & latere DF, reperiuntur latera FG & DG (§. 36. Trig.).

3. Demittatur ex centro G ad BO perpendicularis GH: cum etiam sit FB ad BO perpendicularis per hypoth. erit GH parallela ipsi FB (§. 256. Geom.) adeoque perpendicularares GF & BH inter GH & FB interceptæ æquales sunt (§. 226. Geom.). Quare si ex FG paulo ante inventa subtrahatur distantia Oculi BA, relinquetur AH.
4. In Triangulo itaque AGH ad H rectangulo, datis AH & AG = DG (§. 40. Geom.), reperitur GH (§. 417. Geom.).
5. Quoniam denique ipsi GH æqualis est FB per demonstr. si inde subtrahatur dimidia altitudo Objecti elevandi FD; relinquetur altitudo quæsita BD. Q. e. f. & d.

E. gr. Sit distantia oculi AB 8' & quæratur altitudo, in qua elevari debeat Objectum altitudinis 9 pedum; ut apparet 5 pedum: erit BC 5 & DE 9', adeoque DF 45''. Inferatur ergo;

Log. AB	0.9030900
BC	0.6989700
Sin. tot.	100000000

Tang. BAC 9.7958800, cui in Tabulis quam proxime respondent 32°.

Est igitur Angulus DGF 32°. Quare cum ad F sit rectus & DF 45''; inferatur porro:

Log. sin. DGF	97242097
Log. DF	16532125
Log. sin. tot.	100000000
Log. DG	1.9290028
Log. sin. tot.	100000000
Log. DG	1.9290028
Log. Cosin. DGF	99284205
Log. GF	* 1.8574233

Est igitur $DG = AG \approx 85''$ & $FG = BH \approx 72''$.

Quoniam BH minor prodit ipsa BA , id indicio est punctum A in præsente casu cedere in O . Quamobrem ex $BO = 80''$ subtrahatur $BH = 72''$; relinquetur $HO = AH$ ($\S. 291. Geom.$) = 8. Quamobrem si à Quadrato $AG = 7225$

$$\text{subtr. Quadr. } AH = 64$$

relinquetur Quadr. $GH = 7161$

unde extracta Radix $845''$ est GH . Ablata hinc $DF = 450''$ relinquitur altitudo quæ sita $BD = 395''$, quæ in præsente casu minor quam $BC = 500''$.

Sit $AB = 12'$, $BC = 6'$, $DE = 18'$, adeoque $DF = 9'$; erit

Log. AB	10791812
BC	0.7781513
Sin. tot.	100000000
Tang. BAC	96989701
$BAC = 26^\circ 33'$	
Log. sin. DGF	96502868
Log. sin DF	09542425
Log. sin. tot.	100000000
Log. DG	1.3039557
Log. Cos DGF	99516020
Log. GF	* 1.2555577
$DG = 20'$	$GF = 18'$
$AG^2 = 400$	$AB = 12$
$AH^2 = 36$	$AH = 6$
$GH^2 = 364$	$BF = 19$
$GH = 19$	$DF = 9$
<i>Aliter.</i>	

Idem Problemata etiam absque Trigonometria solvi potest. Etenim

1. Quoniam Angulus $FGD = BAC$ per demonstr. & $\triangle DFG \cong BAC$ ad F & B rectangula; erit $CB: BA = DF: FG$ ($\S. 267. Geom.$) Quamobrem cum dentur CB , BA & DF ; reperietur FG ($\S. 302. Arithm.$).

2. Hinc porro reperitur DG ($\S. 417. Geom.$ & $\S. 269. Arithm.$) = AG ($\S. 40. Geom.$)

3. Quodsi ergo ex $FG = BH$ subtrahatur AB ; relinquetur AH & inde porro reperietur GH ($\S. 417. Geom.$ & $\S. 269. Arithm.$)

4. Denique ex GH subducatur DF ; relinquetur altitudo quæ sita BD .

E gr. sit ut ante $AB = 12'$, $BC = 6'$, $DE = 18'$; erit $DF = 9'$. Unde porro reperitur $FG = 18'$ & ob $DG^2 = FG^2 + DF^2 = 324 + 81 = 405$, $DG = 20'$, atque hinc tandem $BD = 10'$, ut ante.

PROBLEMA XVIII.

225. Data alitudine BD , in qua consistere debet Objectum DE ; invenire quantia ipsius esse debeat longitudo, ut in distanția Oculi data AB videatur alteri longitudinis datae BC æquale.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Sint omnia ut in Problemate præcedente, &

1. Ex datis in Triangulo ABC ad B rectangulo cruribus AB & BC investigetur, ut ibidem num. I. Angulus BAC, cui æqualis est DGF, cujusque complementum ad rectum est GDF, quemadmodum ibidem ostendimus.

2. Eodem modo ex datis in $\triangle ABD$, præter rectum B, cruribus AB & BD, in-

investigetur latus AD & Angulus BDA, (§. 40. 38. <i>Trigon.</i>), qui	
3. cum Angulo GDF ex duobus rectis subductus relinquit Angulum GDA.	
4. Datis itaque in \triangle DAG, ob crura DG & GA æqualia (§. 40. <i>Geom.</i>) æquicruro, (§. 89. <i>Geom.</i>) præter latus AD vi num. 2. omnibus Angulis (§. 248. <i>Geom.</i>) invenitur crus DG (§. 36. <i>Trigon.</i>).	
5. Atque ita tandem datis, in \triangle DFG ad F rectangulo, Angulo obliquo DGF vi num. 1. & latere DG vi num. 4. reperitur DF (§. 36. <i>Trigon.</i>) cuius duplum est longitudo Objecti quæsita DE (184. <i>Geom.</i>). Q.e.i. & d.	
Sit e. gr. veluti in Exemplo posteriori AB = 12', BC = 6', BD = 10; reperiatur ut ibidem angulus DGF = $60^{\circ} 33'$. Jam porro	
Log. BD 1.0000000	
BA 1.0791812	
Sin. tot. 100000000	
Tang. BDA 10.0791812	
Ergo BDA $50^{\circ} 11'$	
FDG 63 27	
Summa 113 38	
Anguli ad D. 179 60	
GDA 66 22	
2	
$2GDA = D + A$ 132 44	
D + A + G 179 60	
DGA 47 16	
Log. sin. BDA 98854162	
BA 10791812	
fin. tot. 100000000	
Log. DA 1.1937650	
Log. fin. DGA 98660036	
DA 11937650	
fin. DAG 99619569	
Logg. Summa 111557219	
Log. DG 12897183	

Log. sin. tot.	100000000
Log. DG	12897183
Log. fin. DGF	96502868
DF	10.9400051

Cui in Tabulis quam proxime respondent 9'.

PROBLEMA XVIII.

226. *Data altitudine Objecti elevandi DE & altitudine DB, in qua consti-tui debet; invenire distantiam BA, in qua Oculo cum Objecto date altitudinis BC ejusdem altitudinis appetet.*

Tab.
VII.
Fig.
84.

RESOLUTIO.

Sit DE = a , BD = b , BC = c , BA = x ; quoniam per ea, quæ in Problematum præcedentium resolutione demontrata sunt, $DF = \frac{1}{2}a$ & Anguli ad F atque B recti, Anguli vero BAC & DGF æquales; erit

$$BC : DF = BA : FG \quad (\text{§. 267. } Geom.)$$

$$c : \frac{1}{2}a = x : \frac{ax}{2c}$$

$$\& DG^2 = AG^2 = DF^2 + FG^2 \quad (\text{§. 417. } Geom.)$$

$$= \frac{1}{4}a^2 + \frac{a^2x^2}{4c^2}$$

$$\text{Jam porro } AH = \frac{ax}{2c} - x$$

$$\& GH = b + \frac{1}{2}a, \text{ adeoque}$$

$$GA^2 = AH^2 + GH^2$$

$$= \frac{a^2x^2}{4c^2} - \frac{ax^2}{c} + x^2 + b^2 + ab + \frac{1}{4}a^2$$

Habemus itaque subtractis à se in-vicem valoribus ipsius GA^2 ,

$$x^2 - \frac{ax^2}{c} + b^2 + ab = 0$$

$$cx^2 - ax^2 + b^2c + abc = 0$$

$$abc + b^2c = ax^2 - cx^2$$

$$\frac{abc + b^2c}{a - b} = x^2$$

Regu-

Regula. 1. Quæratur ad differentiam magnitudinum datarum BC, & DE, magnitudinem minorem BC, & factum ex altitudine DB, in qua cōstitui debet Objectum DE, in compositam BE ex eadem altitudine DB & altitudine Objecti elevandi DE, numerus quartus proportionalis.

2. Ex hoc extrahatur Radix, quæ erit distantia quæsita BA.

E. gr. si DE = 18, DB = 11, BC = 6; erit BE = 29, & BE. DB = 319. Unde reperitur $AB^2 = 6 \cdot 319 : 12 = 159$. Quamobrem AB = 12.

THEOREMA XXXIII.

227. Si Oculus O intra parallelas

Fig. AB & CD ponatur, parallelæ versus plaga-
36. gam ipsi oppositam convergere videntur.

DEMONSTRATIO.

Quoniam AB ipsi CD parallelæ per hypoth. erit FE = BD (§. 226. Geom.). Cum igitur FE & BD Oculo directe opponantur; intervallum BD minus apparere debet viciniori FE (§. 211). Eodem modo ostenditur, intervallum quodlibet ulterius minus apparere debere ipso BD & ita porro. Distantiae itaque rectarum AB & CD continuo minui, consequenter versus plagam Oculo oppositam parallelæ AB & CD convergere videntur (§. 84. Geom.) Q. e. d.

COROLLARIUM

228. Quodsi tanta fuerit longitudo parallelarum AB & CD, ut distantia earum à se invicem Oculo in O posito instar Puncti appearat (§. 215); parallelæ coire videbuntur in illo Puncto, ibique visus terminabitur.

THEOREMA XXXIV.

Tab. 229. Subtenſa AB in omnibus punc-
III. Fig. tis D, C, E, &c. arcus segmenti ACB
37.

æqualis appareat; Diameter vero GD in singulis Peripheriæ punctis.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim Anguli ADB, ACB, AEB &c. æquales sunt (§. 215. Geom.); subtensa AB in punctis D, C, E, &c. videtur sub eodem Angulo. Äequalis itaque in singulis istis punctis appearat (§. 209). *Quod erat unum.*

Quodsi ab extremitatibus Diametri D & G ad quodcunque Peripheriæ punctum E rectas DE & EG ducas; Angulus E semper erit rectus (§. 317. Geom.). Diameter adeo Circuli in singulis Peripheriæ punctis sub æquali Angulo videtur (§. 145. Geom.), consequenter æqualis appearat (§. 209). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

230. Optima igitur Theatrorum figura est segmentum Circuli, in quo subtensa Actoribus, arcus Spectatoribus locum concedit.

SCHOLION.

231. Non jam urgeo, quod hæc figura etiam sit rectilinearum eodem ambitu comprehensa rum capaxissima.

COROLLARIUM II.

232. Quodsi ergo Oculus moveatur in Peripheria satis magna, per longinquum intervallum ad Objectum aliquod AB accedere, vel ab eo recedere poterit, ut tamen magnitudo ejus semper videatur eadem.

THEOREMA XXXV.

233. Si Oculus fuerit immotus in A, recta autem BC ita moveatur, ut extremitates semper cadant in Peripheriam; ejusdem constanter magnitudinis apparet.

DEMONSTRATIO.

Ponamus enim BC transferri primum ex BC in CD, deinde ex CD in DE. Quoniam $BC = CD = DE$ (§. 81. *Arithm.*), arcus cognomines æquales sunt (§. 289. *Geom.*). Cum igitur etiam Anguli BAC, CAD, DAE æquales sint (§. 315. *Geom.*); recta BC in omni situ ejusdem magnitudinis apparet (§. 209). Q.e.d.

COROLLARIUM.

234. Cum Polygonum Regulare Circulo inscriptibile sit (§. 348. *Geom.*); Oculo in uno Angulo positio latera æqualia apparent.

THEOREMA XXXVI.

235. *Quæ Oculus uno obtutu comprehendit, intra ambitum Anguli recti continentur.*

DEMONSTRATIO.

Sit Oculus in O, & intervallum quocunque AB in infinitum excurrens: Radius ab uno extremo A in Oculum cadens AO sit ad AB perpendicularis. Sumatur intervallum quocunque AD, ducaturque recta OD. Quoniam Angulus A rectus est (§. 78. *Geom.*); erit AOD recto minor (§. 241. *Geom.*). Intervallum igitur, quod Oculo spectandum exhiberi potest, intra limites Anguli recti coërcetur. Q.e.d.

SCHOLION.

236. Facile Theorema præsens Experimeto confirmatur. Angulo enim recto in Tabula Horizontali descripto & recta ex vertice ducta bifariam diviso, si in eadem duo styli perpendicularares erigantur & Oculus ad verticem Anguli applicetur, ita ut ab eo, qui eidem vicinior, tegatur remotior; nullum extra Anguli

recti crura positum Objectum in Oculum incurvare observabis.

THEOREMA XXXVII.

237. Si Objecti DF Oculo A directè oppositi magnitudo dimidia DE fuerit distantia AE æqualis; Objectum totum visu comprehenditur, nec quicquam amplius ultra ejus limites conspici potest.

DEMONSTRATIO.

Quoniam AE distantia Objecti visibilis ab Oculo per hypoth.; erit ea ad DF perpendicularis (§. 225. *Geom.*). Cum adeo Angulus E sit rectus (§. 78. *Geom.*) & $AE = DE$ per hypoth.; erit DAE semirectus (§. 241. *Geom.*) Eodem modo ostenditur, esse FAE semirectum, consequenter DAF rectum. Objectum itaque totum uno obtutu comprehenditur, nec extra ejus limites quicquam amplius conspicitur (§. 235). Q.e.d.

THEOREMA XXXVIII.

238. Si distantia AE Objecti DF Oculo directè oppositi fuerit minor dimidia magnitudine DE; Objectum integrum uno obtutu non comprehenditur, sed ejus tantum aliqua pars videtur, & quidem minor, si AE minorem ad DE habuerit rationem.

DEMONSTRATIO.

Quoniam AE perpendicularis ad DE (§. 225 *Geom.*); erit Angulus E rectus (§. 78. *Geom.*); consequenter ADE & EAD junctim sumti recto æquales (§. 241. *Geom.*). Quare cum AE $<$ DE, per hypoth. erit Angulus ADE minor

Tab.
III.
Fig.
35.

Tab.
III.
Fig.
35.

EAD (§. 189. *Geom.*), consequenter DAE semirecto major. Eodem modo cum ostendatur, esse FAE semirecto majorem; si Oculus DAF Objectum integrum DF uno obtutu comprehendit, non intra ambitum Anguli recti continentur, quæ uno obtutu comprehenduntur: quod cum sit absurdum (§. 236), ut partem tantum Objecti videat Oculus in A opus est. *Quod erat unum.*

Spatia, quæ amplitudinem Visus definiunt, sunt ut distantiae (§. 222). Quare si distantia AE ad DE minorem habuerit rationem, adeoque minuitur (§. 203. *Arithm.*); pars quoque visa minor fieri debet. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

239. Quo propius itaque ad Objectum accedis, eo minorem ejus partem uno obtutu comprehendis.

THEOREMA XXXIX.

Tab. IV. Fig. 40. 240. Si altitudo Oculi non fuerit di-
midia Objecti magnitudini aequalis, &
si perpendicularum DC ex Oculo in mag-
nitudinem AB, ultra quam is uno obtu-
tu nil amplius comprehendit, demissum
ipsam inegaliter secet; erit distantia
inter segmenta AD & DB media pro-
portionalis & contra.

DEMONSTRATIO.

Si AB spatium definit, quod uno obtutu Visus comprehendit; erit Angulus ACB rectus (§. 235). Quare si perpendicularum ex Oculo C in AB demittatur; erit DB:DC=DC:DA (§. 327. *Geom.*). Est vero DC distantia Objecti ab Oculo (§. 225. *Geom.*). Ergo hæc

distantia est media proportionalis inter segmenta AD & DB. *Quod erat unum.*

Quodsi fuerit distantia DC media proportionalis inter DB & DA; erit DB:DC=DC:DA. Quoniam vero DC est distantia per hypoth. ad AB perpendicularis est (§. 225. *Geom.*), adeoque Anguli ad Dæquales sunt (§. 79. *Geom.*), consequenter etiam $o=u$ (§. 183. *Geom.*). Est vero $o+x=90^\circ$ (§. 241. *Geom.*). Ergo etiam $u+x=90^\circ$ (§. 87. *Arithm.*). Ultra magnitudinem igitur AB, Visus nihil amplius comprehendit (§. 235). *Quod erat alterum.*

PROBLEMA XX.

241. Data distantia Objecti AB; quod amplitudinem Visus definit, ab Oculo C, una cum magnitudine illius Objecti AB; invenire segmenta AD & DB, in qua à distantia DC secatur.

RESOLUTIO.

Quoniam DB:DC=DC:DA (§. 240); non alia re opus est, quam ut distantiae Objecti DC inveniantur reciprocae DB & DA (§. 262. *Anal. fin.*).

PROBLEMA XXI.

242. Data altitudine Objecti AB & altitudine Oculi DB; invenire distantiam DC, ad quam Oculus positus Objectum integrum, nec quicquam amplius, uno obtutu comprehendit.

RESOLUTIO.

Quoniam DA est differentia inter altitudinem Oculi & magnitudinem Objecti: inter hanc differentiam & altitudinem Oculi querenda est media proportionalis, quæ erit distantia quæ sita DC (§. 240).

THEOREMA XL.

243. Spatia, quæ amplitudinem Visus in diversis distantiis definiunt, sunt distantiis proportionalia.

DEMONSTRATIO.

Spatia, quæ amplitudinem Visus in diversis distantiis definiunt, intra limites Anguli recti consistunt (§. 235); adeoque sub eodem Angulo videntur (§. 145. Geom.) Sunt igitur distantiis proportionalia (§. 222). Q.e.d.

COROLLARIUM.

244. Quo longius itaque Visus exponitur, eo amplius spatium uno obtutu comprehendit: quo citius autem terminatur, eo minus spatium uni obtutui sufficit.

THEOREMA XLI.

245. Si Objecta diverse magnitudinis AB & DB ex eadem distantia BC videntur, & Radiorum extremorum alter fuerit ad AB perpendicularis; Tangentes magnitudinum apparentium sunt in ratione magnitudinum verarum AB & DB.

DEMONSTRATIO.

Radius BC est ad AB perpendicularis, per hypoth. Si ergo BC sumatur pro sinu toto; erit BD Tangens Anguli BCD, AB vero Tangens Anguli BCA (§. 7. Trigon.) Sunt vero BCD & BCA magnitudines apparentes verarum BD & BA (§. 208). Quare magnitudinum apparentium Tangentes sunt ut veræ. Q.e.d.

PROBLEMA XXII.

246. Data distantia à Centro Sphæræ BC, una cum ejus semidiametro AC; invenire quantitatem portionis ADE, quam Oculus unus obtutu suo comprehendit.

RESOLUTIO.

Quoniam Radius extremus AB Sphaeram necessario tangit in A, ceu ex demonstratione Theorematis 9. (§. 111) manifestum; erit Angulus A rectus (§. 309. Geom.), & hinc ABC complementum dimidii arcus AD, qui partem uno obtutu comprehendendam definit (§. 241. Geom.), consequenter (§. 38. Trigon.).

Ut distantia Oculi à centro CB, ad semidiametrum Sphaeræ AC;

Ita sinus totus,

ad cosinum dimidii arcus AD, qui partem Sphaeræ uno obtutu comprehendendam definit.

E.gr. Sit juxta RICCIOLUM semidiameter Solis AC; semidiametrorum Terræ, distantia ejus à Terra CB 7300; erit

Log. CB	3.8633229
---------	-----------

Log. AC	1.518139
---------	----------

Log. sin. Tot.	100000000
----------------	-----------

Log. sin. ABC	7.6551910, cui in Tabulis quam proximè respondent 15'.
---------------	--------------------------------------------------------

Est ergo arcus AD $89^{\circ}45'$, consequenter ADE $179^{\circ}30'$.

THEOREMA XLII.

247. Majorem Sphaeræ portionem Oculus unus contuetur è longinquo, quam è vicino; numquam tamen integrum Hemispherium uno obtutu comprehendit.

DEMONSTRATIO

Quoniam distantia CB ad semidiametrum Sphaeræ AC, ut sinus totus ad cosinum dimidii arcus AD, qui portionem Sphaeræ visibilem definit (§246); si distantia minuatur, adeoque ratio ejus ad semidiametrum minor redditur

(§. 203. *Airthm.*), ratio quoque sinus totius ad cosinum arcus AD sit minor, consequenter cosinus ipse major evadit (§. 206. *Airthm.*). Cum adeo arcus AD complementum ad quadrantem crescat (§. 11. *Trigon.*); Arcus ipse AD decrescit: è vicinia itaque minorem Sphæræ portionem Oculus contuetur, quam è longinquο. *Quod erat unum.*

Si Oculus Hemisphærium integrum uno obtutu comprehendenderet; AD foret Circuli quadrans, adeoque Angulus ACB rectus (§. 143. *Geom.*), consequenter AB ipsi CB parallela (§. 256. *Geom.*), & hinc Angulus Visorius ABC nullus: Quod cum sit absurdum, Hemisphærium integrum videri nequit. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XLIII.

Tab. III.
Fig. 39.

248. *Longitudines tantum mediocres, non autem magnas Visus comprehendere potest.*

DEMONSTRATIO.

Sit AO = 1, AD = 57. Quoniam sinus totus ad Tangentem Anguli Visorii, ut AO ad AD (§. 40. *Trigon.*); reperietur Angulus Visorius 89° . Quodsi vero AD ponatur 3437; reperietur Angulus Visorius AOD $89^\circ 59'$ (§. cit. *Trig.*), adeoque pro 3380 distantias Oculi tantummodo relinquitur Angulus $59'$, & cum Angulus AOD à recto, qui totam amplitudinem Visus definit (§. 235), nonnisi unico minuto differat; pro omni reliqua longitudine, quæ 3437 distantias seu altitudines Oculi excedit, nonnisi unius minutus Angulus restat. Visus igitur tantum mediocres, non autem magnas longitudines comprehendit. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

249. Cum Angulus Visorius, quo ad distantiam Oculi 6 pedum spectatur longitudine 342 pedum, sit 89° , adeoque omni intervallo reliquo usque ad 20622 pedes nonnisi 59 minuta cedant; longitudines 342 pedibus maiores solo adspectu vix dimetiemur.

COROLLARIUM II.

250. Hinc distantiarum & altitudinum magnarum differentiæ, quamvis admodum ingentes, nudo adspectu non dignoscuntur.

THEOREMA XLIV.

251. *Äquales partes ejusdem intervalli AB, BC, CD &c. inäquales apparent.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur Radio OB Arcus EF, sitque AO ad AD perpendicularis, adeoque communis altitudo $\triangle\triangle$ AOB, BOC, COD (§. 227. *Geom.*). Sector EOB maior \triangle AOB, adeoque ad \triangle OBC majorem rationem habet quam \triangle AOB (§. 203. *Airthm.*). Cum $\triangle\triangle$ AOB & OBC communem altitudinem AO habeant; inter se sunt in ratione basium AB & BC (§. 389. *Geom.*). Sector igitur EOB ad \triangle OBC majorem rationem habet quam AB ad BC. Quare cum sector BOF $<$ \triangle OBC; sector EOB ad sectorem BOF multo magis rationem majorem habebit quam AB ad BC. Enimvero sectores EOB & BOF sunt inter se ut arcus EB & BF (§. 415. 389. *Geom.*). Arcus itaque EB ad arcum BF rationem majorem habet quam AB ad BC. Jam AB = BC per hypoth. Quare arcus EB major arcu BF (§. 158. *Airthm.*). Unde cum arcus AB & BF sint mensuræ Angulorum

lorum EOB & BOF (§. 57. Geom.), erit Angulus EOB major Angulo BOC (§. 141. Geom. & §. 20. Arithm.); consequenter etiam AB majus videtur quam BC (§. 209). Eodem modo ostenditur, BC apparere majus quam CD, & ita porro. Q. e. d.

THEOREMA XLV.

ab.
V.
fig.
4.

252. Si ex Centro Circuli C exciteretur ad planum ejusdem perpendicularis quantacunque, vel Linea obliqua utcunq; Radio æqualis CF; Oculo in F collocato Diametri omnes DE & AB æquales apparebunt.

DEMONSTRATIO.

Si recta FC ad Diametros DE, AB &c. perpendicularis; Anguli ad C recti sunt (§. 78. Geom.) adeoque æquales (§. 145. Geom.). Quare cum Radii DC, CB, CE, CA æquales sint (§. 40. Geom.) & latus FC Triangulis DFC, BFC, EFC, AFC commune; Anguli cognomines æquales sunt (§. 179. Geom.). Radii igitur DC, CB, CE, CA (§. 209), consequenter etiam Diametri DE, AB &c. æquales apparent. Quon erat unum.

Si AC = CF = CB, ex Centro C super AB in plano AFB descriptus semicirculus (§. 135. Geom.), transibit per F (§. 40. Geom.). Angulus itaque AFB rectus est, (§. 317. Geom.) Eodem modo ostenditur, esse DFE rectum. Quare cum Diametri AB & DE sub æqualibus Angulis videantur (§. 145. Geom.); æquales apparebunt (§. 209.). Quod erat alterum.

PROBLEMA XXIII.

253. Invenire punctum F, in quo Oculo magnitudines AB & BC utcunq; inæquales & in directum sitæ apparetæ aequalis.

Tab.
IV.
Fig.
45.

RESOLUTIO.

1. Ex A & B, intervallo AB, facta intersectione in E, ex Centro E per A & B describatur Circulus
2. Eodem modo determinetur Centrum D, & ex eo per B & C describatur Circulus alias, priorem secans in F. Dico F esse Punctum quæsิตum.

DEMONSTRATIO.

Cum AB & BC sint latera Hexagoni (356. Geom.); Arcus cognomines eandem rationem ad suas Peripherias habent (§. 342. Geom.). Quare cum Angulorum AFB & BFC mensuræ sint Arcus dimidii AB & BC (§. 314. Geom.); æquales sint necesse est (§. 141. Geom.), adeoque & magnitudines AB & BC Oculo in F æquales apparent (§. 209.). Q. e. d.

PROBLEMA XXIV.

254. Invenire duo Puncta D & C ejus conditionis, ut Punctum C sit vicinius utrique extremo magnitudinis AB, quam Punctum D, in viciniori tamen C magnitudo AB minor appareat, quam in remotiori D.

Tab.
IV.
Fig.
46.

RESOLUTIO.

1. Quacunque Circini apertura ex A & B fiat intersectio in E & ex E, tanquam Centro, Radio EA, describatur Circulus AIDB.
2. Simili modo determinetur Centrum F, & ex eo Radio FA, describatur Circulus AHCB.

3. Ducatur ad AB continuatam in G perpendicularis GD, quæ Peripheriam majorem in C secet, majori vero in D occurrat.

Dico Punctum D magis distare ab extremis A & B visibilis AB, quam alterum C; in Puncto tamen C minorem apparere magnitudinem AB, quam in D.

DEMONSTRATIO.

Quoniam DG perpendicularis ad AG per hypoth. $BD > BC \& AD > AC$ (§. 417. Geom.). Punctum igitur D magis distat ab A & B quam C (§. 192. Geom.). *Quod erat unum.*

Quoniam $ACB = AHB \& ADB = AIB$ (§. 315. Geom.), sed $AIB > AHB$ (§. 300. Geom.); erit quoque $ADB > ACB$ (§. 89. Arithm.). Magnitudo igitur AB major apparet in D quam in C (§. 209). *Quod erat alterum.*

THEOREMA XLVI.

Tab. I V. 255. Si Oculus infra magnitudinis humilioris FE verticem E fuerit collocatus, & per eum altiorem AC spectet; Fig. 47. majorem hujus partem videbit in distantia remotiori FH, quam in viciniori FG vel FI.

DEMONSTRATIO.

Si Oculus fuerit in H, recta ex H per verticem E in magnitudinem altiorem AC ducta partem CB refecat, quæ ab eo spectatur (§. 47). Similiter recta ex G per E ducta GD refecat partem DC, quæ in G spectatur (§. cit.). Quoniam itaque recta GD alteram HB in E secat (§. 50. Geom.) & pars EG infra partem

alterius EH cadit; pars altera DE ipsius DG supra alteram BE ipsius BH cadet (§. cit. Geom.), consequenter $DC < CB$ (§. 20. Arithm.). *Q. e. d.*

THEOREMA XLVII.

256. Si magnitudo humilior GF fuerit Ta ad altiorem DE in ratione distantiarum Fig BF & BE, vel si BF ad BE minorem rationem habuerit quam GF ad DE; Oculus in B collocatus altiorem prorsus non videbit.

DEMONSTRATIO.

Quoniam GF & DE ad BC perpendicularares sunt (227. Geom.) & $BF:BE = GF:DE$ per hypoth. Radius BG per verticem humilioris G transiens transibit etiam per D (§. 267. Geom.) Cum adeo Objectum DE non radiet in B; ibi quoque videri nequit (§. 42.); adeoque multo minus in propinquiori distantia, hoc est, si $BF:BE < GF:DE$ (§. 261). *Q. e. d.*

PROBLEMA XXV.

257. Datis altitudinibus GF & DE Ta una cum distantia earundem à se Fig invicem FE; determinare Punctum B, ubi minor majorem conspectui eripere cessat.

RESOLUTIO.

Fiat: ut differentia magnitudinum GF & DE,

ad magnitudinem minorem GF;

Ita distantia magnitudinum à se invicem FE,

ad distantiam quæsitam BF.

E. gr. Sit GF 100, DE 140, FE = 3 pedum; erit $BF = 3.100:40 = 7\frac{1}{2}$.

DEMONSTRATIO.

Est enim ut $GF : DE = BF : BE$ (§. 267. Geom.). Ergo $DE = GF \cdot BE / BF = FE \cdot BF / BF = FE$ (§. 193. Arithm.). Q. e. d.

PROBLEMA XXVI.

258. Datis altitudinibus AC & FE, una cum distantia earundem FA, & distantia Oculi ab humiliore FH; invenire partem altioris BC, quæ per verticem humilioris E, ab Oculo infra eum in H posito, videri potest.

RESOLUTIO.

Quia datur distantia Oculi ab Objecto humiliore FH, & distantia humilioris ab excelsiore AF, per hypoth. distantia quoque Oculi ab excelsiore AH datur. Igitur

1. Quæratur ad FH, FE & AH quarta proportionalis, quæ erit pars magnitudinis altioris ab humiliore EF conspectui in H erecta AB (§. 262).
2. Quodsi adeo ex integra AC per hypoth. data auferatur, relinquetur portio BC, quæ in H spectari potest.

E. gr. Sit $AF = 30$, $FE = 100$, $AC = 140$, $FH = 170$; reperietur $AB = 100 \cdot 200 : 170 = 117 \frac{1}{7}$, unde $BC = 22 \frac{5}{7}$.

PROBLEMA XXVII.

259. Datis altitudinibus FE & AC, una cum distantia FI, ubi primum conspectui eripitur altior AC; invenire distantiam earum à se invicem.

RESOLUTIO.

Quæratur ad altitudinem minorem FE, differentiam altitudinum FE & AC, atque distantiam FI, quarta proportio-

nalis, quæ erit distantia altitudinum quæ sita AF.

E. gr. Sit $FE = 80$, $AC = 170$, $FI = 50$; erit $AF = 90 \cdot 50 : 80 = 56 \frac{1}{4}$.

DEMONSTRATIO.

Est enim $FE : AC = FI : AI$ (§. 262). Ergo $FE : AC = FE : FI = AI : FI = FI : AF$ (§. 193. Arithm.). Q. e. d.

PROBLEMA XXVIII.

260. Data altitudine Objecti humilioris EF, una cum distantia excelsioris ab eodem AF; determinare altitudinem excelsioris AC, quæ tanta esse debet, ut in data distantia FH, per verticem humilioris E, pars data excelsioris BC conspicui possit.

RESOLUTIO.

Quoniam FH & AF dantur, per hypoth. AH quoque datur. Quare

1. Quæratur ad FH, FE & HA quarta proportionalis, quæ erit pars altitudinis majoris à minore conspectui in H erecta AB.
1. Huic ergo si addatur pars conspicua BC; prodibit altitudo integra AC. Sit e. gr. $FH = 300$ pedum, $FE = 150$, $AF = 400$, $BC = 50$; erit $AB = 150 \cdot 400 : 300 = 200$, consequenter $AC = 250$.

PROBLEMA XXIX.

261. Determinare altitudinem DB, ad quam collocanda est magnitudo data AB, ut Oculo in E posito tanta appareat, quanta DC ibidem videtur.

RESOLUTIO.

1. Ducatur recta EC & in E ad eam excitetur perpendicularis EG, fiatque EF magnitudini datæ æqualis.
2. Fiat porro in F Angulus ipsi FEG æqualis, ut habeatur Punctum G.

3. Ex

Tab.
IV.
Fig.
47.

Tab.
IV.
Fig.
48.

3. Ex punto G demittatur perpendicularis GL ad FE.
4. Producatur DF in I, donec fiat DI = GL &
5. Ex I erigatur perpendicularis IH, quæ ex E, intervallo EG, secetur in H.
6. Tandem ex H, Radio EH, describatur Circulus rectam AD in B & A secans. Dico AB esse magnitudinem in alto collocandam, & DB altitudinem, in qua collocari debet.

DEMONSTRATIO.

Quoniam GE ad CE perpendicula-
ris, *per construct.* CE Circulum ex Cen-
tro G descriptum per F & E (§. 40.
Geom.) tangit (§. 304. *Gcom.*). Est ergo Angulus in segmento FME Angulo
segmenti CEF æqualis (§. 323. *Geom.*). Quodsi jam fiat DI = KH = GL &
Radio HE = GF describatur ex H Cir-
culus: erit AB = FE (§. 298 *Geom.*) &
hinc ob arcus cognomines æquales (§.
189. *Geom.*) Angulus FME = BEA (§.
315. *Geom.*). Est vero FME = DEC *per*
demonstrata. Ergo etiam BEA = DEC
(§. 87. *Arithm.*). Videntur adeo DC &
AB in E sub æqualibus Angulis, conse-
quenter æquales apparent (§. 209.) Q.
e. d.

SCHOLION.

262. *Quomodo idem Problema per calcu-
lum solvatur, in superioribus jam docui-
mus.* (§. 224.).

PROBLEMA XXX.

- Tab. 263. *Oculo B positione dato; deter-
minare magnitudinem DE, quæ in alti-
tudine data AD, appareat magnitudi-
ni CA æqualis.*
- IV. minare magnitudinem DE, quæ in alti-
tudine data AD, appareat magnitudi-
ni CA æqualis.
- Fig. 49.

RESOLUTIO.

1. Ducatur recta CB, ut habeatur An-
gulus CBA, sub quo videtur AC.
 2. Ex B ad Punctum datum D duca-
tur recta DB.
 3. Fiat arcus GH alteri FI æqualis,
ducaturque per H recta BE.
- Dico, DE esse magnitudinem quæ-
sitam.

DEMONSTRATIO.

Quoniam arcus FI alteri GH æqualis,
per construct. Angulus ABC alteri DBE
æqualis est (§. 141. *Geom.*). Cum adeo
AC & DE sub æquali Angulo videan-
tur, necessario æquales apparent (§.
209). Q. e. d.

SCHOLION.

264. *Idem Problema superius per calculum
solvere docuimus* (225).

THEOREMA XLVIII.

265. *Si Oculus in tenebris constitutus
flammam à splendore Aëris circumfusi non
distinguit, & distantia minor, in qua
illa ab hoc distinguitur, ad longitudinem
flamme majorem habuerit rationem, quam
distantia major, ubi illa cum hoc confun-
ditur, ad Diametrum aggregati ex splen-
dore circumfuso & flamma; flamma ma-
jor videbitur è longinquo, quam è vicinia.*

DEMONSTRATIO.

Est enim ut distantia Oculi ad magni-
tudinem Visibilis, ita Sinus totus ad Tan-
gentem Anguli Visorii (§. 40. *Trigon.*).
Quodsi ergo distantia Oculi inter flam-
mam & spendorē circumfusum distin-
guere nescientis minorem habuerit ratio-
nem ad Diametrum aggregati ex flamma
& splendore circumfuso quam distantia

mi-

minor, ubi Oculus illam ab hoc distinguit, ad magnitudinem flammæ; Sinus quoque totus in priore casu minorem rationem habebit ad Tangentem Anguli Visorii, quam in posteriore. Tangens igitur Anguli Visorii in priore casu major est, quam in posteriore (§. 206. Arithm.) Quamobrem cum aggregatum ex flamma & splendore circumfuso sub majore angulo videatur, quam flamma sola; illud quoque majus apparet, quam hæc (§. 209.). Q.e.d.

SCHOLION.

266. Apparet adeo ratio, cur faces & candæ accense Oculo in tenebris constituto è longinquæ majores appareant, quam in vicinia in Aëre collustrato. Ponamus enim flammam facis accensæ esse unius digiti & in distantia sex pedum optimè adhuc distingui ab Aëris splendore circumfuso. Recedat Oculus per distantiam quadruplam, ita ut à face jam distet in intervallo 24 pedum, sit vero aggregati ex flamma & splendore circumfuso Diameter solius flammæ quintupla, nempe 5. digitorum. Erit ergo ratio distantiae propioris ad flammam ut 60 ad 1, distantiae remotioris ad aggregatum ex flamma & splendore circumfuso ut 240 ad 5, hoc est, ut 48 ad 1: quarum rationum posterior priore utique minor (§. 158. Arithm.). Quamvis vero dubium non sit, quin in majore distantia major quantitas splendoris circumfusi à flamma non distinguatur; quoniam tamen integra activitatis Sphera finita est, omnique magnitudini assignari possit intervallum, ultra quod non amplius videtur (§. 218); evidens quoque est, quod detur aliquis terminus, in quo Lux ignea noctu maxima apparere debet, & ultra quem Angulus Visorius continuo minuitur, distantia ulterius crescente. Hunc vero terminum, datis Experientiis necessariis ex Principiis superioribus in casibus singularibus haud difficulter reperiire licebit.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

DEFINITIO XXXIX.

267. Visibile AB dicitur Oculo in D Tab. directe opponi, si unus Radiorum AD IV. Centrum Pupillæ attingens fuerit ad id Fig. 50. perpendicularis. Contra vero AC oblique que opponi dicitur eidem Oculo in D, si nullus Radiorum, qui Centrum pupillæ attingunt, fuerit ad ipsum perpendicularis.

THEOREMA XLIX.

268. Aequalia Objecta AB & AC, quorum alterum AB Oculo D directe, alterum vero AC eidem oblique objicitur, in eadem distantia inæqualia apparet; videturque majus AB, quod directe opponitur.

DEMONSTRATIO.

Quia AC & AG sub eodem angulo videntur, æqualia apparent (§. 209). Est vero AG ipsius AB pars: videtur adeo AC parti ipsius AB æqualis, consequenter minor quam AB (§. 20. Arithm.). Q.e.d.

SCHOLION.

269. Haud difficulter apparet, Theorema præsens non modo valere de Objectis in eodem cum Oculo plano Horizontali sitis; sed etiam de aliis, quæ Horizontali insistunt.

PROBLEMA XXXI.

270. Data distantia AD Puncti omnium maxime vicini D, una cum Angulo IV. obliquitatis CAD, & magnitudine Fig. 50. visibilis AC; invenire magnitudinem directam AG, cui obliqua AC æqualis apparet.

RESOLUTIO.

I. Quoniam Angulus DAC datur una G. cum

cum cruribus DA & AC, per hypoth. inveniri potest Angulus Visorius ADC (§. 40. *Trigon.*).

2. Jam cum Angulus DAG rectus sit (§. 78. *Geom.* & §. 273. *Optic.*); reperietur porro AG (§. 36. *Trigon.*).

E. gr. Sit AD 75 perticarum, AC vero 58, Angulus CAD $108^\circ 24'$; erit $AD + AC = 133$, $AD - AC = 17$, $\frac{1}{2}(C+D) = 35^\circ 48'$, adeoque

Log. AC + AD	2 1 2 3 8 5 1 6
Log. AD - AC	1 2 3 0 4 4 8 9
Log. Tang. $\frac{1}{2}(C+D)$	9 8 5 8 0 6 9 4
Logg. Summa	1 1 0 8 8 5 1 8 3
Log. Tang. $\frac{1}{2}(C-D)$	8 9 6 4 6 6 6 7
Ergo $\frac{1}{2}(C-D) = 50^\circ 16'$	
$\frac{1}{2}(C+D) = 35^\circ 48'$	
Ang. D	= 30 32
Log. Sin tot.	1 0 0 0 0 0 0 0 0
Log. Tang. D.	9 7 7 0 7 2 6 1
Log. AD	1 8 7 5 0 6 1 3
Log. AG	+ 1.6 4 5 7 8 7 4
Est ergo AG 44 perticarum.	

THEOREMA L.

271. Si longitudo AB fiat Basis Semicirculi majoris ADB, & ejus segmenta qualiacunque AC & CB Bases Semicirculorum minorum secantium crura AD & DB in Semicirculo majore; Oculis in D, in E & in F positis tota AB, & segmenta AC & CB videntur æqualia.

DEMONSTRATIO.

Anguli enim D, E & F sunt anguli in Semicirculo per constr. adeoque recti (§. 317. *Geom.*); consequenter inter se æquales (§. 145. *Geom.*). Videntur itaque tota AB & segmenta AC & CB ex D, E & F sub iisdem angulis, adeoque æqualia apparent (§. 209.). Q. e. d.

CAPUT VI.

De Visione Figurae.

THEOREMA LI.

Tab. 272. SI Centrum Pupillæ in directum IV. jacet Lineæ rectæ AB: Linea Fig. 51. instar Puncti appetet.

DEMONSTRATIO.

Si enim Centrum Pupillæ in directum jacet Lineæ rectæ AB, fieri omnino nequit, ut à Punctis reliquis præter A Radii ad Oculum pertingant (§. 46). Quare cum nullum Punctum videatur, nisi quod in Oculum radiat (§. 42);

nullum Lineæ AB Punctum, præter A videri potest. Recta igitur AB Centro Pupillæ in directum jacens instar Puncti appetet. Q. e. d.

THEOREMA LII.

273. Si Superficies Oculo directe opponatur, nec nisi unica Perimetri Linea in eum radiare possit; instar Lineæ appetet.

DEMONSTRATIO.

Quoniam nonnisi unica Perimetri Linea in Oculum radiare potest, per hypoth. Radii

Radii non aliter in Oculum ingrediuntur, ac si unica tantum Linea adesset. Cum adeo is non aliter afficiatur, quam ab unica Linea afficitur; instar Lineæ quoque Superficies apparere debet (§. 43). Q. e. d.

THEOREMA LIII.

274. Si Corpus Oculo directe opponatur, nec nisi unicum Superficiei Planum in eum radiare possit; instar Superficiei apparerat.

DEMONSTRATIO.

Eadem prorsus est, quæ Theorematis præcedentis.

THEOREMA LIV

ab. 275. Arcus ACB ab Oculo O in eo-
V. dem Plano existente è longinquo visus,
52. instar Lineæ rectæ CE apparerat.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Arcus CB & recta CE sub eodem Angulo videntur, æquales apparere debent (§. 209). Quamdui vero recta DF distinete percipitur, Punctum D à Puncto F distinguui potest. Sed quando DF ex intervallo OD visum instar Puncti apparerat, Puncta D & F non amplius distinguuntur, adeoque unum idemque esse videntur. Hoc cum eodem modo ostendatur de Puncto quocunque altero Arcus CB: idem è longinquo visus instar Lineæ CE apparere debet. Q. e. d.

COROLLARIUM.

276. Ex Demonstratione abunde patet, Theorema non tantum de Arcibus Circuli, sed de Arcibus Curvæ cujuscunque valere.

THEOREMA LV.

277. Sphæra è longinquo visa Circulus apparerat.

DEMONSTRATIO.

Portio Superficiei Sphæræ, quam Tab. Oculus in B videt, generatur, si Arcus IV. DE circa Axem DC rotetur (§. 470. Fig. 420. Geom.). Sed Arcus DE appetet ut recta DF (§. 275). Ergo portio Superficiei Sphæræ ab Arcu DE descriptæ appetet instar figuræ, quæ rotatione rectæ DF circa Punctum D generatur, hoc est, ut Circulus (§. 131. Geom.) Q. e. d.

COROLLARIUM.

278. Cum Arcus quilibet instar rectæ appareat (§. 275); alia quoque Corpora rotunda instar Circuli apparere debent.

THEOREMA LVI.

279. Si tria Visibilia A, B & C in Tab. eadem Superficie, sed non in eadem recta IV. collecentur, sitque medium B remotius; Fig. 530. figuram cavam Oculo exhibebunt: ubi vero fuerit medium B propinquius, convexam.

DEMONSTRATIO.

Cum enim per tria Puncta non in directum jacentia Circulus describi possit (§. 294. Geom.); tria illa Puncta non aliter in Oculum radiabunt, ac si in casu primo in Arcu Circuli concavatem Oculo D obvertente, in altero vero in Arcu Circuli convexitatem Oculo D obvertente posita essent. In illo itaque figuram concavam; in hoc convexam Oculo exhibebunt (§. 43). Q. e. d.

THEOREMA LVII.

280. Magnitudines angulosa in majori distantia rotundæ apparent.

DEMONSTRATIO.

Ex Corpore anguloso fit rotundum, Tab. V. si anguli A, B, C, D resecantur Jam Fig. 540. cum

cum omnis magnitudo in certa quadam distantia evanescat, nec amplius videatur (§. 215); anguli quoque A, B, C, D in magna distantia evanescere debent. Magnitudines igitur angulosæ rotundæ appareant necesse est. Q. e. d.

SCHOLION.

281. Evidens est, Theorema intelligendum esse non modo de figuris superficialibus; sed & de solidis. Inde est, quod Turres quadratae eminus conspectæ rotundæ appareant.

COROLLARIUM.

282. Quoniam si Circulus Ellipſi vel figuræ cuique rotundæ oblongæ inscribitur, excessus hujus supra illum angulis figuræ angulosæ respondent; Ellipſis seu figura rotunda oblonga instar Circuli apparere debet.

THEOREMA LVIII.

Tab. V. 283. Si Quadratum aut Rectangulum Fig. ABDC uno tantum latere AB Oculo di- 55. recte objiciatur; in majore distantia Tra- pezium videbitur.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim latera AC & BD sunt parallela (§. 336. Geom.) & Oculus intra ea ponatur; Puncta C & D minus distare videntur, quam A & B (§ 227). Cum itaque rectæ AB & CD inæquales appareant; Quadratum vel Rectangulum Trapezii figuram exhibet (§. 103. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

284. Quoniam lineæ parallelæ tandem coire videntur (§. 228); si latera rectanguli AC & BD fuerint longiora, & figura sufficiente intervallo ab Oculo removeatur; Triangulum videbitur (§. 87. Geom.).

THEOREMA LIX.

285. Si Oculus G ad Centrum E fi-

guræ regularis ABDC ita defigatur; ut Tat- recta EG sit ad Planum perpendicularis; Fig- veram Visibilis figuram videbit.

DEMONSTRATIO.

Est enim CE = EB = AE = ED (§. 40. Geom.), AC = CD = DB = AB (§. 106. Geom.). Anguli ad E sunt recti (§. 78. Geom.) & latus GE est omnibus Triangulis GAE, EGB, EGD, EGC communis. Ergo anguli cognomines æquales sunt & AG = CG = DG = BG (§. 179. Geom.), conse- quenter etiam anguli AGC, CGD, DGB, BGA æquales sunt (§. 251. Geom.). Videntur adeo tum rectæ AB, BD, DC, CA, tum AE, BE, DE, CE sub æqualibus angulis. Quamobrem tum illæ, tum hæ æquales apparent (§. 209. Q. e. d.

THEOREMA LX.

286. Si Oculus G perpendiculariter in Centrum Circuli E dirigatur, vel dis- tantia oblique in ipsum directi GE fue- rit Semidiametro AE æqualis; Circuli vera figura videbitur.

DEMONSTRATIO.

In utroque enim casu omnes Diame- tri apparent æquales (§. 252). Vera igitur Circuli figura videtur (40. Geom.). Q. e. d.

THEOREMA LXI.

287. Si Oculus G oblique in Centrum Ta- figura regularis ABCD vel etiam in Cir- Fi- culum dirigatur; vera Visibilis figura non apparebit, Circulusque videbitur oblongus.

DEMONSTRATIO.

Pro diversa enim lineæ GE ad Radios.

CE,

CE, AE, BE, DE obliquitate; tum Radii isti, tum etiam latera AB, BD, DC, CA inæqualia apparent (§. 268). Vera igitur neque figuræ regularis ABDC (§. 106. *Geom.*), neque Circuli (§. 38. *Geom.*) figura videtur. *Quod erat unum.*

Quoniam vero Diametri alii videntur aliis majoribus, per demonstrata; Circuli figura utique altera parte apparebit longior, altera vero brevior. *Quod erat alterum.*

THEOREMA LXII.

288. *Visibilium è longinquo visorum figuræ vera non apparent.*

DEMONSTRATIO.

Ut enim figura vera videatur, necesse est ut singulæ partes distincte apparent: partibus enim contiguis factis, quæ antea contiguæ non erant, figura mutatur. Sed cum omnis Visibilis pars in determinata quadam distantia evanescat, nec amplius videatur (§. 215); necesse est, ut contiguæ appareant, quæ non sunt. Figura igitur vera Visibilium è longinquo visorum non appetet.
Q. e. d.

SCHOLION

289. *Hinc facies fæminarum e longinquo visæ apparent pulchræ, quæ in vicinia ob aliquas deformitates displacent.*

THEOREMA LXIII.

290. *Si unicum Luminosi Punctum Lig. per foramen ACB radiet; figura Luminis abc Plano DE foramini parallelo excepti erit figura foramini similis.*

DEMONSTRATIO.

Sit foramen ABC triangulare: dico

figuram Luminis abc similiter esse debere triangularem & quidem Triangulum foramini simile. Quoniam Punctum Luminosum L radiat in singula Puncta Perimetri foraminis ABC (§. 60; Radii extimi Pyramidem triangularem effigiant, cuius Basis est figura triangularis foraminis (§. 472. *Geom.*). Quodsi ergo ultra Perimetrum per foramen continuentur; Pyramis quoque continuabitur. Quare si Plano DE foramini parallelo Lumen excipiatur; erit abc triangulum foramini ABC simile (§. 473. *Geom.*).
Q. e. d.

COROLLARIUM I.

291. Quodsi Aa ad LA insensibilem habuerit rationem, erunt LA & La ad sensum æquales, consequenter etiam figura Luminis acb ad sensum æqualis erit figura foraminis ACB.

SCHOLION.

292. *Idem quoque exinde demonstrari posset, quod Radii à Puncto remotiori L in Planum exiguum incidentes sint paralleli ad sensum.* (§. 93): quo in casu nimirum ABC bca Prismæ esse debere patet.

COROLLARIUM II.

293. Quoniam innumera Solis Puncta per idem foramen in Cameram obscuram una radiant; Lumen integrum immisum constat ex innumeris figuris foramini similibus & æqualibus.

THEOREMA LXIV.

294. *Si Luminosum SQ per exiguum Tab. V. foraminulum F in Cameram obscuram Fig. 58. radiet, & Lumen Plano GH foramini parallelo excipiatur; erit ejus figura de figura Luminosi SQ similis & in majori distantia à foramine F major.*

DEMONSTRATIO.

Sit figura Luminosi SQ Circulus. Quoniam singula Puncta Peripherie in foramen F radiant ($\S. 60$); erit SFQ Conus ($\S. 467$ Geom.). Quare si Radii SF & QF omnesque intermedii ultra foramen F continentur; Lumen per Cameram obscuram propagatum dF e itidem Conus erit. Ergo si Plano foramini parallelo excipiatur; figura Luminis d e erit Circulus, tanto quidem major, quo majori intervallo à vertice Coni, hoc est, à foramine F distet ($\S. 468$. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

$\S. 295$. Per foramen igitur amplum immisum Lumen Solis vel Lunaæ ex innumeris constat Conis æqualibus, quorum Vertices sunt in singulis foraminis Punctis.

THEOREMA LXV.

Tab. V. $\S. 296$. Si Lumen Solis per foramen *angustum* transmittatur; in distantia exigua à foramine ejus figuram habebit, in majore autem sensim sensimque ad Circulum accedet.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Lumen Solis per foramen transmissum ex innumeris Conis constat, quorum vertices in singulis foraminis DEF Punctis constituti sunt ($\S. 295$); si Coni isti prope suos vertices secentur, Plana sectionum à Punctis ad sensum non different ($\S. 468$. Geom.), adeoque perinde erit, ac si unicum tantum Solis Punctum C in Perimetrum foraminis DFF radiaret, consequenter Lumen figuram foraminis habebit ($\S. 290$). *Quod erat unum.*

Si vero iidem Coni in distantiis ma-

joribus secentur, Plana sectionum erunt Circuli g tanto quidem majores, quo longioribus intervallis à foramine distant ($\S. 294$). Piures igitur Circuli majores ex singulis Perimetri figuræ angulæ e & f Punctis descripti cum ad sensum ab uno Circulo non differant; Lumen Solis in majore distantia à foramine exceptum Plano foramini parallelo figuram Circuli ad sensum habebit. *Quod erat alterum.*

SCHOLION I.

$\S. 297$. Theorema præsens Experientia abunde confirmat. Imo idem Experientia prius innotuit, quam Optici in rationes ejus inquirent. Unde Optici veram causam initio non ascendi in reddenda Phænomeni ratione non consenserent (a).

COROLLARIUM I.

$\S. 298$. Quodsi ergo pars foraminis tegatur, in minori distantia mutabitur figura Luminis transmissi, ob mutatam foraminis figuram; sed in majori retinebit figuram Circuli.

COROLLARIUM II.

$\S. 299$. Quoniam tamen pauciores nunc Radii transmittuntur; Circulus erit minus Lucidus ($\S. 84$).

COROLLARIUM III.

$\S. 300$. Cum vero Circuli illi continuo augeantur ($\S. 294$); Lumina per duo foramina vicina transmissa primum ex parte, tandem prorsus in unum coalescunt, distantia nempe Centrorum, quæ semper eadem manet, respectu Radiorum seu Semidiame-trorum evanescente.

SCHOLION II.

$\S. 301$. Non injucundum est videre, etiam in Conclavi illuminato, Circulos à Radiis per duo

(a) Vid. KEPLERUS in Paralipomenis in Vitellionem c. 2. p. 57. & seq.

duo diversa foramina triangularia transmissos se mutuo successice contegentes, ita ut crescente continuo communi segmento tandem penitus congruant. Illud quoque observatu dignum est, quod Lumen geminatum in communi segmento, simplici in segmentis collateralibus multo clarius existat.

COROLLARIUM IV.

302. Quodsi prope foramen aliqui Radii à Corpore Opaco intercipiantur, deficien-
tibus quibusdam Conis lucidis; deficient
quoque quidam Circuli in Lumine à Plano
excepti; consequenter etiamsi Circuli reli-
qui amplientur, integrum tamen Circulum
majorem completere nequeunt, sed pars quæ-
dam deficiet cuius scilicet radiatio inter-
cepta.

SCHOLION III.

303. *Hinc Solis Eclipsin patientis pars de-
ficiens etiam in ejus Imagine Radiis per for-
amen transmissis formata deest.*

THEOREMA LXVI.

304. *Si Lumen Solis per foramen ro-
tundum in Cameram obscuram immittitur
& à Diametro Circuli Luminosi charta
intus excepti utrinque auferatur Semidi-
ameter foraminis; Circulus circa Dia-
metrum residuam descriptus est Imago
Solis per Centrum foraminis radianis.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam Lumen Solis per foramen in Cameram obscuram immissum ex innumeris constat Conis æqualibus, quo-
rum vertices sunt in singulis foraminis Punctis (§. 295); si secetur Plano ad Radium per Centrum foraminis tran-
seuntem perpendiculari, Circulus inde prodiens constabit ex innumeris Circu-
lis, quorum Centra eandem à se invi-
cem distantiam habent, quam ha-
bent Conorum vertices in foramine

(§. 468. Geom.), ob Axium istorum Conorum parallelismum (§. 94.) Exti-
mi igitur Circuli Centrum à Centro me-
dii, qui per Centrum foraminis radiat (§. 294.) distat intervallo Semidiametri foraminis. Quamobrem cum semicircu-
lus extimus excedat medium ea latitu-
dine, quæ est distantia Centrorum
æqualis; si à Diametro Circuli Lumino-
si charta excepti intra Cameram ob-
scuram, Lumine Solis per foramen ro-
tundum radiante, auferatur utrinque
Semidiameter foraminis, circa residuam
Diametrum descriptus Circulus est Imago
Solis per Centrum foraminis radians
(§. 294). Q.e.d.

COROLLARIUM I.

305. Quoniam Radii Solis extimi QF & Tab. V.
SF per Centrum foraminis directe tran-
seunt in e & d, adeoque se mutuo secant in
F; Anguli QFS & dFe æquales sunt (§. 156.
Geom.). Est igitur angulus dFe æqualis
magnitudini apparenti Solis (§. 208).

COROLLARIUM II.

306. Quoniam recta ex Centro forami-
nis in Centrum Circuli Luminosi ducta est
distantia Imaginis Solis d e à foramine F
(§. 225. Geom.); ex data distantia Imagini-
nis Solis à foramine & semidiametro Ima-
ginis d e, inveniri potest semidiameter Solis
apparens (§. 40. Trig.).

THEOREMA LXVII.

307. *Si Oculus in tenebris constitu-
tus flammam candele vel facis accensa,
et tenebre opponitur, à splendore Aëris
et in distinguit; figura flammæ
rotunda paret.*

DEMONSTRATIO.

Cum enim in eadem à Luminoso
distan-

distantia Lumen ejusdem sit intensitatis (§. 97), quodlibet vero Luminosi Punctum Radios quaquaversum diffundat (§. 59); splendor in Aëre Sphæræ figuram induet (§. 471. Geom.). Quodsi

ergo Oculus in majore distantia & in tenebris constitutus differentiam inter flamam & splendorem non amplius distinguit; flamma rotunda apparere debet (§. 277). Q. e. d.

CAPUT VII.

De Visione Loci.

THEOREMA LXVIII.

308. *SI distantia duorum Visibilium sub angulo insensibili videtur; Corpora disjuncta contigua apparent.*

DEMONSTRATIO.

Si enim distantia sub angulo insensibili videtur; inter Imagines in Oculo distantia nulla est. Sunt adeo Imagines in Oculo contiguae: consequenter Visibilia contigua apparent (§. 69).

COROLLARIUM I.

309. Quoniam ex pluribus contiguis continuum resultat; si plurum Visibilium distantiae sub angulo insensibili apparent, in unum continuum coalescere videntur.

COROLLARIUM II.

310. Cum determinari possit distantia, in qua qualibet magnitudo evanescit (§. 218); haud difficulter quoque in casu quolibet invenitur, in qua distantia duo Corpora positione data contigua, & plura instar unius continui apparere debeant.

SCHOLION.

311. Eleganter hinc notio continui illustratur. Dicimus nimirum continuum, ubi inter nostras perceptiones ordinem nullum simpliciorem interponi posse animadvertisimus.

PROBLEMA XXXII.

312. *Tesselatas Imagines construere,*

que in partes diff. & per Planum striatum dispersa Oculo integræ apparent.

RESOLUTIO.

1. Fiant Prismata lignea tantæ longitudinis, quanta est Imaginis latitudo, Ta
quorum Basis EDC est Triangulum F
æquilaterum.
2. Imago dissecetur in fascias, quarum singulæ sint Plano EDGF æquales.
3. Fasciæ istæ agglutinentur Planis Prismati dextris EDGF.
4. Sinistris vero DCHG agglutinentur aliæ alterius Imaginis.

Quodsi enim Prismata super Tabula Horizontali ita colloces, ut Prismatum latera HC se mutuo tangant; Oculus in Plana dextra EDGF, directus videbit Imaginem unam; directus vero in sinistra CD GH alteram contuebitur: videbunturque partes disjunctæ contiguae (§. 309).

SCHOLION.

313. *Possunt etiam Prismata ita collocari, ut Plana EDGF sint in eodem plano, & Imagines in iis delineari: quo facto, in situ convenientem redigenda.*

THEOREMA LXIX.

314. *Visibilia remota obscura apparent & minus distincta.*

DE-

DEMONSTRATIO

Cum enim quodlibet Visibilis Punctum per Radios divergentes radiet (§. 59); crescente distantia, Lumen decrescit (§. 87). Visibilia igitur obscuriora videntur, si fuerint remotiora. *Quod erat unum.*

Quia qualibet magnitudo in data quadam distantia evanescit (§. 218), partes autem minores citius evanescunt majoribus (§. cit.); Visibilis remoti partes omnes non apparent. Quare cum Visibile tanto distinctius videatur, quanto plures ejus partes discernere licet (§. 40); Visibile remotum minus distinctum appetat. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

315. Hinc ex Visione obscura & confusa Objectum magno intervallo distare colligimus.

SCHOLION I.

316. Et his Principiis utuntur Pictores, Objecta alia aliis remotiora in eodem Plano exhibituri.

SCHOLION II.

317. Hinc quoque oriuntur fallaciae Visus complures. Ita Conclavia parietibus dealbatis minora apparent, quia parietes videntur propiores. Agri etiam nive tecti minores apparent, quam gramine vestiti. Similiter Montes nive conspersi, itemque nocturno tempore Flammeae propiores; Corpora Opaca sub Crepusculum remotiora videntur.

THEOREMA LXX.

318. Si Oculus A fuerit Plano Horizontali BC sublimior; partes remotiores videntur sublimiores, donec in eadem cum Oculo altitudine constituta videatur ultima.

DEMONSTRATIO.

Quoniam AB ad BC supponitur esse perpendicularis, si ex Oculo A ducatur AD ipsi BC parallela; erit quoque BAD rectus (230. Geom.); consequenter omnem amplitudinem Visus definit linea DC ipsi AB æqualis (§. 235). Jam si lineæ parallelæ BC & AD longius protrahantur, sensim sensimque coire videbuntur & quam primum coire videntur, Visus terminatur (§. 228). Cum adeo partes rectæ BC continuo ad rectam AD accedant; utique sensim sensimque sublimiores fieri videntur, donec ultima C in D constituta appearat. *Q. e. d.*

SCHOLION I.

319. Aliter hanc Propositionem demonstrat EUCLIDES (a). Instar Axiomatis assumit, Sublimiora apparere, quæ per Radium sublimiorem videntur; nec sine ratione. Dum enim sublimia spectamus, Radii ex loco sublimiori in Oculum illabuntur. Unde si ex aliis rationibus contingat, ut Radii alii aliis sint sublimiores; eodem modo Oculum afficere debent, ac si è sublimiori loco emanassent. Unde Punta quoque, ex quibus radiant, sublimiora apparere debent (§. 43). Jam cum manifestum sit Puncta E & C Radiis sublimioribus sp. Etari anterioribus; inde concludit, Puncta E & C sublimiora apparere debere. Enimvero cum Demonstratio hujus & reliquarum F: opositionum, ad quas demonstrandas Axio- mate hoc attitit Eu CLIDES, multo eviden- tius ex antecedentibus deducantur; Principio- rum numerus sine necessitate non videtur multi- plicandus, præsertim cum ex nostra Demon- stratione una constet terminus, ad quem remo- tiora elevari possunt, dataque altitudine Ocu- li, partes, quæ sublimiores apparere debent, facile determinentur. Posset tamen Axio- ma

H

Eu-

(a) In Optic. Prop. 10.

EUCLIDIS eodem modo demonstrari, quo nos Propositionem demonstravimus.

SCHOLION II.

320. *Ceterum jam constat ratio, cur mare ad littorastantibus versus medium sensim sensimque attolli videatur.*

THEOREMA LXXI.

Tab.V. *Si Planum BC fuerit sublimius Oculo A; remotiora E & C depressiora apparent, donec Punctum ultimum C vi-*
Fig. 62. deatur per altitudinem DC profunditati Oculi BA aequalē descendisse.

DEMONSTRATIO.

Eadem prorsus est, quæ Theorematis præcedentis.

SCHOLION.

322. *EUCLIDES ad Theorema hoc demonstrandum assumit instar Axiomatis; Depressiora apparere, quæ per Radium depresso rem videntur: de quo idem esto iudicium, quod supra (§. 319) de simili Axiomate Euclideo tulimus.*

THEOREMA LXXII.

Tab.V. *Si magnitudines quotcunque AB,*
Fig. 63. CD, EF sub Oculo O ponantur; remotiores EF, CD sublimiores apparent.

DEMONSTRATIO.

Ducatur enim per Puncta A, C, E recta GE; erunt A, C, E in eodem Plano. Quare cum Oculus O sit sublimior Plano GE, per hypoth. remotiora C & E, sublimiora apparere debent (§. 318). Q. e. d.

COROLLARIUM.

324. *Quodsi magnitudo ultima tanto intervallo ab Oculo distet, ut altitudo Oculi HE sub Angulo insensibili videatur*

(§. 218); magnitudo E videbitur ad Oculi sublimitatem assurgere (§. 318).

THEOREMA LXXXIII.

325. *Si magnitudines quotcunque aequales fuerint supra Oculum elevatae; remotiores depressiores apparent.*

DEMONSTRATIO.

Eadem est, quæ Theorematis præcedentis, modo figura invertatur.

THEOREMA LXXIV.

326. *Altitudinum majorum AB partes superiores BC videntur inclinatae.* Tab.
Fig.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Angulus A rectus est (§. 227. Geom.); si ex Oculo D agatur altitudini AB parallela, erit Angulus ADE itidem rectus (§. 230. Geom.), adeoque amplitudo Visus intra parallelarum AB & DE intervallum continetur (§. 235). Sed lineæ parallelæ AB & DE sensim sensimque coire videntur (§. 227). Ergo Puncta remotiora C & B vertici propiora apparent inferioribus; consequenter pars superior BC inclinata videtur. Q. e. d.

SCHOLION.

327. *Inde est quod Templorum alitorum frontispicia, itemque Turres, in minori distantia videantur antrorum inclinari: dico, in distantia minori. Quo minor enim fuerit Spectatoris distantia à Turri AD, eo celerius parallelarum intervallum coire videntur, unde vi demonstrationis Phænomenon pendet.*

COROLLARIUM.

328. *Quodsi ergo pars superior BC à perpendiculari AC reclinata fuerit; ab Oculo prope adstanti erecta videri poterit.*

SCHOLION.

v. 329. *Inde est, quod Statuae in locis editis
collocatae paululum reclinentur.*

THEOREMA LXXV.

v. 330. *Remotiora C & D ad dextram
sita videntur vicinioribus L & B sinistre-
riora; que vero ad sinistram sita sunt F
& E, videntur vicinioribus M & G dex-
teriora.*

DEMONSTRATIO.

Sit enim *Oculus* in A & recta AB ad DB perpendicularis. Concipiatur porro AH perpendicularis ad AB; erunt AH & BD parallelæ (§. 256. Geom.). Punctum ergo D proprius videbitur Puncto H, quam C ipsi I, & C proprius apparebit ipsi I, quam L ipsi K; vel B ipsi A (§. 227). Puncta igitur D & C sinistram propria videntur, quam L & B. *Quod erat unum.*

Eodem modo ostenditur, remotiora F & E ad sinistram sita apparere dexteriora vicinioribus M & G. *Quod erat alterum.*

THEOREMA LXXVI.

v. 331. *Fieri potest, ut Visibile D ad
dextram vel sinistram situm, Oculo A in
directum jacere videatur.*

DEMONSTRATIO.

Parallelæ enim DB & AH alicubi coire videntur (§. 228). Quodsi igitur *Oculus* fuerit in illo Puncto A, ex quo coire videntur; Punctum D coincidere videbitur cum Puncto H, adeoque D apparebit in H, nempe in directum ja- cens *Oculo* A. *Quod erat unum.*

Eodem modo ostenditur, fieri posse

ut *Visibile F* versus sinistram situm *Oculo* A in directum jacere videatur.

THEOREMA LXXVII.

332. *Si spatium inter Visibile C &
Visibilita D atque E interjectum Spectato-
ribus in A & B imperceptibile fuerit;
idem Objectum C in diversis locis vi-
debunt.* Tab V.
Fig. 66.

DEMONSTRATIO.

Quoniam distantia CD Spectatori in B imperceptibilis per hypoth Objectum C apparebit contiguum alteri D (§. 308). Videt adeo C in D. Eodem modo ostenditur, Spectatorem in A videre Objectum C in E. Diversis itaque in locis idem Objectum C vident Spectatores in A & B. *Q. e. d.*

THEOREMA LXXVIII.

333. *Si Objectum vicinus C ad
alia remotiora refertur; diversis Specta-
toribus A & B è regione diversorum Ob-
jectorum D & E apparebit.* Tab V.
Fig. 66.

DEMONSTRATIO

Objectum C enim inter Oculum A & alia remotiora positum è regione ejus videtur, quod Punctis A & C in directum jacet. Quoniam vero rectæ AC & BC ex Oculis Spectatorum A & B in idem Objectum C ductæ segmentum communi habere nequeunt (§. 29. Geom.): aliud omnino Punctum remotius in directum jacet rectæ BC, aliud vero rectæ AC (§. 61. Geom.). Idem ergo Objectum C diversis Spectatoribus A & B è regione diversorum Objectorum remo- torum D & E appetat. *Q. e. d.*

DEFINITIO XL.

334. Loca D & E, ad quæ Spectatores in A & B referunt Objectum C, dicuntur *Loca Optica*.

THEOREMA LXXIX.

335. Si recta jungens *Loca Optica* D & E fuerit parallela rectæ transversali per Oculos spectatorum AB; erit distantia Locorum Opticorum DE, ad distantiam Spectatorum A & B; ut distantia Loci Optici alterutrius a Visibili loco EC, ad distantiam Spectatoris alterutrius ab eodem Visibili AC.

DEMONSTRATIO.

Quia DE parallela ipsi AB per hypoth. erit Angulus D = B (§. 233. Geom.). Sunt vero etiam verticales ad C æquales (§. 156. Geom.). Quare EC : DE = AC : AB (§. 267. Geom.), consequenter EC : AC = DE : AB (§. 173. Arithm.). Q. e. d.

THEOREMA LXXX.

336. Quodlibet Punctum Visible A radiat in Pupillam per Conum, cuius Vertex in ipso Puncto radiante A, Basis vero Pupilla.

DEMONSTRATIO.

A Puncto enim radiante A ad quodlibet Punctum Pupillæ, adeoque & ad quodlibet Perimetri Punctum D, C, E &c. emittitur Radius (§. 60.) Radii igitur extimi superficiem Coni formant, cuius Vertex A, Basis Circulus DCE sive Pupilla (§. 467. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

337. Si Triangula DAE & DAeE fuerint in eodem Piano, erit a > A (§. 300. Geom.) ;

adeoque Anguli aDE & aED minores Angulis ADE & AED (§. 240. Geom.); consequenter Radii AE & AD majores Angulos efficiunt cum Diametro Pupillæ, quam aD & aE. Remotiorum itaque Radii minus ad Diametrum inclinantur, quam Radii viciniorum (§. 54. Geom.).

COROLLARIUM II.

338. Quodsi ergo contingat, ut Radii minus divergentes fiant magis divergentes; qui à Puncto remotiori A emanant, perinde ac à Puncto viciniori a in Pupillam radiabunt.

COROLLARIUM III.

339. Contra si contingat, ut Radii magis divergentes, antequam Occulum ingrediantur, fiant minus divergentes; qui à Puncto viciniori a emanant, perinde in Oculum radiabunt, ac si è remotiori A emanassent.

DEFINITIO XLI.

340. *Axis Opticus* est Radius per Centrum Oculi transiens.

DEFINITIO XLII.

341. *Horopter* est Linea recta AB, Tal quæ per concursum C Axium Optico- Fig rum Oculorum H & I, rectæ HI Centra Oculorum conjungenti parallela, ducitur.

SCHOLION.

342. Vocatur Horopter, quia Experiensia constat, hunc esse terminum Visionis distinctæ.

DEFINITIO XLIII.

343. *Planum Horopteris* est, quod per Horopterem AB transit & ad Planum per Axes Opticos transiens ICH perpendiculare existit.

THEOREMA LXXXI.

v. 344. Si *Visibile in Horoptere AB collocatur; quodlibet Punctum videtur in concursu Radii à Puncto Imaginis respondentem per Centrum Oculi retroducti & Horopteris.*

DEMONSTRATIO.

Dum Objectum in Horoptere collocatur, Experientia teste, Punctum unum quodque videmus ibi, ubi est, adeoque tibi Radii in Oculum incidentes retroducti concurrunt, hoc est, in Vertice sui Coni (§. 335). Sed dum Visibile in Horoptere collocatur, Radiorum à quovis Puncto emanantium unus per Centrum uniuscujusque Oculi transit (§. 341). Quare cum omnes Radii ab eodem Objecti Puncto egressi in Retina rursus in uno Puncto uniantur (§. 75), Radius vero per Centrum transiens irrefractus transeat; Punctum Imaginis quodlibet ibi delineabitur, ubi Radius per Centrum transiens Retinam attingit. Hunc ergo si retroducas usque ad Horopterem, ibi eundem secabit in A, ubi erat Vertex Coni, per quem irradatio in Oculum fiebat. Videbitur ergo Visibilis Punctum in concursu Horopteris AB & Radii KA à Puncto Imaginis respondentis per Centrum Oculi H retroducti. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

345. Quoniam duo Radii KA & LA ab eodem Puncto Imaginis per Centra H & IOculorum amborum retroducti Horopterem AB in eodem Puncto A secant, utpote qui ab eodem irrefracti per Centrum utriusque Oculi ad Retinam penetraverant; uterque Oculus Visibile in Horoptere positum in

eodem loco A videt; consequenter duobus Oculis unicum appetet.

COROLLARIUM II.

346. Quia Radius KA ab inferiore Imaginis Puncto per Centrum Oculi H retroductus Horopterem in loco superiori A secat; qui vero à superiori Imaginis parte M per idem Centrum H retroducitur MB, eidem Horopteri AB in loco inferiori B occurrit, Punctum Imaginis inferius K videtur in loco superiori A; Punctum vero superiorius M in loco inferiori B. Quare cum Imago MGK in Retina sit inversa (§. 61); Objectum situ erecto appetet.

COROLLARIUM III.

347. Quodsi ergo Imago in Retina MGK fuerit erecta; eodem modo constat, Visibile videri debere situ inverso.

COROLLARIUM IV.

348. Si contingat, Radios à Puncto quoque egressos ita disponi, ut Oculum sub iis Angulis ingrediantur, ac si Coni Optici Vertex esset in A; Visibile quoque in A videri debet (§. 43).

COROLLARIUM V.

349. Quoniam aliam Oculi conformatiōnem requirunt Objecta remota, aliam vicina (§. 64), adeoque Oculus uno obtutu diversis intervallis distantia distincte comprehendere nequit (§. 70); quæ extra Horopterem posita confusè videt, ad Horopterem referre debet. Videbitur itaque etiam Punctum extra Horopterem positum in concursu Horopteris & Radii à Puncto Imaginis respondentis per Centrum Oculi ducti (§. 324).

THEOREMA LXXXII.

350. Si *Visibile G extra Horopterem DE sit constitutum; geminatum appetebit in D & E.*

Tab.
VI.
Fig.
69.
n.1.

DEMONSTRATIO.

Oculus enim A videt Objectum G per Radium AE in E; Oculus vero B idem Objectum videt in D, obtutu utriusque in C defixo (§. 349). Videtur igitur geminatum. Q.e.d.

COROLLARIUM I.

351. Quodsi Oculus dexter B tegatur, disparebit Objectum sinistrum D; si vero Oculus sinister A tegatur, Objectum E evanescet.

SCHOLION.

* 352. Hæc Experientia valde consona deprehenduntur. Statuatur enim Objectum aliquod tenue, sed longum è regione nasi ad distantiam unius circiter pedis: obtutu ultra id directo in C, geminatum videbis, at confusè. Et quo longius obtutum diriges, eo

majori intervallo distabunt Imagines, altera quidem dexteram versus in E, altera vero sinistram versus recedente. Si autem obtutum versus Objectum retrabis, Imagines sensim sensim coeunt, donec obtutu in eodem fixo non nisi unicum appareat. (§. 344). Simile Phænomenon est, si Oculo uno infra alterum depresso aut supra alterum detorso Objectum apparet; item cum ebrii & furiōsi omnia conspiciunt geminata.

COROLLARIUM II.

353. Quoniam AB ipsi DE parallela (§. 343), erit $o = x$ (§. 23; Geom.). Quare cum etiam verticales ad G sint æquales (§. 156. Geom.); erit ut BG distantia Objecti G ab Oculo B, ad GD distantiam ejusdem à loco Horopteris in quo videtur; ita distantia Oculorum AB, ad distantiam locorum D & E, in quibus videtur.

CAPUT VIII.

De Visione Motus.

THEOREMA LXXXIII.

Tab. VI. 354. Si duo Objecta B & E inaequaliter ab Oculo A distantia aequali celeritate ferantur; remotius E tardius moveri videtur.
Fig. 70.

DEMONSTRATIO.

Quia B & E æquali celeritate feruntur, per hypoth. eodem tempore æqualia spatia BD & EF percurrunt (§. 27. Mechan.). Sed quoniam EF e longinquieri intervallo videtur quam BD, per hypoth. apparebit EF minor quam BD (§. 211); consequenter remotius Objectum E eodem tempore minus spatium confecisse, adeoque tardius moveri putatur (§. 15. Mechan.). Q.e.d.

COROLLARIUM I.

355. Si ergo B & E à terminis Oculo immoto A in directum fitis versus eandem plagam digrediantur; vicinum B præcedere, remotum E sequi videbitur.

COROLLARIUM II

356. Quodsi remotum E non nimis celerius moveatur, quam vicinum B, ut nempe sit $EN > BD$, sed $\triangleleft EM$; motus ipsius B videbitur adhuc celerior.

THEOREMA LXXXIV.

357. Si duo Objecta B & E moveantur celeritatibus distantiarum ab Oculo immoto AB & AE proportionalibus; eadem celeritate moveri videntur & contra.

DEMONSTRATIO.

Quoniam celeritates sunt ut spatia eo;

codem tempore percursa BC & EF (§. 33. *Mechan.*), illæ autem distantias AB & AE proportionales per hypoth. hæc quoque iisdem proportionalia sunt (§. 167. *Arithm.*), consequenter sub eodem Angulo videntur (§. 222) & hinc æqualia apparent (§. 209). Eadem igitur celeritate moveri putantur (§. 29. *Mechan.*). *Quod erat unum.*

Quodsi eadem celeritate moveri videntur, spatia decursa BC & EF apparent æqualia (§. 29. *Mechan.*), adeoque sub eodem Angulo videntur (§. 209). Quare si spatia BC & EF ad distantias perpendiculariter applicentur (§. 225. *Geom.*); cum sit BC ad EF parallelæ (§. 256. *Geom.*), erit AB:AE = BC:EF (§. 268. *Geom.*), consequenter celeritates etiam sunt ut AB ad AE (§. 33. *Mechan.*). *Quod erat alterum.*

THEOREMA LXXXV.

358. Si Objectum remotum E tardius movetur quam vicinus B; motus vicinioris B multo celerior appareat, quam est.

DEMONSTRATIO.

Sint spatia eodem tempore decursa EG = BC & BD. Quodsi Objecta æqualiter ab Oculo immoto A distarent; spatium à tardiori decursum BC tanquam pars spatiæ à celeriori descriptum sub minori Angulo BAC videretur, quam BD. Sed cum ex distantia AE videtur; sub Angulo adhuc minore EAG conspicitur, adeoque multo minor pars apparent ipsius BD (§. 209). Quare cum spatia eodem tempore decursa sint ut celeritates (§. 33. *Mechan.*); cele-

ritas ipsius E multo minorem habere videbitur rationem ad celeritatem ipsius A, quam revera habet (§. 203. *Arithm.*); adeoque celeritas vicinioris A major apparebit quam est (§. 206. *Arithm.*); *Q. e. d.*

PROBLEMA XXXIII.

359. Datis distantiis Objectorum AB & AE ab Oculo immoto A, una cum celeritatibus, quibus versus eandem plangam tendunt; invenire rationem celeritatum, quibus moveri videntur.

RESOLUTIO.

1. Quoniam celeritates sunt ut spatia EG & BD eodem tempore percursa (§. 33. *Mechan.*), datis celeritatibus datur etiam ratio spatiorum EG & BD.
2. Quærantur itaque magnitudines HI & HK quæ in distantia AH 10 vel pauciorum pedum apparet spatii EG & BD æquales.

Cum enim Objecta hæc spatia HI & HK describentia eadem celeritate moveri videantur, qua B & E feruntur (§. 357); erunt utique celeritates apparentes Objectorum B & E ut celeritates, quibus in distantia 10 pedum spatio inventa eodem tempore describuntur.

E. gr. Sit AB:AE = 1:9, EG:BD = 1:3, AH = 10: erit HI = EG. AH:AE = $\frac{10}{9}$ & HK = BD. AH:AB = 30. Sunt adeo celeritates Objectorum E & B apparentes ut $\frac{10}{9}$ ad 30, hoc est, ut 1 ad 27. (§. 178. 191. *Arithm.*).

THEOREMA LXXXVI.

360. Si duo Objecta B & E ab Oculo A inæqualiter distantia diversa celeritate Tab. VI. Fig. 70.

tate versus eandem plagam tendunt; celeritates apparentes sunt in ratione composita ex directa celeritatum verarum & reciproca distantiarum ab Oculo AB & AE.

DEMONSTRATIO.

Sit enim $AB=a$, $AE=b$, $BD=c$, $EG=d$, $AH=e$; erit $HI=de:b$ & $HK=ce:a$, consequenter (§. 268. Geom.) celeritates apparentes sunt ut $de:b$ ad $ce:a$, hoc est, ut ad ad bc (§. 178. 181. Arithm.), nempe in ratione composita ex directa celeritatum verarum EG & BD, atque reciproca distantiarum AB & AE (§. 159. Arithm.) Q. e. d.

THEOREMA XXXVII.

Tab. VI. 361. Objectum E quacunque celeritate
Fig. 70. motum quiescere videtur, si ratio spatii
intervallo unius minutus secundi descripti
EG, ad distantiam ab Oculo EA, fuerit
imperceptibilis.

DEMONSTRATIO.

Cum enim GE sit ad AE ut Tangens Anguli EAG, sub quo videtur Objectum E, ad Sinum totum (§. 7. Trigon.) si ratio ipsius EG ad EA fuerit imperceptibilis, Tangentis quoque ad Sinum totum ratio evanescet, adeoque EG sub Angulo insensibili, hoc est, plane non videtur. Quare Objectum E, quacunque celeritate motum, in eodem loco permanere adeoque quiescere putatur (§. 2. Mechan.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

362. Quoniam ratio spatii unius minutus secundi intervallo descripti ad distantiam Objecti imperceptibilis est, tum si Objectum

vicinum nimis tarde movetur (ut Index Horologii horas monstrans), tum si Objectum celeriter motum valde remotum fuerit (§. 218): celeriter mota videntur quiescere, si nimis longo intervallo ab Oculo distent, & motus vicinorum non percipitur, si nimis tardus fuerit.

COROLLARIUM II.

363. Cum motus Indicis in Horologio & motus Siderum circa Tellurem non percipiatur, intra minutum secundum autem Arcus 15 secundorum percurritur; evidens est spatium à mobili percursum esse imperceptibile, si sub Angulo 15 secundorum videtur, adeoque multo magis, si sub minori conspicitur.

THEOREMA LXXXVIII.

364. Objectum E quacunque celeritate motum quiescere videatur, si spatium percursum intra minutum secundum EG fuerit ad distantiam EA, ut 1 ad 1400.

DEMONSTRATIO.

Est enim Tangens Anguli EAG ad Sinum totum, ut spatium percursum EG ad distantiam EA (§. 7. Trigon.), adeoque in casu praesenti ut 1 ad 1400 (§. 167. Arithm.). Sed Tangens Anguli 15 secundorum est ad Sinum totum ut 727 ad 1000000, vi Canonis, hoc est, fere ut 1 ad 1375. (§. 181. Arithm.). Cum adeo motus sit imperceptibilis, si EG fuerit ad EA ut 1 ad 1375 (§. 363.); multo minus perceptibilis erit, si fuerit ut 1 ad 1400 (§. 204. Arithm.). Q. e. d.

SCHOLION.

365. Immo non dubito imperceptibilem fore motum si EG fuerit ad EA ut 1 ad 1300.

THEOREMA LXXXIX.

366. Si Oculus recta progrediatur ex G in O &c. Objectum remotum in H quiescens in oppositam partem moveri appareret.

DEMONSTRATIO.

Cum enim Oculus in G hæret, objectum H videt in F. Dum ex G. venit in O, idem conspiciet in I; adeoque H ex F in I motum fuisse appareret. Similiter liquet, dum Oculus pervenit in E. Objectum videri in K; consequenter in plagam oppositam moveri appareret.

Q. e. d.

COROLLARIUM.

367. Dum ergo Oculus regreditur ex E in G; Objectum quoque H ex K in F regredi videtur.

THEOREMA XC.

368. Si Oculus A & Objectum B moveantur versus eandem plagam, & Oculus quidem A multo celerius quam Objectum B; Objectum retrogredi videtur.

DEMONSTRATIO.

Dum enim Oculus in A & Objectum in B hæret; videbitur Objectum in C. Quodsi jam Objectum progrediatur in F interea, dum Oculus pervenit in E; Oculus à tergo respiciens videbit Objectum F in G, adeoque ultra terminum C, in quo ex A constitutum apparebat. Videtur itaque Objectum ex C in G retrogressum esse. Q. e. d.

THEOREMA XCI.

369. Si Oculus A recta progreditur inter Objecta B, L, C, D & G, M, E, F

à lateribus posita, hæc ipsi sensim sensim que recedere videntur.

DEMONSTRATIO.

Cum enim remota D & C appareant è longinquo sinistiora vicinioribus B & L; remota vero F & E dexteriora vicinioribus M & G (§. 330); si proprius ad ea accedas, D & C magis versus dextram, F & E vero magis versus sinistram distabunt, Quoniam itaque distantia successive augetur; sensim sensimque C & D versus dextram, F & E vero versus sinistram recedere videntur. Q. e. d.

THEOREMA XCII.

370. Si ad Objectum procul situm recta tendas; nunquam ad id pervenies.

DEMONSTRATIO.

Objectum enim valde remotum Oculo in directum jacere videtur, et si ad dextram vel sinistram satis longo intervallo distet (§. 331). Quodsi igitur ad id recta tendas; proprius accedenti continuo fiet vel sinistrius, vel dexterius, adeoque ad ipsum hac via nunquam pervenies. Q. c. d.

THEOREMA XCIII.

371. Si Oculus ad rem visam accedit, ea augeri videtur.

DEMONSTRATIO.

Dum enim Oculus ex B in D transfertur, Objectum AC videt sub majore Angulo (§. 300. Geom.), adeoque manus appetat (§. 209). Quare cum Angulus sensim sensimque angeatur, Oculo in Objectum defixo, ipsum quoque Objectum AC augeri videatur necesse est. Q. e. d.

THEOREMA XCIV.

372. Si Oculus à re visa recedit, ea minui videtur.

DEMONSTRATIO.

Mutatis mutandis, coincidit cum præcedente.

THEOREMA XCV.

373. Magnitudines auctæ propius accessisse putantur.

DEMONSTRATIO.

Cum enim idem Objectum in vicinia majus appareat, quam è longinquo (§. 211); si magnitudines augmentur, minus quam antea distare videntur, adeoque propius accessisse putantur. Q. e. d.

THEOREMA XCVI.

Tab. 374. Si duo Objecta A & B eadem celeritate moveantur, C vero quiescat; vi-
VI. Fig. 73. debuntur A & B quiescere, C vero in plam contrariam moveri.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim A & B eadem celeritate moventur, per hypoth. distantia earum à se invicem non mutatur; adeoque unum respectu alterius quiescere videtur. Dum vero interea Objectum C prætereunt & situm suum ejus respectu

mutant; C in contrariam plagam moveri videbitur. Q. e. d.

SCHOLION.

375. Exemplum habes in nubibus celerissimè motis, quarum cum partes situm non mutant, Luna in plagam oppositam ferri videtur.

THEOREMA XCVII.

376. Si Oculus celerissime movetur; Objecta juxta latera posita & quiescentia in partem contrariam moveri videntur.

DEMONSTRATIO.

Dum enim Oculus celerissime movetur, ejus ad Objecta juxta latera posita situs continuo mutatur, adeoque ejusdem Objecti Imago alias aliasque Retinæ partes successive occupare debet. Videbitur adeo Objectum istud moveri (86). Q. e. d.

SCHOLION I.

377. Ita si in curru sedens per silvam velociter prov haris, arbores in oppositum currere & navigantibus celeriter littora moveri videntur.

SCHOLION II.

378. Multa sunt Phænomena alia, quæ eodem modo solvuntur. Motus enim percipitur ex motu Imaginis in Retina (§ 68): Imago movetur, si Oculi ad idem Objectum situs continuo & celeriter mutetur.

CAPUT IX.

De Variis Accidentibus Visus & Visione duorum Oculorum.

DEFINITIO XLIV.

379. *Oculis* valere dicitur, qui clare & distincte videt tam remota, quam vicina, pro ratione Anguli Visus.

SCHOLION.

380. Fieri nimirum nequit, ut vicina & remota aequæ clare & distincte videantur: id quod & suo modo de sequentibus tenendum.

DEFINITIO.

DEFINITIO XLV.

381. *Presbyta* est, qui vicina confusa, remota distincte videt.

SCHOLION.

382. *Hoc Senum ut plurimum vitium est: Unde ratio denominationis intelligitur.*

COROLLARIUM.

383. Cum Objecta talia videantur, quales sunt Imagines in Retina delineatae (§. 70); Imagines remotorum in Presbytæ Oculo distinctæ sunt, vicinorum confusæ.

DEFINITIO XLVI.

384. *Myops* est, qui remota confusa, vicina distincte videt.

SCHOLION.

385. *Hoc eorum vitium est, qui Visu breviori utuntur & scripturam Oculis propè admovent lecturi.*

COROLLARIUM.

386. In Myopibus itaque Imagines valde vicinorum distinctæ; remotiorum confusæ sunt (§. 70).

OBSERVATIO XIV.

387. *Si Radiis per Lentem Vitream utrinque convexam transmissis Imago in charta opposita delineatur; majorem à Lente distantiam habet, si hæc fuerit majoris Sphæra segmentum; at minorem, si minoris extiterit.*

COROLLARIUM.

388. Cum Humoris Chrystallini eadem sint vires in refringendis Radiis quæ Vitrorum utrinque convexorum (§. 61); Imago quoque ejusdem Objecti distincta majori intervallo ab eo distabit, si tam majoris, quam si minoris fuerit Sphæræ segmentum.

SCHOLION.

389. *Hæc infra in Dioptrica demonstrantur.*

OBSERVATIO XV.

390. *Lux nimia Visui officit; per Ra-*

dios tamen plures clarius videtur Ob-jectum, quam per pauciores.

SCHOLION.

391. *Radii nimirum nimis fortiter in Retinam agentes eam lœdunt: plures vero fortius in eam agunt, quam pauciores.*

THEOREMA XCVIII.

392. *Si Objectum per Pupillam ampliatam in Oculum radiat, per plures Radios videtur, quam si Radii per coarctatam ingrediuntur.*

DEMONSTRATIO.

Cum enim quodlibet Objecti Punctum in Oculum per Conum radiet, cuius Vertex in ipso Puncto radiante, Basis vero Pupilla est (§. 326); Coni autem æque alti sint ut Basæ (§. 573. Geom.); per Pupillam ampliatam plures Radii in Oculum ab eodem Puncto Objecti immittuntur, quam per coarctatam. Quoniam itaque Radii ab uno Objecti Puncto egressi per refractionem in Humore Chrystallino passam rursus in uno Retinæ Puncto uniuntur (§. 75); Objectum videtur per plures Radios, si per Pupillam ampliatam in Oculum radiat, quam si per coarctatam Radios immittit. (§. 76). Q. e. d.

COROLLARIUM.

393. *In priore igitur casu, si Lux debilis vel temperata fuerit, clarius videtur quam in altero. Si vero Lux fuerit nimia; Visio est melior in casu posteriori (§. 390).*

THEOREMA XCIX.

394. *Qui Oculis valent, illorum Pupilla sufficienter coarctari & ampliari potest.*

DEMONSTRATIO.

Qui Oculis valent, Objecta clare vident (§. 397) adeoque per Radios plures, non tamen nimios (§. 390). Quare cum Pupilla ampliata Objectum clarius videatur in Luce temperata vel debiliore (§. 393); Pupilla sufficienter dilatari potest. Et quia in Luce maiore melius videtur per coarctatam (§. cit.); in hoc casu sufficienter coarctari potest. Qui adeo Oculis valent, illorum Pupilla sufficienter coarctari & ampliari potest. *Q. e. d.*

THEOREMA C.

395. *Quorum Pupilla nimis ampliata, nec satis coarctari potest; ii in Luce debiliore melius vident, quam in clariori.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam Objectum per Pupillam ampliatam radians per plures Radios videtur, quam si Radii per coarctatam ingrediuntur (§. 392), Lux vero nimia Visui officit (§. 390); in Luce clariori non bene videbunt, quorum Pupilla satis coarctari nequit. Quoniam tamen Objectum clarius videtur, si Lux temperata vel debilior radiet per Pupillam ampliatam, quam per minus ampliatam (§. 393); in Luce debiliore melius vident. *Q. e. d.*

THEOREMA CI.

396. *Quorum Pupilla est nimis arcta, nec sufficienter ampliari potest; in Luce clariori melius vident, quam in debiliore.*

DEMONSTRATIO.

Si Lux debilis sit vel temperata, Objectum melius videtur, quod radiat per Pupillam ampliatam (§. 395). Quo-

rum igitur Pupilla sufficienter ampliari nequit; in Luce debili non bene vident. Quoniam tamen per Pupillam coarctatam melius videtur Objectum, si Lux fuerit clarior (§. 393); quorum Pupilla est valde arcta, in Luce clariori bene vident. *Q. e. d.*

SCHOLION.

397. *Quemadmodum vero diversi dantur gradus claritatis & obscuritatis; ita quoque limites coarctationis & ampliationis Pupillæ variij esse possunt, qui nimii vel sufficientes dicantur.*

THEOREMA CII.

398. *Si distantia Retinæ ab Humore Chryſtallino nimis exigua fuerit; homo erit Presbyta.*

DEMONSTRATIO.

Si distantia Retinæ ab Humore Chryſtallino nimis exigua fuerit; in Retina distinctæ delineari nequeunt Imagines vicinorum (§. 64). Objecta igitur vicina distincte videri nequeunt (§. 70). Quoniam tamen Imagines remotorum distinctæ esse possunt (§. 64); remota distincte videri possunt (§. 70). Nam obrem ubi distantia Retinæ ab Humore Chryſtallino nimis exigua fuerit; homo erit Presbyta (§. 381). *Q. e. d.*

THEOREMA CIII.

399. *Si Humor Chryſtallinus fuerit non satis convexus; Homo erit Presbyta.*

DEMONSTRATIO.

Si enim Humor Chryſtallinus non satis convexus, hoc est, majoris Spæræ segmentum; Imago majori intervallo ab eo distat, quam ubi fuerit magis convexus (§. 388). Quare cum vicinorum

rum Imagines ab Humore Chrystallino magis distent, quam remotorum (§. 64); si is non satis fuerit convexus, Imago magis distare debet, quam Retina, consequenter nulla in Retina Imago distincta delineatur; adeoque nec Objecta vicina distincte videntur (§. 70). Quoniam tamen Objectorum remotorum Imagines à Chrystallino Humore minori intervallo distant (§. 64); ut remotorum Imagines in Retina distincte delineantur fieri potest. Ea igitur distincte videbuntur (§. 70), consequenter homo Presbyta est (§. 381). *Q. e. d.*

SCHOLION.

400. Cuinam causæ in casu quolibet dato Presbytae vitium tribuendum; nondum certo definire licet.

THEOREMA CIV.

401. Si Retina ab Humore Chrystallino nimis remota fuerit; homo Myops erit.

DEMONSTRATIO.

Si Retina ab Humore Chrystallino nimis remota fuerit, in ea distincte delineari nequeunt Objecta remota (§. 64). Remota igitur distincte non videntur (§. 70). Quoniam tamen id non obstat, quo minus vicinorum Imagines distinctæ esse possint (§. 64); vicina distincte videri possunt (§. 70). Homo igitur Myops est (§. 384). *Q. e. d.*

THEOREMA CV.

402. Si Humor Chrystallinus fuerit nimis convexus; homo Myops erit.

DEMONSTRATIO.

Si enim Humor Chrystallinus fuerit nimis convexus, Imago exquo interval-

lo ab eo distat (§. 388). Quare cum Objectorum remotorum Imagines distinctæ Humori Chrystallino etiam sint viciniores (§. 64); Imago delincabitur, antequam Radii ad Retinam pertingant, adeoque in Retina non erit Imago distincta; Objectum itaque remotum videtur confusum (§. 70). Quoniam tamen vicinorum Imagines ab Humore Chrystallino magis distant (§. 64); fieri potest ut eæ in Retina sint distinctæ. Videbitur adeo Objectum vicinum distinctum (§. 70). Homo itaque Myops est (§. 384). *Q. e. d.*

SCHOLION.

403. Quoniam Sphæricitas non minus Chrystallini Humoris, quam ejus à Retina distantia gradus varios admittit; utrumque etiam vitium gradus varios habet.

THEOREMA CVI.

404. Si Humoris Chrystallini convexitas facile mutari possit, eadem manente ejus à Retina distantia; homo Oculis valebit.

DEMONSTRATIO.

Sit ea Humoris Chrystallini à Retina distantia, ut Objectorum vicinorum Imagines sint distinctæ; in ea distantia Imagines remotorum erunt confusæ, cum in Humore Vitreo distinctæ apparere debeat (§. 64): Quodsi jam Humor Chrystallinus fiat minus convexus seu paulisper complanetur; Imago distincta longius ab eo recedere debet (§. 388). Cum itaque in Retinam incidit; Objectum etiam remotum distincte videtur (§. 70).

Eodem modo ostenditur, mutata figura Humoris Chrystallini in magis convexam, vicina distincte videri de-

bere, cum antea distincte viderentur remota.

Quare si convexitas Humoris Chryſtallini facile mutari poſſit; & remota, & vicina diſtincte videntur, conſequen-ter homo Oculis valebit (*§. 379*). *Q. e. d.*

THEOREMA CVII.

405. Si, eadem manente Humoris Chryſtallini figura, diſtantia inter eum & Retinam facile mutetur; homo Oculis valebit.

DEMONSTRATIO.

Sit ea Humoris Chryſtallini à Retina diſtantia, ut remotorum Imagines in ea diſtincte delineentur. Remota itaque diſtincte videbuntur (*§. 70*). Jam cum Imago diſtincta vicinorum magis à Chryſtallino diſtet (*§. 64*); si diſtantia Chryſtallini à Retina facile mutari poſſit, vicinorum quoque Imago diſtincta in Retina delineabitur, adeoque vicina diſtincte videbuntur (*§. 70*).

Eodem modo ostenditur, Objectum remotum etiam diſtincte videri poſſe, si ab initio ea fuerit Chryſtallini à Retina diſtantia, ut Imagines vicinorum ſint diſtinctæ.

Patet itaque ſi, eadem manente Humoris Chryſtallini figura, diſtantia inter eum & Retinam facile mutetur, & remota, & vicina diſtincte videri; adeoque hominem Oculis valere (*§. 379*). *Q. e. d.*

THEOREMA CVIII.

406. Si & Humoris Chryſtallini figura, & ejus à Retina diſtantia facile mu-
tetur; homo Oculis valebit.

DEMONSTRATIO:

Patet ex Demonstrationibus Theore-
matum 106 & 107 (*§. 404. 405*).

SCHOLION.

407. Que de diversis Oculorum accidenti-
bus huic usque demonstravimus, in Oculo arti-
ficiali (*§. 78*) clarissimè oſtenduntur.

THEOREMA CIX.

408. Myopes in Luce minore legere
poſſunt quam Presbytae.

DEMONSTRATIO.

Cum enim quodlibet Objecti Punc-
tum radiet in Oculum per Radios di-
vergentes (*§. 49*); idem Objectum per
plures Radios videbitur, ſi fuerit vici-
nius, quam ubi ab Oculo magis remo-
vetur (*§. 87*). Quare cum Myopes,
ut legant, scripturam Oculis proprius
admoveant (*§. 385*); literas per plu-
res Radios vident, quam Presbytæ,
adeoque etiam clarius (*§. 390*). Quæ
igitur Presbytis non ſufficit ad legendum
Lux, Myopibus tamen ſufficere poſteſt.
Q. e. d.

SCHOLION I.

409. Eadem eſt ratio, quod in Luce mi-
nore scripturam Oculo proprius admoveant,
etiam qui Oculis valent, & hinc ſi quis quo-
tidie ad Lucem creperam aut candelam nou-
probè emunctam scripturam minutam legit,
facile fit Myops.

SCHOLION II.

410. Tam Myopes, quam Presbytæ per
exiguum foramen acicula in charta efforma-
tum diſtinctè videre ſolent, que charta remota
confusè repræſentantur. Ejus rei ratio non
eſt obſcura, ſi quis ea meditetur, que de cau-
ſis confusæ Visionis paulo ante, & de ſpeciebus
per exiguum foramen in Cameram obſcuram
transmissis ſuperius (*§. 119*) dicta ſunt.

THEOREMA CX.

411. Si Corpus Opacum HI intra Axes Opticos AC & BC comprehendantur; nullam Objecti KL partem teget utriusque Oculo simul, partem tamen aliquam DC teget dextro B, aliam CE sinistro A.

DEMONSTRATIO.

Cum enim HI non obstet, quo minus ex singulis Punctis KC ad Oculum A rectæ duci possint; KC ab Oculo A videri potest (§. 60). Ex eadem ratione liquet, partem CL videri ab Oculo B. Utrique igitur Oculo simul nihil Objecti KL tegitur. *Quod erat unum.*

Enimvero quia HI est Corpus Opacum, per hypo:h. Radios à CE versus A propagandos intercipit (§. 12). Ab Oculo igitur A non videtur CE. Eodem modo patet, non videri CD ab Oculo B. Pars igitur CE tegitur Oculo A, pars vero DC alteri B. *Quod erat alterum.*

THEOREMA CXI.

412. Si Corpus Opacum KL distantia Axium Opicorum AC & BC fuerit minor; pars media HI ab utroque Oculo A & B videtur una cum extremis DF & GE, interjacentes autem FH & IG videntur ab alterutro tantum.

DEMONSTRATIO.

Cum enim Opacum KL impediat, quo minus ab FH ad B & ab IG ad A rectæ duci possint: FH ab Oculo B non videbitur, neque IG ab Oculo A (§. 60). Sed cum non obstet, quo minus à FH in Oculum A & ab IG in Oculum B Rayi emanent (§. c.t.); IH in A & IG

in B videbitur. Eodem modo constat, partem medium HI cum extremis DF & GE videri in A & B simul. *Q. e. d.*

THEOREMA CXII.

413. Si Corpus Opacum HI Axes Opticos AC & BC excedat; pars media FG utriusque Oculo A & B tegetur, proxime adjacentes GL & KF tegentur tantum alterutri, DK & LE nulli.

DEMONSTRATIO.

Quoniam HI intercipit Radios ab FL versus A & à KG versus B propagandos (§. 12.46); FG ab Oculo nullo, KF tantum ab unico A, GL ab altero B videri potest (§. 42); reliquæ vero partes DK & LE videntur ab utroque. *Q.e.d.*

THEOREMA CXIII.

414. Si Corpus Opacum HI intra Axes Opticos AC & BC comprehendatur; erit pars ab uno tantum Oculo B visa DC, ad Oculorum distantiam AB; ut distantia alterius extremi Opaci H ab Horoptere HC, ad distantiam ejusdem ab Oculo vicino A.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim AB ipsi DC parallela (§. 341), erit $o=x$ (§. 233. Geom.). Quare cum etiam Verticales ad H æquales (§. 156. Geom.); erit $DC:HC=AB:AH$ (§. 267. Geom.) consequenter $DC:AB=HC:AH$ (§. 173. Arithm.). Eodem modo ostenditur, esse $CE:AB=CI:IB$. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

415. Quodsi $CI > HC$ (id quod continet, si HI ad distantiam Oculorum versus

Tab.
VI.
Fig.
75.

Tab.
VI.
Fig.
69.
n. I.

sus dexteram convergit); CI ad rectam ipsa IB minorem majorem rationem habet, quam CI ad IB (§. 205. Arithm.), consequenter ipsa CI major ad eandem minorem ipsa IB majorem rationem habet quam CI ad IB (§. 207. Arithm.). Quanobrem CE ad AB jam rationem maiorem habet, quam ubi $CI = CH$ (§. 414), consequenter pars CE ab Oculo A visa major, quam ante (204. Arithm.). Enimvero ubi $CI = CH$, etiam $CE = DC$. Quare ubi $CI > HC$, etiam $CE > DC$ (§. 89. Arithm.).

THEOREMA. CXIV.

Tab.
VI.
Fig. 74.

416. Si Corpus Opacum KL fuerit minus intervallo Axium Opticorum AC & BC; erit pars media HI, qua ab utroque Oculo A & B videtur, ad distantiam Oculorum AB, ut segmenta MI & AM Radii ex Oculo A per extremitatem ipsi vicinam K in Horopterem ducti.

DEMONSTRATIO.

Quoniam HI ipsi AB parallela (§. 341), erit $HIM = MAB$ (§. 233. Geom.). Quare cum etiam verticates ad M aquales sint (§. 156. Geom.); erit $HI : IM = AB : AM$ (§. 267. Geom.). consequenter $HI : AB = IM : AM$ (§. 173. Arithm.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

417. Quodsi KL Oculis fuerit proprius, segmentum MI fiet majus, AM vero minus: descendente enim Corpore KL, ita ut secum rapiat rectam BH, Punctum quoque M descendere evidens est. Quoniam itaque MI ad rectam ipsa AM minorem, majorem habet rationem quam MI ab AM (§. 250. Arithm.); recta quoque ipsa MI major ad eadem rectam ipsa AM minorem, multo magis majorem rationem habebit

quam MI ad AM (§. 203. Arithm.), consequenter si KL Oculo vicinus, HI ad AB majorem rationem habet, quam si remotius (§. 416), adeoque pars media HI ab utroque Oculo visa major est (§. 204. Arithm.).

THEOREMA. CXV.

418. Si Corpus Opacum KL fuerit distantia Oculorum AB parallelum & intervallo Axium Opticorum minus; erit excessus partis Oculo alterutri B tectæ FH supra latitudinem Opaci KL, ad eandem latitudinem KL; ut distantia vicinioris extremitab Horoptere HL, ad distantiam ejus ab Oculo BL.

DEMONSTRATIO.

Quia KL ipsi AB parallela per hypoth. AB vero ipsi FH (§ 341); erit quoque KL parallela ipsi FH (§. 232. Geom.), & hinc $BH : BL = FH : KL$ (§. 268. Geom.), consequenter $HL : BL = FH : KL$ (§. 193. Arithm.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

419. Quodsi KL Oculo fuerit vicinus, BL fit minor, consequenter cum ratio ipsius BL ad BH decrescat (§. 203. Arithm.), decrescit etiam ratio ipsius KL ad FH (§. 418). Quare cum KL fit constans, pars quoque tecta FH major sit necesse est (§. 206. Arithm.)

THEOREMA. CXVI.

420. Si latitudo Corporis Opaci HI fuerit distantia Oculorum AB aequalis; pars utriusque Oculo tecta FG eidem aequalis erit.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $HI = AB$ per hypoth. ac præterea supponitur eidem AB parallela (et si

(etsi enim Corpus ipsum inclinetur ad distantiam Oculorum AB, concipere tamen licet in omni casu rectam HI, quæ ex uno ejus extremo H ducta terminatur in Radio BG per alterum extremum transeunte); erit quoque AH ipsi BI seu AF ipsi BG parallela (§. 257. Geom.). Quare cum FG sit parallela ipsi AB (§. 341); erit FG=AB (§. 257. Geom.). Q. e. d.

THEOREMA CXVII.

421. Si latitudo Corporis Opaci GH distantia Oculorum AB fuerit minor, sed intervallo Axium Opticorum AC & BC major; minorem partem Objecti IK reget, uti Oculis proprius fuerit, majorem vero, si magis removetur: pars tamen tecta IK minor est latitudine Opaci GH, quamdui distantia ejus ab Horoptere perceptibilis.

DEMONSTRATIO.

Producatur GH in M, donec GM=AB. Quoniam GH supponitur ipsi AB parallela; erit quoque BM parallela ipsi GA (§. 257. Geom.). Est adeo summa angulorum o & y duobus rectis æqualis (§. 233. Geom.). Quare cum x > y (§. 188. Geom.); erit summa duorum o & x major duobus rectis (§. 90. Arithm.), consequenter AG & BH versus Oculos divergunt (§. 261. Geom.), adeoque convergunt versus F (§. 263. Geom.). Quoniam itaque IK ipsi AB parallela (§. 341); erit IK:GH=FI:FG (§. 268. Geom.) consequenter ob FI < FG etiam IK < GH. Quod erat unum.

Quodsi concipiamus Opacum GH removeri ab Oculis versus Horopterem DE; Lineæ AF & BF majori intervallo à se invicem recedent, consequenter major evadet Punctorum I & K distantia (§. 192. Geom.), hoc est, pars tecta IK augetur. Quod erat alterum.

THEOREMA CXVIII.

422. Si latitudo Opaci FG fuerit distantia Oculorum AB major; eo majorem partem IK teget, quo oculis A & B proprius fuerit: pars vero tecta semper major latitudine Opaci FG.

DEMONSTRATIO.

Quoniam FG parallela ipsi AB eademque major, per hypoth. si fiat GH=AB, erit AH ipsi GB parallela (§. 257. Geom.) adeoque summa angulorum o & x duobus rectis æqualis (§. 233. Geom.). Quare cum o > y (§. 188. Geom.); erit summa angulorum x & y duobus rectis minor (§. 90. Arithm.); consequenter rectæ FA & GB versus L convergunt (§. 262. Geom.). Est itaque LF: LI=FG: IK (§. 268. Geom.). & hinc ob LI > LF etiam IK > FG. Quod erat unum.

Quodsi concipiamus Opacum FG ad Oculos A & B proprius accedere; lineæ IL & LK magis à se invicem discedunt, consequenter pars tecta IK major evadit. Quod erat alterum.

THEOREMA CXIX.

423. Si latitudo Opaci FG fuerit distantia Oculorum AB major; erit excessus partis tectæ IK supra latitudinem Opaci FG ad excessum hujus supra distantiam

tiā Oculorum AB, ut distantia alterius extremi ab Horoptere FI ad distantiam ejusdem ab Oculo vicinore FA.

DEMONSTRATIO.

Quoniam MK & FG parallelæ ipsi AB (*per hypoth. & §. 341*); ducta AM ipsi KB parallela, erit AB=HG=MK (*§. 257. Geom.*). Est igitur FH excessus ipsius FG supra AB & IM excessus ipsius IK supra eandem AB, adeoque IM-FH excessus ipsius IK supra FG. Quare cum sit AI : AF = IM : FH (*§. 268. Geom.*); erit etiam FA : FI = FH : IM — FH (*§. 193. Arithm.*), adeoque etiam IM — FH : FH = FI : FA (*§. 169. Arithm.*). Q. e. d.

THEOREMA CXX.

Tab. VI. 424. Si latitudo Opaci GH fuerit minor distantia Oculorum AB, sed major intervallo Axium Opticorum; erit excessus latitudinis Opaci GH supra partem tectam IK ad excessum distantiae Oculorum AB supra latitudinem Opaci GH, ut distantia extremi alterutrius Opaci ab Horoptere HK ad distantiam ejusdem ab Oculo vicino BH.

DEMONSTRATIO.

Quoniam IO (*§. 341*) & GH per hypoth. ipsi AB parallelæ; ductis BL & ON ipli AI parallelis, erit OL=HM=NB & IO=GH=AN (*§. 257. Geom.*), adeoque HM excessus distantiae Oculorum AB supra latitudinem Opaci GH, & KO excessus hujus supra partem tectam IK. Quare cum sit BH :

BK=HM: KL (*§. 268. Geom.*); erit etiam BH: KH=HM: KO (*§. 193. Arithm.*), adeoque etiam KO: HM = KH : BH (*§. 169. Arithm.*). Q. e. d.

THEOREMA CXXI.

425. Si Humor Chrystallinus est minoris Sphera segmentum; Objectum valde minutum distinctius videtur, quam si majoris fuerit.

DEMONSTRATIO.

Qui enim habent Humorem Chrys-tallinum valde convexum, sunt Myopes (*§. 402*); adeoque Objecta pro-pius admovent Oculo (*§. 384*). Sed cum propiora majora appareant remo-tioribus (*§. 211*); fieri potest, ut, quod Presbyta ob parvitatem non be-ne distinguit, idem tamen distinc-te cer-natur à Myope, hoc est, ab eo, qui Humorem Chrystallinum habet valde convexum (*§. 42*). Q. e. d.

SCHOLION.

426. Hinc Myopes legunt scripturam mi-nutam; & Oculis animantium, quæ minore cibo utuntur & ab Objectis minutis facile la-duntur, inest Humor Chrystallinus valde con-vevus.

THEOREMA CXXII.

427. Si Diameter Sphaera CD dis-tan-tia Oculorum AB equalis fuerit, & recta ex Centro Sphaera in medium dis-tan-tia ducta EF sit perpendicularis ad AB; Oculi A & B circa Axem EF acti to-tum Hemisphaerium lustrabunt.

DE-

DEMONSTRATIO.

Erigantur ex C & D super Diametro CD perpendiculares CA & DB, itemque alia ex Centro EF: quæ omnes cum inter se parallelæ existant (§. 256. Geom.), si ex B demittatur perpendicularis BA ad CA, erit eadem ad FE perpendicularis (§. 230. Geom.) & tam AB = CD, quam FB = ED (§. 226 Geom.). Quantocunque igitur intervallo à Sphæra statuantur Oculi A & B; semper in parallelis CA & DB Centra eorum hærebunt, *vi hypoth.* Enimvero quoniam inter rectam BD & Circulum non alia recta duci potest (§. 304. Geom.), Punctum remotius quam D Oculus B videre nequit (§. 47). Eodem modo ostenditur, Oculum A non videre Punctum remotius quam C. Est vero DEG rectus, *per superiora*, adeoque GD, itemque CG quadrans (§. 143 Geom.). Quodsi ergo rectangulum DBFE, itemque alterum EFAC circa Axem EF rotari concipiamus, uterque quadrans Hemisphærium describet (§. 470. Geom.). Quamobrem Oculi circa Axem Sphærae continuatum moti totum Hemisphærium lustrabunt. Q. e. d.

THEOREMA CXXIII.

428. Si distantia Oculorum AB fuerit major Diametro Sphærae & recta ex Centro Sphærae ad medium distantia ducta EF ad AB perpendicularis; Oculi A & B circa Axem FE ducti partem Hemisphærio majorem successive spectabunt.

DEMONSTRATIO.

Quoniam FB > ED *per hypoth.* & DB

Circulum in D tangens ad ED perpendicularis (§. 308. Geom.); ED ad EF normalis esse nequit: foret enim alias DB parallela ipsi GF (§. 256. Geom.) & hinc porro DE = FB (§. 226. Geom.) *contra hypothesis.* Ducatur ergo DG ad FH perpendicularis (§. 216. Geom.); erit DG < DE (§. 220. Geom.), adeoque FB > DG. Distantiæ adeo rectæ BD à recta FG continuo decrescent (§. 225. Geom.) & hinc BD cum FG versus H convergit (§. 83. Geom.). Quamobrem cum HDE sit rectus *per demonstrata*, & x minor recto (§. 219. Geom.); erit o major recto (§. 147. Geom.), atque DI quadrante major (§. 143. Geom.). Eodem modo ostenditur, esse CI quadrante majorem. Quodsi jam concipiamus Trapezium CABD circa Axem GF rotari; arcus DI partem Hemisphærio majorem emergetur (§. 470. Geom.). Oculi igitur B & A circa eundem Axem circumducti partem Hemisphærio majorem spectabunt. Q. e. d.

THEOREMA CXXIV.

429. Si distantia Oculorum AB fuerit minor Diametro Sphærae & recta EF ex Centro Sphærae E ad medium distantia ducta Fig. 80. F ducta sit ad AB perpendicularis; Oculi A & B circa Axem EF circumducti minorem Hemisphærio partem spectabunt.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Radius extremus BD Sphæram tangens in B ad DE perpendicularis (§. 308. Geom.) & FB < ED atque ad EF normalis *per hypoth.* ED ad EF

normalis esse nequit : foret enim alias DB parallela ipsi EF (§. 256. *Geom.*) & hinc porro ED=FB (§. 226. *Geom.*) *contra hypothesin.* Ducatur ergo DL perpendicularis ad EF (§. 216. *Geom.*) ; erit DL ipsi FB parallela (§. 256. *Geom.*). adeoque LDB=FBH (§. 233. *Geom.*). Quare cum LDB sit recto minor , utpote pars recti EDB, *per demonstrata* ; erit quoque FBH recto minor , & quia F est rectus, *per hypoth.* HFB & HBF junctim sumti duobus rectis minores. Lineæ

igitur DB & EF versus H convergunt (§. 262. *Geom.*) & ob DLE rectum , *per demonstrata*, HED recto minor (§. 219. *Geom.*), consequenter arcus GD quadrante minor (§. 143. *Geom.*). Eodem modo ostenditur , Arcum CG esse quadrante minorem. Quodsi ergo concipiamus , Trapezium CDAB circa Axem EF rotari ; Oculi A & B minorem Hemisphærio partem spectabunt (§. 470. *Geom.*). Q. e. d.

F I N I S O P T I C A E.




FIG. OPTIC. TAB. I.

Fig. 1. $\frac{1}{12} P.$




Fig. 5.



Fig. 11.




Fig. 3.




Fig. 9.




Fig. 5.

Fig. 12.








FIG. OPTIC. TAB. II.

Fig. 17.




Fig. 18.




Fig. 21.




Fig. 26.




Fig. 19.




Fig. 24.




Fig. 20.





Fig. 25.




Fig. 22.




Fig. 23.



FIG. OPTIC. TAB. III.




FIG. OPTIC. TAB. IV.




FIG. OPTIC. TAB. V.




Fig. 54.



Fig. 55.



Fig. 56.




Fig. 57.




Fig. 58.




Fig. 59.




Fig. 60.




Fig. 61.



Fig. 67.




Fig. 62.




Fig. 63.




Fig. 64.




Fig. 68.




Fig. 65.



Fig. 66.

FIG. OPTIC. TAB. VI.

Fig. 69.




Fig. 69.




Fig. 70.




Fig. 73.



Fig. 71.




Fig. 72.




Fig. 74.







Fig. 79.




Fig. 78.





Fig. 77.



FIG. OPTIC. TAB. VII.




Fig. 82.




Fig. 83.





Fig. 84.





Fig. 85.



ELEMENTA PERSPECTIVE.

P R A E F A T I O.



Uoniam inter Artes ab humano ingenio inventas eminent Pictoria ; operam profecto non perdunt , qui in ea excolenda desudant. Non igitur miramur , Viros præclaris ingenii dotibus instructos in hac Arte perficienda multum industriæ posuisse , præfertim cum hoc labore fungi non posset , nisi in Geometria & Optica versatus. Nata hinc est Perspectiva , Artis Pictoriæ complementum , cuius ignarus ut omnes in Picturis errores evitet fieri nequit. Cum adeo sine ea nullum Pictoris opus sit consummatum ; optandum foret , ut nemo Arti Pictoriæ se traderet , nisi idem Perspectivæ Leges cognitas atque perspectas sibi reddere decreverit. Enimvero non modo Pictoribus utilis est Perspectiva ; verum etiam Architectis & iis , qui practicas Matheſeos partes ad usum indigentiaæ humanae transferunt. In Machinarum præfertim ideis pulchre

delineandis omne fert punctum. Juvat etiam Philosophos ejus cognitio: cum enim eorum sit, possibilium pervestigare rationes; non sine insigni voluptate cognoscunt, cur & quomodo fieri possit, ut Radii à Tabula reflexi speciem Objecti, qualis in data distantia atque altitudine Oculi apparet, secum ad Oculum afferant. Non igitur mihi sufficit, Regulas Perspectivæ tradidisse; sed earum quoque Demonstrationes addidi, ut tam iis satisfacerem, quibus Ars Delineandi ac Pingendi curæ cordique existit, quam illis, qui Philosophantur. Exempla pauca tradidi, tum ne numerus Figurarum multiplicaretur, tum quia multis non est opus. Qui enim vim Regularum tenet, proprio Marte excogitabit plura. In Exemplis quæ proposui distantiam Oculi assumpsi minorem; ne Figuræ fierent prolixiores. Facile autem eas in maiores mutabit, qui Praxi studet. Cæterum Perspectivam Opticæ jungimus, quia tanquam rivulus ex hoc fronte derivatur, ita ut etiam à nonnullis (*a*) in ipsa Optica tradatur; alii contra Opticam cum Catoptrica & Dioptrica Perspectivæ nomine insigniverint (*b*).

ELEMEN.

(*a*) Fecit id ANDREAS TACQUET, in *Operibus Mathematicis*.

(*b*) Pertinet huc JOANNIS Archiepiscopi CANTUARIENSIS, *Perspectiva Communis*.

ELEMENTA PERSPECTIVÆ.

C A P U T P R I M U M.

De Fundamentis Perspectivæ.

D E F I N I T I O . I.

1. **PERSPECTIVA** est Scientia delineandi in Tabula quodlibet Objectum, quale ad datam distantiam & in data altitudine Oculo apparet super Tabula transparente inter ipsum & Objectum ad Horizontem perpendiculariter erecta.

S C H O L I O N.

2. Ponamus Tabulam Vitream HI super Plano Horizontali perpendiculariter erectam & Spectatorem S Oculum O diregere in triangulum ABC. Quodsi concipiamus Radios OA, OB, OC &c. in transitu per Tabulam vestigia sui in a, b, c relinquere; super ea comparebit Triangulum a b c, quod cum per eosdem Radios aO, bO, cO in Oculum radiet, per quos species Trianguli ABC ad eundem defertur, veram Trianguli ABC apparentiam exhibere debet etiam Objecto ACB remoto, distantia tamen & altitudine Oculi servata (§. 43. Optic.). In Perspectiva igitur docetur, quomodo per certas Regulas Puncta a, b, c &c. Geometricice investigentur. Hinc vero intelligitur Praxis Mechanica Objectum datum accuratius delineandi, quam ob utilitatem ejus hic exponi fas est.

P R O B L E M A . I.

3. Objectum quocumque datum accurate delineare.

R E S O L U T I O .

1. Ex quatuor subscudibus paretur Qua-

dratum DE per fila iisdem parallelis in areolas quadratas inter se æquales divisum.

2. Super Tabula FG eidem firmiter annexa erigatur perpendiculariter Dioptra H, ut sit Quadrato parallela.
3. Charta, in qua Objectum delineandum, dividatur in totidem areolas quadratas, in quot Quadratum DE divisum.
4. Per Dioptram H Oculo in Objectum directo, quod ultra Tabulam DE debito intervallo remotum, observetur, in quibus areolis Tabulae DE singulæ partes appareant, & eadem delineentur in Quadratulis, quæ super Charta iisdem respondent.

Ita Artis delineandi peritus satis accurate apparentiam Objecti exhibebit.

D E F I N I T I O . II.

4. *Pyramis Optica ABCO* est Pyra. Tab. I. mis, cuius Basis est Objectum visibile Fig. 1. ABC, Vertex vero in Oculo O, formata per Radios à singulis Perimetri Punctis in Oculum O ductos. Hinc simul patet, quid sit *Triangulum Opticum AOB.* Fig. 6.

D E F I N I T I O . III.

5. *Radii Optici* vocantur, quibus Tab. I. terminatur Pyramis Optica vel Triangulum

gulum Opticum veluti OA, OC, OB.

DEFINITIO IV.

6. *Tabula* est superficies plana & pellicula HI inter Oculum O & Objectum ABC ad Horizontem perpendiculariter erecta, nisi expresse contrarium moneatur, Radios Opticos in a, b, c secans.

SCHOLION.

7. *Hinc nonnulli Sectionem appellant. Vocantur etiam Planum Perspectivum, quia in eo exhibetur apparentia Objecti: item Vitrum, quia istiusmodi Tabulae pellucidæ sunt Vitrea.*

DEFINITIO V.

8. *Planum Geometricum* est Planum LM Horizonti parallelum, in quo concipiimus situm Objectum Perspective delineandum & cui Planum Perspectivum, nisi contrarium moneatur, ad Angulos rectos insilit.

DEFINITIO VI.

9. *Planum Horizontale* est Planum Horizonti parallelum & per Oculos transiens, quod Planum Perspectivum HI super Geometrico LM normaliter erectum ad Angulos rectos secat.

DEFINITIO VII.

10. *Planum Verticale* est, quod ad Geometricum LM perpendicularare per Oculum O transit & Perspectivum HI ad Angulos rectos secat.

DEFINITIO VIII.

11. *Linea Terræ vel Fundamentalis*
Tab. I. NI est intersectio Plani Geometrici LM
Fig. 3. & Perspectivi HI.

SCHOLION.

12. *Sunt etiam, qui Basin Tabulae appellant, quoniam Lineæ Terræ insilit.*

DEFINITIO IX.

13. *Punctum Visus seu Oculi est Punctum F in Tabula HI, in quod cadit recta OF ex Oculo O ad Tabulam HI perpendicularis. Vocatur etiam Punctum Principale.*

COROLLARIUM.

14. Est adeo in intersectione Plani Horizontalis & Verticalis (§. 9. 10).

DEFINITIO X.

15. *Linea distantiae* est recta OF, ab Oculo O ab Punctum principale F ducta.

COROLLARIUM.

16. Quoniam ad Tabulam perpendicularis (§. 13), non est nisi distantia Oculi à Tabula (§. 225. Geom.).

DEFINITIO XI.

17. *Linea Horizontalis* est recta PQ, per Punctum principale F ducta & Horizonti parallela, seu intersectio Plani Horizontalis & Perspectivi (§ 9).

COROLLARIUM.

18. Est itaque Lineæ Terræ parallela (§. 8. 11).

DEFINITIO XII.

19. *Punctum distantiae* est Punctum P vel Q in Linea Horizontali PQ, quod tanto intervallo distat à Puncto principali F, quanto Oculus O ab eodem removetur.

SCHOLION.

20. *Nempe si in Linea Horizontali PQ assumatur FP = FO, erit P Punctum distantiae.*

DEFINITIO XIII.

21. *Altitudo Oculi OS est recta ex Oculo ad Planum Geometricum perpendicularis.*

DEFINITIO XIV.

22. *Apparentia, Repræsentatio, Projectio* Puncti est Punctum a , per quod transit Radius Opticus OA à Puncto Objecti A per Tabulam HI ad Oculum O ductus, seu Punctum a in quo Tabula HI Radium Opticum OA secat. Unde etiam patet, quid sit *Projectio*, vel *Apparentia Lineæ, Plani atque Solidi*.

DEFINITIO XV.

23. *Ichnographia Geometrica* est Descriptio Figuræ Planæ in Plano Geometrico, cui tanquam Basi Corpus innititur, aut inniti fингitur.

SCHOLION.

24. *Insistat Plano Geometrico Prisma Triangulare ABCD*: hujus ergo Basis, nempe Triangulum ABC, si in Plano Geometrico describitur, Ichnographia Geometrica fieri dicitur. Ponamus idem Prisma AE in libero aëre suspendi, ita ut Planum CBEF sit Plano Geometrico parallelum. Quodsi ex singulis Angulis A, C, B, D, E, F demittantur perpendiculares ad Planum Geometricum; figura HGIK fингitur esse Basis Prismatis in hoc situ, ejusque in Plano Geometrico descriptio vocatur Ichnographia Geometrica Prismatis.

DEFINITIO XVI.

25. *Ichnographia Projecta* seu *Perspectiva* est Apparentia Ichnographiæ Geometricæ in Tabula seu Plano Perspectivo.

DEFINITIO XVII.

26. *Scenographia* est Repræsentatio Corporis in Plano Perspectivo.

DEFINITIO XVIII.

27. *Linea Objectiva* est Linea quæcunque in Plano Geometrico ducta, cuius Repræsentatio in Tabula deside-

Wolfii Oper. Mathem. Tom. III.

ratur. Unde etiam intelligitur, quid sit *Planum Objectivum*, item *Punctum Objectivum*.

THEOREMA I.

28. *Apparentia Lineæ rectæ Objectivæ est Linea recta.*

DEMONSTRATIO.

Cum à singulis Punctis Lineæ Objectivæ AB in Oculum O Radii illabantur; *Fig. 6.* Linea recta in Oculum radiat per Triangulum AOB (§. 87. *Geom.*). Sed Apparentia CD rectæ AB est intersecçio communis Tabulæ & Trianguli Optici AOB (§. 22.). Ergo CD est Linea recta (§. 482. *Geom.*) Q. e. d.

SCHOLION.

29. Idem eodem modo patet, si Linea AC, *Tab. I.* cuius Apparentia a c, sit in Plano Geometrico, *Fig. 1.* videturque per Triangulum Opticum AOC.

COROLLARIUM I.

30. Data igitur Apparentia a & b duorum Punctorum extremorum A & B, datur Apparentia totius Lineæ ab.

COROLLARIUM II.

31. Similiter datis Apparentiis a, b & c verticum Angulorum A, B, C Figuræ Objectivæ ABC; datur Apparentia a b c Figuræ ipsius Objectivæ.

THEOREMA II.

32 Altitudo Puncti apparentis in Tabula est ad altitudinem Oculi, ut distantia Objectivi à Tabula ad aggregatum ex eadem distantia & distantia Oculi.

DEMONSTRATIO.

Quoniam altitudo Puncti apparentis G *Tab. I.* vel I est ad Lineam Terræ ED, altitudo *Fig. 7.* Oculi O ad Planum Geometricum perpendicularis (§. 227. *Geom.*); erit OM tam

ad AM, quam ad BM perpendicularis (§. 454. *Geom.*) & cum GH, tum IK ipsi OM parallela (§. 256. *Geom.*). Quare AH: AM = HG: MO & BK: BM = KI: MO (§. 268. *Geom.*). Quodsi itaque AM sit ad Lineam Terræ perpendicularis; erit AH distantia Puncti Objectivi A à Tabula CEDF, & MH distantia Oculi (§. 225. *Geom.*), adeoque propositum constat.

Si BM non fuerit perpendicularis ad Lineam Terræ DE; erunt tamen verticales ad K æquales (§. 156. *Geom.*) &, demissis BL & MH perpendicularibus ad Lineam Terræ, BL: MH = BK: MK (§. 267. *Geom.*), adeoque BL: BL + MH = BK: BM (§. 190. *Ariithm.*), consequenter KI: MO = BL: BL + MH (§. 167. *Ariithm.*). Q. e. d.

C A P U T I I.

De Ichnographia Perspectiva.

PROBLEMA II.

Tab. I. 33. **P**uncti Objectivi H Apparentiam Fig. 8. h exhibere.

R E S O L U T I O.

1. A Puncto dato H ducatur perpendicularis HI ad Lineam Terræ DE.
2. Ex Linea Terræ DE resecetur IK = IH.
3. Per Punctum Principale F, ex data altitudine Oculi OS inveniendum (§. 13) ducatur Linea Horizontalis FP & fiat FP distantia Oculi SL æqualis.
4. Ex Puncto I ducatur ad Punctum Principale F recta FI, & ex K ad Punctum distantia P recta PK.

Dico, intersectionem h esse apparentiam Puncti Objectivi H.

D E M O N S T R A T I O.

Quoniam FP ipsi DE parallela (§. 17); erit o = x (§. 233. *Geom.*). Quare cum etiam verticales ad h æquales (§. 156.

Geom.); Triangula FbP & KbI similia sunt (§. 267. *Geom.*); consequenter ducta NM ad utramque parallelarum FP & KE perpendiculari, cum h N & h M sint altitudines Triangulorum (§. 227. *Geom.*), FP: KI = N h: hM (§. 396. *Geom.*) & hinc FP + KI: KI = NM: hM (§. 190. *Ariithm.*). Est vero KI = HI & FP = SL, itemque NM = OS per constructionem: ergo SL + IH: IH = OS: Mb, hoc est, ut aggregatum ex distantia Oculi à Tabula & distantia Puncti Objectivi ab eadem ad hanc Puncti Objectivi distantiam, ita altitudo Oculi ad altitudinem Puncti h in Tabula. Quare h est Representatio Puncti Objectivi H (§. 32). Q. e. d.

C O R O L L A R I U M I.

34. Cum datis Apparentiis verticis Angulorum figuræ rectilineæ, detur Apparentia integræ figuræ rectilineæ (§. 31), omnis figuræ rectilineæ Projectio Ichnographica hoc modo haberi potest.

COROLLARIUM II.

35. Et quia quælibet Puncta Lineæ curvæ eodem modo in Planum Perspectivum projiciuntur; curvarum quoque Projectio eadem Methodo absolvitur.

COROLLARIUM III.

36. Ergo hæc Methodus quoque sufficit Planis mixtilineis in Tabulam projiciendis, consequenter universalis est.

SCHOLION.

37. Dantur euidem alia quoque Methodi passim ab Autoribus traditæ; sed cum nostrum non sit præter necessitatem multa congerere, sufficit eam exhibuisse & demonstrasse, quæ omnium usitatissima, et si communiter absque Demonstrationibus proposita. Ut autem ejus vim percipient Tyrones, aliquot Exemplis eandem illustrare libet.

PROBLEMA III.

II. 38. Invenire Apparentiam Trianguli ABC, cuius Basis AB Linea Terræ DE parallela.
9.

RESOLUTIO.

1. Cum Linea Terræ DE ducatur Horizontalis HR parallela, intervallo altitudini Oculi æquali (§. 13. 17).
2. Assumatur Punctum Principale V Oculo vel directe, vel oblique oppositum, prout casus datus requiescerit.
3. Ex V in K transferatur distantia Oculi.
4. A Trianguli ACB singulis Angulis demittantur perpendiculares AI, C2, B3.
5. Hæc perpendicularares transferantur in Lineam Terræ DE ex opposito Puncti distantia K.
6. Ex 1, 2, 3 ducantur rectæ ad Punctum Principale V1, V2, & V3.

7. Ex Punctis A, B & C Lineæ fundamentalis DE ducantur ad Punctum distantia K rectæ aliæ AK, BK, CK.

Quoniam *a*, *b* & *c* sunt apparentiæ Punctorum A, B & C (§. 33); ductis rectis *ca*, *ab* & *bc*, erit *a c b* Apparentia Trianguli ACB (§. 34).

SCHOLION.

39. Eodem modo in Planum projectur Triangulum, si Vertex C Oculo objiciatur: neque enim alia re opus est, quam ut situs in Plano Geometrico immutetur & Vertex C Lineæ fundamentali DE obvertatur, & perinde est, sive Basis Trianguli fuerit ad Linam Terræ DE parallela, sive obliqua.

PROBLEMA IV.

40. Exhibere Apparentiam Quadrati Tab. II. oblique visi ABDC, cuius unum latus Fig. 10. AB est in Linea Terræ.

RESOLUTIO.

1. Quoniam Quadratum oblique videtur Punctum Principale V, ita afflatur in Linea Horizontali HR, ut perpendicularis ad Lineam Terræ cadat extra latus Quadrati AB, saltem id bifariam non fecet, sitque VK distantia Oculi.
2. Perpendiculares AC & BD transfrantur in Lineam Terræ DE ex A in C sive B & ex B in D.
3. Ducantur rectæ KB, KD, itemque VA, VC.

Erunt A & B Apparentiæ sui ipsius, & vero & d Apparentiæ Punctorum C & D (§. 33); consequenter ABdc Apparentia Quadrati ABDC (§. 34).

SCHOLION.

41. Quodsi Quadratum ACDB à Linea Ter-

Terræ DE distaret, quod tamen raro in Praxi supponitur, in Lineam Terræ transferendæ essent etiam distantia Angulorum A & B; quod ex Problemate præcedente abunde patet. Cum etiam oblique spectatorum rarer sit usus in sequentibus, nisi contrarium moneatur, semper supponemus, figuram in Plano projiciendam directe Oculo objici.

PROBLEMA V.

Tab. II. 42. Quadratum ABCD repræsentare Fig. 11. in Tabula, cuius Diagonalis AC ad Lineam Terræ perpendicularis.

RESOLUTIO.

1. Continuentur latera DC & CB, donec Lineæ Terræ in 1 & 2 occurrant.
2. Ex Puncto Principali V transferatur in K & L distantia Oculi.
3. Ex K ducantur ad A & 1 rectæ KA & K1; ex L vero ad A & 2 rectæ LA & L2.

Dico, intersectiones istarum rectarum exhibere Apparentiam Quadrati ABCD ex Angulo visi.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Anguli ADC & ABC recti sunt, & AD = DC atque AB = BC (§. 98. Geom.) erunt DAC & BAC semirecti (§. 241. Geom.); & quia Diagonalis AC Lineæ Terræ DE ad Angulos rectos insistit, per hypoth. o & x sunt itidem semirecti, consequenter ob 1DA & 2BA rectos (§. 65. Geom.) etiam y & u semirecti (§. 240. Geom.) adeoque DI = DA & B2 = BA (§. 253. Geom.) & hinc AI = AC = A2 (§. 179. Geom.). Continuatis itaque lateribus DC & CB, donec Lineæ Terræ DE occurrant, perinde est, ac si perpendicularum

AC in 1 & 2 ex A transferretur. Porro si ex D & B perpendiculara DM & BN in Lineam Terræ DE demittantur; erunt m & n semirecti (§. 240. Geom.) & ideo DM = MI & BN = N2 (§. 253. Geom.): ut adeo perpendicularares MD & NB in Lineam Terræ DE translatæ terminentur in 1 & 2. Concipiamus jam ex Puncto Principali V ductas rectas VA, VM & VN, & ex Puncto distantia L rectas LA, L2: communis intersectio exhibebit Apparentiam Quadrati (§. 33). Concipiamus ex Puncto distantia K ductas rectas KI & KA, & ex Puncto Principali, ut ante, VM, VA, VN: communis intersectio denuo exhibebit Apparentiam eandem ejusdem Quadrati (§. cit.). Ergo KI, KA & L2, LA rectas VM, VA, VN in iisdem Punctis intersecant, & ideo communes quoque intersectiones rectarum LA, L2 & KA, K1 Apparentiam Quadrati ABCD exhibere debent. Q. e. d.

SCHOLION.

43. Ex Demonstratione hujus Problematis intelligitur, quomodo ope Regulæ generalis in quibusdam casibus eruantur compendia particularia. Id enim habent omnes Regulæ universales, quod in quibusdam casibus non evitent ambages. Qui secundum Regulam universalem operatur, in compendia particularia sponte veluti sua incidit.

PROBLEMA V.

44. Apparentiam Quadrati ABDC Tab. exhibere, cui aliud IMGH inscriptum Fig. est, latere majoris AB in Linea Terræ existente, Diagonali vero posterioris ad Lineam Terræ perpendiculari.

RESOLUTIO.

- I. Ex Puncto Principali V transferatur

tur utrinque in Lineam Horizontalem HR distantia Oculi VL & VK.

2. Ducantur VA & VB, itemque KA & LB; erit AcDB Apparentia Quadrati ACDB (§ 40).
3. Producatur latus Quadrati inscripti IH, donec Lineæ Terræ in i occurrat, ducanturque rectæ KI & KM; erit ihgM Repræsentatio Quadrati inscripti IHGM (§. 42).

S C H O L I O N .

45. Ex resolutione hujus Problematis intelligitur, quomodo fiat Projectio earum figurarum, quibus aliæ inscriptæ sunt.

P R O B L E M A VII.

46. Pavimentum lapidibus quadratis directe positis stratum in Tabulam projicere.

R E S O L U T I O .

1. Latus AB in Lineam Terræ DE translatum dividatur in tot partes æquales, quot sunt lapides Quadrati in una serie.
2. Ex singulis divisionum Punctis ducantur rectæ ad Punctum Principale V, & ex A ad Punctum K distantiæ recta AK, itemque ex B ad Punctum distantiæ alterum L recta LB.
3. Per Puncta intersectionum Linearum respondentium agantur rectæ usque ad rectas AV & BV utrinque producendæ.

Erit AfGB Apparentia pavimenti AFGB.

D E M O N S T R A T I O .

Quoniam AB=BG & BG ad AB perpendicularis (§.98 78. Geom.); si BG ex B in Lineam Fundamentalem DE trans-

fertur, cadet G in A. Ductis adeo rectis VB & KA; erit g Repræsentatio Puncti G (§.33). Eodem modo apparat, esse f Apparentiam ipsius F, adeoque fg ipsius FG (§.34). Quare cum de singulis non modo rectis integris, sed etiam earum partibus idem ostendatur; patet AfGB esse Projectionem pavimenti AFGB. Q. e. d.

P R O B L E M A VIII.

47. Circuli apparentiam exhibere.

Tab. II.
Fig. 14

R E S O L U T I O .

- I. Si Circulus fuerit minor

1. Circumscribatur eidem Quadratum (§.351 Geom.).
2. Ductis Diagonalibus & Diametris ha & de ad Angulos rectos sese intersecantibus agantur rectæ fg & bc Diametro de parallelae.
3. Per b & f, itemque per c & g agantur rectæ Lineæ Terræ DE in Punctis 3 & 4 occurrentes.
4. Ad Punctum Principale V ducantur rectæ V1, V3, V4, V2, & ad Puncta distantiæ L & K rectæ L2 & K1.

5. Denique Puncta intersectionum a, b, d, f, h, g, e, c connectantur Arcibus ab, bd, df &c.

Erit abdfhgeca Apparentia Circuli.

- II. Si Circulus fuerit major

1. Super medio Lineæ Terræ AB describatur Semicirculus, & ex quotlibet Punctis Peripheriæ C, F, G, H, I &c. demittantur ad Lineam Terræ perpendicularares C1, F2, G3, H4, I5 &c.

L 3

2. Ex

Tab. III.
Fig. 15

2. Ex Punctis A, I, 2, 3, 4, 5 &c. B ducantur rectæ ad Punctum Principale V, item recta ex B ad Punctum distantiaæ L & alia ex A ad Punctum distantiaæ K.
3. Per communes intersectiones agantur rectæ ut in resolutione præcedente: ita nimirum habebuntur Punctorum A, C, F, G, H, I, B repræsentationes in a, c, f, g, h, i, b (§. 46); adeoque
4. Tandem ut ante Puncta ista Arcibus connectantur, ut habeatur Projectio Circuli, ac fghibihgfca.

SCHOLION.

48. Hinc apparet non modo quomodo Curvilinea Figura quæcunque in Tabulam projicere possit; sed & qua ratione pavimentum lapidibus quibuscumque stratum Perspective delineari debeat. Ceterum hinc quoque elucet, quanti sit usus Quadratum in Perspectiva. Etenim in secundo quoque casu utimur revera Quadrato in certas areolas diviso & Circulo circumscripsi, licet id (ne superfluum quidpiam fieret) in Plano Geometrico non fuerit delineatum, quemadmodum etiam in eodem brevitatis gratia Semicirculum loco Circuli delineavimus in altero casu.

PROBLEMA IX.

- Tab. III. Fig. 16. 49. Pentagonum regulare in Tabulam projicere, quod habet limbum latiorem lateribus parallelis terminatum.

RESOLUTIO.

1. Ex singulis Angulis Pentagoni exterioris A, B, C, D, E demittantur ad Lineam Terræ TS perpendiculares Ao, Bi, C2, D3, E4, & ut in superioribus transferantur in Lineam Terræ, ex 1, 2, 3, 4 in B, C, D, E.
2. Puncta 1, 2, 3, 4 connectantur cum

Puncto Principali V; Puncta vero B, C, D, E cum Puncto distantiaæ K: ita communes intersectiones determinabunt Apparentiam Pentagoni exterioris (§. 33).

3. Quodsi jam ab Angulis interioribus G, H, K, L, I similiter perpendiculares Go, H5, K6, I7, L8 demittantur & reliqua ut ante fiant; Pentagonum quoque interius repræsentabitur (§. cit.).

Repræsentatur adeo Pentagonum ABCDE cum suo limbo.

SCHOLION I.

50. Hoc Problema ideo apposuimus, ne deesset exemplum, in quo figura projicienda limbo lato terminatur.

SCHOLION II.

51. Ceterum in genere notandum, si Objecti magnitudo quoad singulas partes una cum altitudine & distantia Oculi in numeris detur; constructionem Figuræ Geometricæ juxta scalam Geometricam fieri, & ex eadem Punctum Principale una cum Punctis distantiaæ determinari.

SCHOLION III.

52. Neque semper opus est, ut Figura Objectiva sub Linea Terræ delineetur. Sane ad Quadratorum & Pavimentorum Projectionem eadem commode caremus. Si tamen necessaria fuerit sed spatium desit, in quo delineari possit; seorsim delineatur cum Linea Terræ & divisiones inventæ in Lineam Terræ transferuntur, quæ in Tabula ducta est.

SCHOLION IV.

53. Si quis in Puncto Principali & Punto distantiæ fila alliget atque ad Puncta divisionum Lineæ Terræ extendat; communis intersectionis filorum citra confusionem, quæ ex multitudine Linearum ducendarum sapis mutuenda, dabit Projectionem Puncti uniuscujusque. Sufficit quoque fila tantummodo applicari.

C A P U T III.

De Scenographia.

THEOREMA III.

54. *A Liitudo Objectiva ML est ad Perspectivam IK, ut aggregatum ex distantia illius & distantia Oculi à Tabula MS ad distantiam Oculi NS.*

DEMONSTRATIO.

I. Si ML Oculo directe objicitur, ita ut MS sit ad Lineam Terræ DE perpendicularis; erit MN distantia altitudinis Objectivæ ML, & NS distantia Oculi O à Tabula (§. 225. Geom.). Jam cum KN & OS sint ad MS perpendiculares, adeoque parallelæ inter se (§. 256. Geom.); erit MS: NS = MO: KO (§. 268. Geom.). Et quia LM etiam perpendicularis ad MS (§. 225, 484 Geom.), adeoque ipsi IK sive IN parallela (§. 256. Geom.); erit MO: KO = LM: KI (§. 268. Geom.), consequenter MS: NS = LM: KI (§. 167. Arithm.). Q.e.d.

II. Si altitudo PQ Oculo oblique objicitur, ita ut QS Tabulam fecet ad Angulos obliquos in H: eodem modo ostenditur, esse QS: HS = PQ: VR. Demittatur jam perpendicularis QT ad Lineam Terræ DE; erit ea distantia altitudinis à Tabula (§. 225. Geom.) & ob angulos verticales ad H æquales (§. 156. Geom.) QT: QH = NS: HS (§. 267. Geom.). Cum adeo sit QT: NS = QH: HS (§. 173. Arithm.) & componendo QT + NS: NS = QS: HS (§. 190. Arithm.); erit etiam,

QT + NS: NS = PQ: VR (§. 167. Arithm.). Q.e.d.

PROBLEMA X.

55. Super Puncto C in Tabula dato erigere altitudinem Perspectivam datae altitudini Objectivæ PQ convenientem.

RESOLUTIO.

1. In Linea Terræ erigatur perpendicularis PQ, quæ sit altitudini Objectivæ datae æqualis.
2. Ex P & Q ducantur ad Punctum quodvis in Linea Horizontali, veluti T, rectæ PT & QT.
3. Ex Puncto in Tabula dato C agatur recta CK Lineæ Terræ DE parallela, occurrens rectæ QT in K.
4. Erigatur in K super KC perpendicularis IK.

Dico IK esse altitudinem Scenographiam quæsitam.

DEMONSTRATIO.

Fiat SM æqualis compositæ ex distantia Oculi SN & distantia altitudinis objectivæ à Tabula NM ducaturque recta QS, & præterea NG ipsi QM parallela; erit SM: SN = SQ: SG (§. 268. Geom.) & ob parallelas KG & TS per construct. SQ: SG = QT: KT (§. cit.), adeoque SM: SN = QT: KT (§. 167. Arithm.). Quare cum etiam sit ob parallelas PQ & IK per construct. QT: KT = PQ: IK (§. 268. Geom.); erit quoque SM: SN = PQ: IK (§. 167. Arithm.), consequenter IK Scenographia

Tab.
III.
Fig.
18.

phia altitudinis Objectivæ PQ (§. 54).
Q. e. d.

PROBLEMA XI.

56. Scenographiam Solidi cuiuscunque exhibere.

RESOLUTIO.

1. Basis Solidi investigetur Ichnographia Perspectiva (§. 33).
2. In singulis Punctis erigantur altitudines Perspectivæ (§. 55).

Ita Scenographia Solidi erit absoluta, nisi quod Umbra conveniens per Regulas Capitis sequentis adhuc sit superaddenda.

SCHOLION.

57. Methodus hæc generalis est: ejus tamen applicatio in casu quolibet non æque manifesta. Consultum igitur est, ut aliquot Exemplis illustretur.

PROBLEMA XII.

Tab.
III.
Fig. 19. 58. Cubi ex angulo visi Scenographiam exhibere.

RESOLUTIO.

1. Quoniam Cubi ex Angulo visi & Plano Geometrico insistentis Basis est Quadratum ex Angulo visum (§. 459 Geom.); delineetur in Tabula Perspectiva Quadratum ex Angulo visum (§. 42).!
2. Latus Quadrati HI perpendiculariter erigatur in quocunque Puncto Lineæ Terræ DE, ducanturque ad Punctum quodlibet V Lineæ Horizontalis HR rectæ HV & IV.
3. Ex Angulis a , b , d , e , c Ichnographiæ Perspectivæ, tam interioribus, quam exterioribus, ducantur rectæ cum Linea Terræ parallelæ a_1 , b_2 , d_3 & ex Punctis 1 , 2 , 3 erigantur ad eas perpendicularares LI, M₂, N₃, n₃.
4. Quodsi hæc in Punctis Ichnographiæ respondentibus, ut in Problemate præcedente, excitentur; Scenographia erit perfecta.

5. Denique cum HI sit altitudo in a , LI in c & b , M₂ in d erigenda (§. 55); excitentur in a ad aE perpendicularis af , in b & c perpendicularares bg & ce ad bc , & tandem dh ad $d2$ normalis, fiatque $af=HI$, $bg=ec=LI$ & $dh=M2$. Quodsi Puncta g , h , e , f rectis connectantur; Scenographia erit absoluta.

PROBLEMA XIII.

59. Prisma Quinquangularē cavum
Scenographice delineare.

RESOLUTIO.

1. Quoniam Prismatis Quinquangularis cavi & Plano Geometrico insistentis Basis est Pentagonum limbo instructum (§. 456 Geom.); investigetur Apparentia hujus Pentagoni super Tabula (§. 49).
2. Erigatur ut in Problemate præcedente ex quocunque Puncto H Lineæ Terræ DE perpendicularis HI, quæ sit altitudini Objectivæ æqualis & ducantur ad quocunque Punctum V Lineæ Horizontalis HR rectæ HV & IV.
3. Ex singulis Angulis a , b , d , e , c Ichnographiæ Perspectivæ, tam interioribus, quam exterioribus, ducantur rectæ cum Linea Terræ parallelæ a_1 , b_2 , d_3 & ex Punctis 1 , 2 , 3 erigantur ad eas perpendicularares LI, M₂, N₃, n₃.
4. Quodsi hæc in Punctis Ichnographiæ respondentibus, ut in Problemate præcedente, excitentur; Scenographia erit perfecta.

PROBLEMA XIV.

60. Cylindrum Scenographice repræsentare.

RESOLUTIO.

- II. 1. Quoniam Basis Cylindri, qua Plano Geometrico insitit, Circulus est ($\S. 466. Geom.$); quæratur Circuli Apparentia ($\S. 47$).
2. In Punctis a, b, d, f, h, g, e, c erigantur altitudines apparentes ($\S. 55$): quod quia ex præcedentium Problematum resolutione manifestum, denuo hic non repetimus.
3. Quodsi Puncta sublimia earundem Lineis Curvis decenter connectantur, sicuti in Basi $abdfhg\bar{c}$ factum est; Scenographia Cylindri erit absoluta.

SCHOLION.

61. Illud per se patet, eas omittendas esse Lineas tum in Basi, tum in elevatione, quæ Oculo non objiciuntur, licet ab initio ad inventandas alias necessarias non sint negligendæ. E. gr. in Scenographia Cubi ex angulo visi conspectui subducuntur in Basi rectæ bd & dc , in elevatione rectæ dh ; Lineæ igitur iste omittuntur. Quoniam tamen Punctum sublimè h inveniri nequit, nisi in Ichnographia repertum fuerit Punctum d , neque rectæ gh & he duci possunt, nisi altitudine dh decenter elevata; in ipsa operatione non minus Apparentia Puncti d , quam altitudinis hd determinanda.

PROBLEMA XV.

62. Pyramidem delineare Basi insistentem.

RESOLUTIO.

Sit e . gr. delineanda Pyramis Quadrangularis ex angulo visa.

- I. Quoniam Pyramidis Quadrangularis

Wolfii Oper. Mathm. Tom. III.

Basi insistentis & ex angulo visæ Basis est Quadratum ex angulo visum ($\S. 572. Geom.$); repræsentetur Quadratum ex angulo visum ($\S. 42$).

2. Ut habeatur Vertex Pyramidis, hoc est, Perpendiculum ex Vertice in Basin demissum ($\S. 227. Geom.$), ducantur Diagonales se mutuo intersecantes in e . Porro
3. In quocunque Puncto B Lineæ Terræ DE erigatur altitudo Pyramidis BI , ductisque rectis BV & IV ad quocunque Lineæ Horizontalis HR Punctum V .
4. Producatur Diagonalis db , donec Lineæ VB in b occurrat.
5. Ex b ducatur ipsi HI parallela bi , quæ ex Puncto e decenter elevata dabit Verticem Pyramidis k , consequenter Lineæ dk, ka & kb una determinantur.

DEMONSTRATIO.

Duo hic demonstranda sunt; nimirum I. altitudinem Pyramidis rectæ Re cadere in Punctum e , in quo Diagonales ca & bd se mutuo intersecant, hoc est, rectam ke esse ad utramque Diagonalem, consequenter ad Basin $dcba$ perpendicularem ($\S. 484. Geom.$): 2. Diagonalem db esse Lineæ Terræ DE parallelam ($\S. 55$).

Quamvis prioris Demonstratio non tam ad Perspectivam quam ad Geometriam pertineat (illa enim supponit, quæ de Corporibus Geometricis consideratis vera sunt); quoniam tamen in nostris Geometriæ Elementis Demonstrationem non dedimus, eam hic dari æquum est. Cum itaque $ab=cd$ per

hypoth. & ob parallelas $dc \& ab$ (§. 335. *Geom.*) $dce = cab$ (§. 233. *Geom.*), præterea verticales ad e sint æquales (§. 156. *Geom.*); erit $de = eb$ (§. 252. *Geom.*). Quoniam porro $dk = bk$ per *hypoth.* & $ek = ek$; anguli ad e æquales sunt (§. 204. *Geom.*), consequenter ke ipsi db ad angulos rectos insistit (§. 65. *Geom.*), adeoque ad db perpendicularis (§. 78. *Geom.*). *Quod erat unum.*

Porro quia Puncta d & b in Plano Geometrico à Linea Terræ æqualiter distant (§. 42); eorum distantiæ à Linea Terræ in Plano Perspectivo eandem rationem habent ad altitudinem Oculi (§. 32), adeoque æquales sunt (§. 177. *Geom.*). Est igitur db Lineæ Terræ DE parallela (§. 81. *Geom.*).

SCHOLION.

63. *Hinc apparet, ut in Scenographia determinari possint Puncta sublimia, in Ichnographia Geometrica notanda esse Puncta, in qua cadunt Perpendicula ex angulis solidi in Planum Geometricum, cui insistere aut immovere supponitur, demissa.*

PROBLEMA XVI.

64. Coni Scenographiam perficere.

RESOLUTIO.

- Tab. I. Quoniam Basis Coni Circulus est (§. 467. *Geom.*); quaratur Apparen-
II. tia Circuli (§. 47).
Fig. 14. II. 2. Quaratur porro, ut in Problemate
precedente, altitudo in Centro, si
Conus rectus fuerit, vel in Dia-
metro continuata erigenda, si fuerit
obliquus, & inventa decenter ele-
vetur.
3. Puncta denique Curvæ cum sublimi
altitudinis connectantur ut supra
(§. 61).

PROBLEMA XVII.

65. Pyramidem truncatam delineare.

RESOLUTIO.

Sit e. gr. delineanda Pyramis trunca-
ta Quinquangularis.

1. Quodsi à singulis angulis in Basi su-
periori concipientur demissa Perpen-
dicula in inferiorem; prodibit Pen-
tagonum inscriptum Pentagono Basi,
cujus latera eidem parallela: id quod
revera coincidit cum Pentagono,
quod limbo latiore instructum; adeo-
que per Probl. 9. delineari potest
(§. 49).
2. Erecta altitudine Pyramidis truncatae
IB determinentur altitudines Sceno-
graphicæ in Punctis a, b, c, d, e ele-
vandæ. Quodsi
3. Puncta sublimia f, g, h, i, k rectis con-
nectantur, tandemque
4. Rectæ kl, fm, gn ducantur; Sceno-
graphia Pyramidis truncatae erit per-
fecta.

COROLLARIUM.

66. Quodsi in Plano Geometrico deli-
neentur duo Circuli concentrici & reliqua
deinde fiant ut in Problematis resolutione;
Scenographia Coni truncati perficietur.

SCHOLION.

67. *Quodsi Pyramis truncata esset concava,
sed Plana interiora sub eodem vel alio angulo
ad Basim magis inclinarentur, quam exteriora;
demissis perpendicularibus ex singulis angulis
tam exterioribus, quam interioribus, Ichno-
graphia Geometrica X constabit ex quatuor
figuris inter se similibus, quarum latera sunt
parallelæ. Facile autem parabitur Ichnogra-
phia Geometrica ex supposita Solidi sectione
CFHA in qua demissis perpendicularibus CE
& FG, habentur distantiæ parallelorum late-
rum AE, EG, GH.*

PRO-

PROBLEMA XVIII.

68. *Tetraëdri super angulo solido ita constituti, ut Basis sit Plano Geometrico parallela, Scenographiam perficere.*

RESOLUTIO.

1. Quoniam Basis Tetraëdri Triangulum æquilaterum est (§. 475. Geom.); demissis perpendicularibus Ichnographia Geometrica constabit Triangulo æquilatero ACB, cuius Punctum medium E una notandum, ut inveniri possit in Scenographia Punctum e, cui Tetraëdri Vertex insistere debet.
2. Quæratur Apparentia acb (§. 38) &
3. Determinentur altitudines db vel ag & ch (§. 55): quibus datis, reliqua facile perficiuntur.

SCHOLION.

69. *Quodsi Octaedrum super uno angulo solido in Plano Geometrico constitutatur; ex reliquis demissis perpendicularibus ad idem Planum, Quadratum prodibit ex angulo visum: quod cum facile delineari possit (§. 42), nec difficilis erit Scenographia Octaedri in dato situ.*

PROBLEMA XIX.

70. *Prisma cavum delineare, quod super uno Planorum lateralem consistat.*

RESOLUTIO.

1. Sit ABDEC sectio Prismatis. Quodsi HI ducatur ipsi AB, intervallo latitudinis Plani cui insistit, parallela & ex singulis Angulis tam internis, quam externis demittantur perpendicularares: Parallelogrammum sic divisum erit Ichnographia Geometrica, quæ Lineæ Terræ ita subjecta,

ut sit ipsi parallela, facile in Tabula lam projicitur (§ 46). n. 2.

2. Ut habeantur altitudines Angulorum tam externorum, quam internorum Scenographicæ; in H erigatur more consueto perpendicularis HI & in eam transferantur altitudines verræ HI, H₂, H₃, H₄, H₅.
3. Quodsi jam ex Punkto quounque Lineæ Horizontalis V ducantur rectæ VH, V₁, V₂, V₃, V₄, V₅, sive VI & reliqua fiant more consueto; reperientur altitudines Anguli interni 1 = aa, interni 2 = bb, externi 3 = cc, interni 4 = dd, externi denique 5 = ee: quæ si suis locis decenter eleventur; Scenographia sine difficultate perficietur.

PROBLEMA XX.

71. *Super Pavimento erigere Parietes, Fig. 27. item Pilas atque Columnas.* Tab. V.

RESOLUTIO.

1. Repræsentetur Pavimentum AFH₃ in Tabula, una cum Basibus Columnarum atque Pilarum, si quæ adfuerint (§. 46).
2. In Lineam Terræ transferatur crassities muri BA, & 3. 1.
3. Ex A & B, itemque ex 3 & 1 erigantur perpendiculares AD & BC, item 3. 6 & 1. 7.
4. Punkta D & 6 connectantur cum Principali V rectis DV & 6V.
5. Ex F & H erigantur perpendiculares FE & HG.

Ita Parietes omnes ADEF, EGHF & G6. 3. H erunt delineati (§. 55).

6. Quodsi Pilæ aut Columnæ erigendæ, non alia re opus est, quam ut ex earum Basibus vel Quadratis, vel Circularibus in Planum Perspectivæ (§. 46. 47.) projectis excidentur perpendiculares indefinitæ & in Linea fundamentali, ad quam pertingit Radius FA per Basin transiens, erigatur altitudo vera AD, ducta enim ut ante DV, altitudines Scenographicæ determinabuntur.

SCHOLION.

72. Quæ de Pilarum & Columnarum elevatione dicuntur, multo clariora evadent, ubi per Regulas Architectonicas suo loco inferius tradendas paretur Ichnographia Pavimenti Geometrica & per generalem Regulam Perspectivæ in Planum Perspectivum projiciatur. Sed cum hæc non difficilia sint ei, qui Regulas Architectonicas cognitas atque perspectivas habet (eas enim in hisce delineationibus supponit Perspectiva ad Ichnographiam Pavimenti Geometricam rite conficiendam) & Methodum Perspectivæ generalem sibi familiarem reddit; præter necessitatem Figurarum numerum non multiplicamus.

PROBLEMA XXI.

Tab.V.

Fig. 27. 73. Januam in Pariete Scenographicæ representare.

RESOLUTIO.

I. Sit Janua delineanda in Pariete DEFA.

I. In Lineam Fundamentalem transferatur ejus ab angulo A distantia AN, una cum latitudinibus Postuum NI & LM atque latitudine ipsius Januae LI.

2. Ad Punctum distantiae K ex singulis Punctis N, I, L, M ducantur rectæ KN, KI, KL, KM, quæ latitudinem Januae li, atque Postium latitudines in & lm determinabunt.

3. Ex A in O transferatur altitudo Januae AO & ex A in P altitudo Postium AP.
4. Jungantur O & P cum Puncto principali V rectis PV & OV.
5. Tandem ex n, i, l & m erigantur perpendiculares, quarum mediae à recta OV in o, extremæ autem à recta VP in p secantur.

Et hac ratione Janua cum suis Postibus erit delineata.

II. Si Janua delineanda sit in pariete EFHG, eodem fere modo singula peragenda. Nam

- I. In Lineam Terræ transferatur AR distantia Januae ab Angulo in Plano Geometrico & inde ulterius latitudo Januae RT.
2. Ex R & T ducantur rectæ ad Punctum principale V, ut habeatur latitudo rr in Plano Perspectivo.
3. Ex r & t erigantur perpendiculares indefinitæ ad FH.
4. Ex A in O transferatur ut ante altitudo AO vera.
5. Denique ex O ducatur ad Punctum principale V recta OV intersecans EF in Z & fiant rr atque tt ipsi FZ æquales.

Ita Janua rrtt erit delineata: nec difficulter adduntur Postes.

SCHOLION.

74. Nihil in his contineri, nisi applicationem Methodi generalis Perspectivæ, experietur qui, Ichnographia adificii Geometrica juxta Regulas Architecturæ parata, Scenographiam juxta illam exhibere tentaverit. Unde peculiaribus Demonstrationibus opus non est.

THEOREMA XXII.

75. In Parietum Scenographia Fenestras rite representare.

RESO-

RESOLUTIO.

Qui Januas repræsentare noverit, Fenestras quoque facile addet; neque enim alia re præterea opus est, quam ut altitudo inferior seu ejus à Pavimento distantia accedat. Ne tamen quicquam prætermisso videamur, integrum delineationem hic apponimus.

1. Ex 1 in 2 transferatur crassities muri ad Fenestram, ex 3 in 4 ejus ab Angulo 3 distantia. & ex 4 in 5 ejus latitudo.
2. Ex 4 & 5 ducantur ad Punctum distantiae L rectæ L 5 & L 4, quæ latitudinem Fenestræ Perspectivam 10. 9 designabunt.
3. Ex 10 & 9 erigantur ad pavimentum perpendiculares, hoc est, ducantur ipsi 6. 3 parallelæ indefinitæ.
4. Ex 3 in 11 transferatur distantia Fenestræ à pavimento 3. 11, & ex 11 in 12 ejus altitudo 11. 12.
5. Denique ex 11 & 12 ducantur ad Punctum Principale rectæ V. 11 & V. 12, quæ perpendiculares 10. 13 & 9. 14 in 13 & 14; itemque in 15 & 16 intersecantes Apparentiam Fenestræ exhibebunt.

SCHOLION.

76. Hinc satis intelligunt attenti; quid facto opus sit, si res quæcumque super Pavimento, utcumque elevata, repræsentanda.

PROBLEMA XXIII.

77. Fores apertas Scenographice repræsentare.

RESOLUTIO.

Quoniam Fores, dum aperiuntur, Semicirculum describunt; Janua delineata (§. 73).

1. Repræsentetur in Tabula Semicirculus ecd, cuius Centrum a (§. 47).
 2. In eo notetur Punctum c & inde erigatur perpendicularis indefinita cf.
 3. Per c & a agatur recta ca, quæ continuata Horizontalem in O secat.
 4. Denique ex Puncto O per b ducatur recta bf.
- Sic factum est, quod petebatur.

SCHOLION I.

78. Ne Semicirculi descriptio tædiosa sit; Ichnographiam pariter ac Pavimentum in areolas quadratas dividi consultum est. Quod si enim observes, per quænam quadratula transeat Semicirculus in Plano Geometrico, facile in Quadratis respondentibus Plani Perspectivi delineabitur. Immo si notetur, in quoniam Quadrato & quoniam hujus loco sit Punctum c in Plano Geometrico; idem Punctum sine Projectione Semicirculi invenietur in Perspectivo.

SCHOLION II.

79. Dum Fenestræ aperiuntur Semicirculus in libero aere describitur. Fingitur itaque super Fenestra Planum Horizontale, in quod projicitur Semicirculus, & ne imaginatio turbetur, Planum invertitur.

SCHOLION III.

80. Puncta illa, quale est O, in Linea Horizontali, quæ ad res irregulariter per Planum Perspectivum dispersas repræsentandas loco Puncti Principalis adhibentur, dicuntur Puncta Accidentalia.

PROBLEMA XXIV.

81. Scenographiam Objecti cujuscunque mechanice perficere.

RESOLUTIO.

1. Tabula Vitrea quadrata subscudibus Tab. I. inclusa oblinatur aqua, in qua non Fig. 2, nihil gummi solutum.

M 3.

2. Ubi

2. Ubi rursus arefacta fuerit, Objecto delineando ita objiciatur, ut per Dioptriam EH integrum conspiciatur.
3. Quæcunque in Tabula Vitrea comparent, atramento ibi delineentur, ubi comparent.
4. Denique delineatione absoluta Tabula apprimatur charta madefacta.

Ita enim futurum, ut, quæ super Vitro delineata sunt, chartæ imprimantur.

SCHOLION.

82. *Hæc Praxis non contemnenda admicula affert iis, qui Arti Pictoriæ student: multa enim observant ad rem attenti, quæ alias non facile succurrerent.*

CAPUT IV.

De Apparentia Umbræ.

PROBLEMA XXV.

83. *Dato Apparentia Corporis Opaci & Luminosi per Radios divergentes radiantis, e. gr. lampadis, candæ aut facis accensa; invenire Apparentiam Umbræ.*

RESOLUTIO.

1. A Luminoso, quod instar Puncti consideratur, adeoque ex ejus medio demittatur perpendicularis ad Tabulam hoc est, quæratur Apparentia Puncti, in quod cadit perpendicularis ex medio Luminis in Planum Geometricum ducta.
2. A singulis Angulis Corporis seu Punctis sublimibus demittantur itidem perpendiculares ad Planum: quod revera jam factum est, ubi Scenographia Corporis quæsita, vi Capitis præcedentis.
3. Puncta, in quæ incident hæ perpendiculares, connectantur Lineis rectis cum Puncto, in quod cadit Perpendiculum ex Luminoso demissum, in plagam Luminoso oppositam continuandis.

4. Denique per Puncta sublimia ex Centro Luminosi ducantur rectæ priores intersecantes.

Dico in Punctis intersectionum finiti Umbram.

DEMONSTRATIO.

Quoniam AB & CD ad Planum perpendiculares, per hypoth. erunt etiam ad rectam DE perpendiculares (§. 484. Geom.). Quare cum CD > AB, per hypoth. recta CA cum DB convergit (§. 83. Geom.). Hinc quia Umbra in Plano ibi terminatur, ubi Radius extremus CE id attingit (§. 46. 125. Optic.); intersecatio E rectarum CA & DB definiat longitudinem Umbræ, quam projectat recta AB. Q. e. d.

SCHOLION.

84. Ut Methodi universalis vis rectius percipiatur, non inconsultum esse ducimus, uno alteroque exemplo eandem illustrare.

PROBLEMA XXVI.

85. *Dato Luminoso L; Prismatis ABCFED Scenographice delineati Umbram projicere.*

RE-

RESOLUTIO.

- Cum AD, BE & CF sint ad Planum perpendiculares & LM itidem ad idem perpendicularis, *per hypoth.* (datur enim Lumen, si detur ejus altitudo LM); ducantur rectæ MG & MH per Puncta D & E.
 . Per Puncta sublimia A & B ducantur rectæ LG & LH priores in G & H intersecantes.

Quoniam in G terminatur Umbra rectæ AD, & in H Umbra rectæ BE (§. 83), Imbræ vero rectarum omnium reliquum, quæ in dato Prismate concipere licet, intra hos terminos coercentur; erit GDEH Apparentia Umbra à Prismate projectæ.

SCHOLION I.

86. Eodem prorsus modo determinatur Imbra omnium Prismatum & Cylindrorum ad Planum Perspectivum rectorum.

SCHOLION II.

87. Umbra rectæ CF omittitur, quia cadit ntra Basin solidi: id quod & in similibus casibus observandum.

PROBLEMA XXVII.

88. Pyramidis Triangularis Basi insistentis & Scenographice representatae Imbram projicere, dato lumine L.

RESOLUTIO.

1. Per Apparentiam Puncti E, in quod cadit Perpendiculum ex Vertice D in Basin demissum, per Scenographiam dati, ducatur ad Punctum N, in quo terminatur perpendicularis LN ex Lumine demissa, recta NM.
 2. Ex L per D ducatur alia recta LM; erit in M terminus Umbræ, quam Vertex D projicit (§. 83).

3. Quodsi ulterius à Puncto M ducantur rectæ BM & CM; quoniam omnes Radii latus DB stringentes in BM terminantur, & qui per latus DC appellunt, in recta CM desinunt: erit Triangulum BMC Apparentia Umbræ à Pyramide DABC projectæ.

PROBLEMA XXVIII.

89. Determinare Umbram Tetraëdri Tab.V. Vertici insistentis & Scenographice deli-neati.

RESOLUTIO.

1. Cum per Scenographiam in Tabula dentur Puncta E, F, G, quibus Puncta sublimia A, B, C perpendiculariter imminent; ob Lumen datum vero Punctum I; per singula Puncta E, F & G ducantur ad I rectæ IK, IL & IM.
 2. Porro ex H ducantur per A, B & C rectæ HK, HL & HM.

Erit LKDM Umbra quæsita.

PROBLEMA XXIX.

90. Determinare Umbram Pyramidis ACDB Scenographice representatae, in Tab.V. aliud Opacum super Tabula erectum RSQP projectam.

RESOLUTIO.

1. Quæratur Umbra in pavimentum projecta BMC (§. 88).
 2. Ex Puncto T, ubi recta EM Opacum RQ secat, erigatur perpendicularis TO secans LM in O.
 3. Denique ducantur ex c & b rectæ cO & bO.
 Erit bO pars Umbræ in Opacum PRSQ projecta.

SCHO-

SCHOLION.

91. *Hinc simul intelligitur, quid factò opus sit, si Opacum fuerit humilius Radio DM: erit enim pars Umbræ boc, e. gr. Trapezium bdec.*

PROBLEMA XXX.

Tab. VI.
Fig. 34. 92. Determinare Umbram Prismatis ACBFED in aere penduli.

RESOLUTIO.

1. Demittantur ex angulis F, E & D perpendiculares ad pavimentum DN, EH, FI.
2. Ex Punctis N, H & I ad Punctum M, quod ob Lumen datum L datur, ducantur rectæ OM, IM & KM.
3. Porro ex L per A & B ducantur rectæ OL & KL, itemque ex L per F & E rectæ PL & QL.

Erit OKQP Apparentia Umbræ (§. 83).

SCHOLION.

93. Quoniam Sol per Radios ad sensum parallelos radiat (§. 94. Optic.); quæ de Umbræ Projectione hactenus dictæ sunt, ad Solarem applicari nequeunt. Cum tamem Umbrarum Solarium usus sit frequentior, quam ceterarum, de earum quoque Projectione Regulæ nonnullæ sunt tradendæ & ne prolixiores esse cogantur, ad casum superiorem reducendæ.

PROBLEMA XXXI.

Tab. V.
Fig. 35. 94. Data altitudine Solis supra Horizontem; determinare Umbram Cubi ABCD Scenographice delineati & Tabulae insistentis, Solis Radiis eidem Tabulae parallelis incidentibus.

RESOLUTIO.

I. Quoniam Sol radiat per Radios parallelos (§. 94. Optic.), Radii autem Plano Tabulæ paralleli existunt; per hypoth. per angulos solidi singulos agantur rectæ inter se & cum Tabula seu Linea Terræ parallelæ HL, EK & FG.

2. Per angulos superiores aut Puncta sublimia A, B, D agantur rectæ AK, BL, DI cum perpendicularibus AG, BH, DF constituentibus angulos complemento altitudinis Solis, seu ejus à Vertice distantiis, æquales KAG, LBH, & IDF.

Cum enim anguli K, L & I sint altitudini Solis æquales (§. 241. Geom.); erunt L, K & I termini Umbræ à Cubo projectæ.

SCHOLION.

95. Casus hic facilissimus est: in quo supponitur, Solem esse in Plano Tabulæ. Facilius tamen adhuc erit operatio, si supposueris Solem 45 gradibus supra Horizontem esse elevatum: tum enim Umbræ longitudinem FE altitudini DF aqualem esse constat (§. 148. Optic.).

THEOREMA IV.

96. Si recta DC ex Oculo D in Tabulam ducta sit Linea Objectivæ AB parallela; hujus Apparentia FE in Tabula producta transibit per Punctum C.

DEMONSTRATIO.

Quoniam CD, utpote ipsi AB parallela, cum ea in eodem Plano est; omnes rectæ à Punctis singulis Rectæ Objectivæ AB ad Punctum quodcumque

que rectæ CD ductæ erunt in eodem Plano ACDB. Lineæ igitur AB Apparentia FE est in intersectione Tabulæ & Plani ACDB (§. 22). Ergo EF in Tabulâ producta necessario rectæ DC occurrit in Puncto C, ubi Tabulam secat. Q. e. d.

COROLLARIUM.

97. Quoniam CD est parallela omnibus Lineis Objectivis, quæ in Plano Geometrico ipsi AB parallelæ sunt (§. 495. Geom.) ; Apparentiæ parallelarum productæ omnes in eodem Puncto C concurrere debent.

PROBLEMA XXXII.

98. Sole ultra Tabulam constituto, data ejus distantia à Plano Verticali & altitudine super Plano Geometrico, in quo Corpus constituitur; exhibere Apparentiam Umbrae ejusdem Corporis Scenographice representati.

RESOLUTIO.

1. Ex Puncto Principali V erigatur VA ad Lineam Horizontalem NR perpendicularis & distantiæ Oculi VL æqualis.
2. Fiat in A angulus VAB distantiæ Solis à Plano Verticali æqualis.
3. In B erigatur perpendicularis indefinita BD, factaque BC=BA fiat angulus C altitudini Solis æqualis, ut habeatur Punctum D.
4. Quodsi jam quæratur Apparentia Umbrae, quam projicit Punctum sublimme H; demissa perpendiculari HI, ad Planum Perspectivum, ducatur per I recta KIB & per H recta DHK.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

Dico IK esse Apparentiam Umbrae quæsitam, adeoque Umbram Corporis cuiuscunque reperiri ut in Problematibus superioribus, si Puncto D utamur tanquam medio Puncto candelæ, & B tanquam Puncto, cui illud perpendiculariter imminet.

DEMONSTRATIO.

Quoniam AV ad NR perpendicularis & angulus VAB distantiæ Solis à Plano Verticali, VA vero distantiæ Oculi à Tabula æqualis, per construct. si Triangulum BAV concipiatur elevari, donec Plano Geometrico sit parallelum, erit VA in Plano Verticali (§. 10); adeoque Radius BA ex Oculo A versus Solis plagam tendens in eodem Plano, in quo hæret Centrum Solis. Quare cum Radius Solis IK, per Punctum I transiens & ab Opaco in Plano Geometrico interceptus, sit in eodem Plano (§. 125. Optic.), & Triangulum BAV parallelum Plano Geometrico, per hypoth. erit BA Radio isti Parallelæ, adeoque hujus Apparentia IK in Tabula in Puncto B cum Linea Horizontali NR concurrit (§. 96). Jam cum omnes Radii intercepti seu Umbram Puncti sublimis terminantes in Plano Geometrico sint inter se parallelî (§. 94. Optic.), adeoque etiam parallelî rectæ AB Triangulo AVB ut ante elevato (§. 495. Geom.); omnes illorum Radiorum Apparentiæ in Puncto B concurrere debent. Exhibit adeo Punctum B in Tabula Punctum, in quod cadit perpendicularis ex Centro Solis demissa. Quod erat unum.

N

Quodsi

Quodsi Triangulum DCB concipi-

- n. 1. mus normaliter erectum super Triangu-
lo BAV, quia $BC=BA$ & angulus C
altitudini Solis æqualis per *construct.*
Radius CD ad Centrum Solis dirigitur
& Triangulum ipsum DBC in eodem
Plano est, in quo Centrum Solis hæret,
per demonstraia. Quare cum Radius
transiens per Punctum sublime H sit in
eodem Plano & cum recta ipsi AB pa-
rallela angulum ipsi C, hoc est, alti-
tudini Solis æqualem efficiat; erit etiam
DC parallela eidem Radio. Sit enim
AB ipsi KI parallela & $o=x$. Ducta
perpendiculari GK, erit $y=u$ (§. 78.
241. *Geom.*), adeoque AD ipsi HK pa-
rallela (§. 255. *Geom.*). Ergo Appar-
tentia rectæ HK in Tabula continuata
per Punctum D transit (§. 96). Quoniam
vero Radii Solares per Puncta su-
blimia transeuntes & in Planum Geo-
metricum incidentes sunt paralleli (§.
94. *Optic.*), adeoque & paralleli rec-
tae DC, Triangulo, prouti directum est,
elevato, omnes illorum Radiorum Ap-
parentiae in Puncto D concurrere de-
bent. Exhibit adeo Punctum D Cen-
trum Solis in Tabula. *Quod erat alterum.*

SCHOLION.

99. *Ne Imaginatio in concipienda De-
monstracione negotium faceſſat; Planum Geo-
metricum & Perspectivum inter ſe probe di-
ſtinguenda vi Imaginationis, quoties fieri debet.*

PROBLEMA XXXIII.

100. *Sole ante Tabulam constituto,
data ejus distantia à Plano Verticali &
altitudine ſuper Horizonte seu Plano
Geometrico, in quo Corpus conſtituitur;
exhibere Apparentiam Umbra ejusdem
Corporis Scenographice repreſentati.*

RESOLUTIO.

1. Ex Puncto principali V erigatur VA
ad Lineam Horizontalem HR per-
pendicularis & distantia Oculi æqua-
lis.
2. Fiat in A angulus VAB distantia Solis
à Plano Verticali æqualis, nempe
versus dexteram intuentis, si Sol
versus laevam conſistat.
3. In B erigatur perpendicularis indefi-
nitæ factaque $BC=BA$ fiat angu-
lus C altitudini Solis æqualis, ut
habeatur Punctum D.

Erit B Punctum, in quo concurrunt rec-
tae per Puncta ductæ, in quæ cadunt Per-
pendicula ex sublimibus demissa, & D
Punctum, in quo concurrunt, quæ per
sublimia ducuntur: adeoque, his datis,
reliqua peraguntur ut in superioribus
Problematibus.

Demonstratio.

Quemadmodum constructio, ita etiam
Demonstratio eadem est, quæ Problema-
tis præcedentis, niſi quod Radius per So-
lem & Oculum ductus CD infra Lineam
Horizontalem HR cum Tabula concur-
rere debet; quia ante eam, adeoque à
tergo Spectatoris, positus supponitur.
Quamobrem cum Centrum Solis in Ta-
bula exhiberi non possit, ejus loco exhibe-
tur Punctum D in Meridiano inferiori
eidem oppofitum & Punctum B exhibit
locum, in quem cadit Perpendiculum ex
Puncto Centro Solis opposto demifum.
Unde & si Sol à tergo intuentis Tabulam
conſtituatur, Triangula, quibus Punc-
ta ista determinantur, describuntur ver-
sus dexteram, Sole versus ſinistrum con-
ſtituto,

SCHOLION.

101. *Exempla non addimus, quia datis Punctis B & D, reliqua ex superioribus satis manifesta sunt. Id tamen moneri non inconsultum ducimus, quantitates rectarum VB & BD extra Tabulam investigari & inventas in eam transferri posse, ne multitudo Linearum operationem confundat.*

PROBLEMA XXXIV.

102. *Data Scenographia Fenestræ atque Corporis; Umbra Apparentiam exhibere, quam projectit ad Lumen Fenestræ.*

RESOLUTIO.

1. Ex medio Fenestræ E, itemque ex angulis A & B demittantur perpendiculares EF, AC, BG; & EF continuetur in D, ut habeatur altitudo Fenestræ ED.
2. Ex tribus Punctis C, F & G ducantur rectæ per singula Punkta inferiora, in quæ nempe cadunt Perpendicula

ex Punctis sublimibus demissa, ut in superioribus.

3. Per Punkta sublimia ducantur rectæ ex E & D.

Ita nimis per rectas ex E ductas determinabitur Umbra plena, hoc est, nullo Lumine per Fenestram directe radiente perfusa, & per rectas ex D ductas Umbra diminuta, Lumine nempe aliquo dilutæ: prout ex superioribus satis intellegitur.

SCHOLION I.

103. *Si quæ Lineæ caderent intra ambitum aliarum, ex omittuntur.*

SCHOLION II.

104. *Posset quoque Umbra in Plano Geometrico delineari & instar Figurarum aliarum per Regulas Capite Secundo traditas in Tabulam projici: Sed cum ea Methodus præter necessitatem prolixitate molesta accideret, peculiares ea de re Regulas exhibere debuimus.*

C A P U T V.

De Anamorphosibus, seu Projectionibus Monstrosis.

DEFINITIO XIX.

105. *A Namorphosis, seu Projectio Monstrosa est deformatio Imaginis in Plano aut Superficie alicujus Corporis, quæ ex certo intervallo visa formosa appetet.*

PROBLEMA XXXV.

106. *Anamorphosin in Plano perficie cere.*

RESOLUTIO.

1. Construatur Quadratum ABCD ar-

bitrariae magnitudinis, & latere AB in partes quotunque æquales diviso, in areolas quadratas minores resolvatur. Quadratum hoc Craticulam Prototypi appellant.

2. In hoc Quadrato delineetur Prototypus seu Imago deformanda; in his enim praxibus supponitur Ars delineandi communis.

3. Ducatur Linea ab in tot partes æquales divisa, in quod divisum est latitudo Prototypi AB, eidemque lateri æqualis.

4. In medio E erigatur perpendicularis EV eo longior, quo deformior apparere debet Imago.
5. Ad EV ducatur perpendicularis VS eo minor, quo deformior Imago apparere debet.
6. A singulis divisionum Punctis ducantur ad V Lineæ rectæ, & Puncta a atque S jungantur itidem recta aS.
7. Per Puncta, c, e, f, g agantur rectæ ipsi ab parallelæ; erit abcd Craticula Ecotypi.
8. Per singulas areolas Craticulæ Ecotypi disperge, quæ in respondentibus areolis Craticulæ Prototypi delineata conspicuntur.

Ita obtinebis Imaginem difformem, quæ Oculo, intervallo EV ab ea distanti & per altitudinem VS supra eam elevato, formosa apparebit (§. 209. Optic.).

SCHOLION. I.

207. Fucundius accidit spectaculum, si Imaginem deformata non merum chaos, sed aliam Imaginem ab ea diversam, quæ hoc artificio deformata fuit, exhibeat: id quod majorem Artificis peritiam requirit, nec Regulis commode comprehendi potest. Necesse est, ut quis multiplici Experientia edoctus didicerit, quam formam induant Objecta distincte percepta, ubi partes quædam minores in unum confusa non amplius conspiciantur.

SCHOLION II.

208. Neque vero opus est, ut Quadratum deformatum sit Craticulæ æquale; sufficit in areolis homologis fieri projectionem.

SCHOLION III.

209. Mechanice Anamorphosin perficies, si Prototypon acu hinc inde perforatum candela aut lampadi accensæ opponas, & Puncta, in quæ Rædii per foramina delapsi inci-

dunt, in Plana vel Curva Superficie Imaginem deformatam exceptura notes. Errant autem, qui Radiis Solaribus ad hoc artificium utuntur, quia hi sunt paralleli (§. 94. Optic.) adeoque nullibi concurrunt: quod tamen fieri necesse est in loco, ubi Oculus collocandus.

SCHOLION IV.

210. Lumine tamen Solari commode utimur ad Imaginem formosam. Prototypo dato similem in superficie quacunque delineandam. In Tabula scilicet, super qua Prototypon expansionem aut erectum, duo insiguntur stylis ejusdem altitudinis, si Ectypon Prototypo æquale esse debet, vel diverse, si unum altero majus desideratur: quo factò, Tabula Soli ita objicitur ut situ ejus lente mutato Umbra stylis unius per singula lineamenta Prototypi Oberret. Dum enim Umbra stylis alterius per similes vias in superficie quacunque eidem opposita incedit; notatis vestigiis, Ectypon Prototypo simile delineabitur. Si Umbra displicet, apici stylis affige orbiculum exiguo foramine pertusum, ut Radius lucidus Penicilli vices sustineat.

THEOREM. XXXVI.

III. In Superficie Coni convexa Anamorphosin perficere:

RESOLUTIO.

Ex Problemate præcedente satis apparet, non alia re opus esse, quam ut Craticula Ectypi paretur in Superficie Coni, quæ Oculo Vertici ejus in debita distantia admoto appareat Craticulæ Prototypi æqualis. Igitur..

1. Basis Coni ACBD per Diametros dividatur in Sectores quotcunque æquales, Peripheria nempe in partes quotcunque æquales divisa.
2. Radius unus dividatur quoque in aliquot partes æquales & ex Centro per singula divisionum Puncta du-

- ducantur Circuli Concentrici. Ita Craticula Prototypi erit perfecta.
3. Dupla Diametro AB tanquam Radio describatur Quadrans EFG, ut Arcus EG sit integræ Peripheriæ æqualis. (§. 412. *Geom.*), & Quadrans ipse complicatus superficiem Coni exhibeat, cuius Basis est Circulus ACBD.
 4. Arcus EG dividatur in tot partes æquales, in quot Peripheria Craticulae Prototypi divisa, & ex Centro F ad singula divisionum Puncta ducantur Radii.
 5. Producatur GF in I, donec FI = FG, quia Oculus tanto intervallo super Verticem Coni elevari debet, quanto intervallo Vertex à Centro Basis abest, dum Imago in superficie Coni deformata formosa spectari debet: ex Centro I Radio IF ducatur Quadrans FKH, ex I vero ad E recta IE, ut habeatur angulus, sub quo videtur latus Coni, Radium Basis exhibitorum Oculo super Vertice Coni rite elevato.
 6. Arcus KF dividatur in tot partes æquales, in quot Radius Craticulae Prototypi divisus, & per singula divisionum Puncta ducantur Radii ex Centro I ipsi EF in 1. 2. 3 &c. occurrentes.
 7. Denique ex Centro F Radiis FI, F2, F3 &c. describantur Arcus Concentrici. Ita habebis Craticulam Ec-typi, cuius singulæ areolæ vide-buntur inter se æquales (§. 209. *Optic.*).
 8. Quodsi igitur ea, quæ in singulis

areolis Craticulae Prototypi delineata sunt, in areolas Craticulae Ec-typi transferas; Imago deformabitur: Oculo autem super Vertice Coni ita elevato, ut Centrum ejus sit in Axe Coni, distet autem tanto intervallo à Vertice Coni, quanto intervallo hic à Centro Basis abest, formosa apparebit..

COROLLARIUM I.

112. Quodsi in Craticula Prototypi subtensas Quadrantum & in Craticula Ec-typi subtensas quartarum partium ducas, reliquis omnibus manentibus iisdem; habebis Craticulas ad Anamorphosim in Pyramide Quadrangulari perficiendas. Hinc vero ulterius intelligitur. quomodo Imago deformari possit in Pyramide quacumque alia, cuius Basis est Polygonum quoddam regulare.

COROLLARIUM II.

113. Si Quadrantem HFI invertas, ita ut Radius sit in E ad FE perpendicularis, reliqua vero omnia sicut ut ante; Craticula prodibit Imaginis in superficie concava Coni deformandæ: spectatur enim, Oculo Basi opposito.

SCHOLION.

114. Quia Oculus magis hallucinatur, si ex Objectis contiguis de distantia partium in Imagine deformata judicare nesciverit. Imagines istiusmodi deformatae per exiguum foramen adspici debent, ut sole in intuentis Oculum incurvant.

SCHOLION. II.

115. Notandum vero, eodem artificio, quo Imaginem ope Luminis Solaris delineari posse

posse in *Plano* docuimus (§. 110), nos quoque uti posse in deformandis *Imaginibus* in *Superficie* alicujus *Coni* vel *Pyramidis*. Etenim ad *Tabulam*, cui duo *styli* infiguntur, verticaliter erigitur *Tabula* alia, & in ejus parte una describitur *Prototypon*, cui opponitur *stylus* unus; in parte altera ad *Planum* *Tabulae* ejusdem verticaliter affigitur *Corpus*, in

cujus *Superficie* *Imago* deformata dispergenda. Cetera deinde fiunt, ut paulo ante præcepimus. Schemata nec hic apponimus, nec superius dedimus, quia facile absque Schematibus intelliguntur, quæ hic præcipiuntur. Non igitur opus est, ut Figuræ præter necessitatem multiplicentur.

FINIS PERSPECTIVÆ.




FIG. PERSPECT. TAB. I.




FIG. PERSPECT. TAB. II.




Fig. 9.




Fig. 10.




Fig. 12.




Fig. 13.




Fig. 11.




Fig. 14.

FIG. PERSPEC T. TAB. III.







Fig. 20.







FIG.PERSPECT. TAB.IV.

Fig. 21.




Fig. 22.





Fig. 24.



Fig. 25.








Fig. 26.
N. 2.

Fig. 28.






FIG. PERSPECT. TAB. V.

Fig. 27.


















FIG. PERSPECT. TAB.VI.

Fig. 38.





ELEMENTA CATOPTRICÆ.

P R A E F A T I O.

Ingularia prorsus sunt Speculorum Phænomena : quorum alia , quia quotidiana , viles- cunt , alia vero , quia in vulgus minus nota , in admirationem rapiunt Spectatores . Ne- que sine ratione mirum videtur , multitudi- nem Objectorum per ingens spatium diffusam . videre , ubi spatium nullum est ; videre item Objecta in libero aëre pendentia , ubi nihil prorsus adesse tactu experimur ; immo videre Objecta nunc justo majora , nunc minora , nunc formosa , nunc difformia . Qui Opticæ Principia cognita atque perspecta habent , Phænomenorum istorum ratio- nes generales haud difficulter perspiciunt . Radii scilicet à Spe- culis reflexi speciem Objecti ad Oculum ferunt , quia per Reflec- tionem cum aliis non confunduntur † : tale autem Objectum spectandum exhibent , quale foret , si per eosdem Radios in-

† Optic. §. 76.

in Oculum radiaret , qui à Speculo reflexi in eum illabuntur *. Id vero expressius docet Catoptrica , Reflexionem Luminis in omni Superficierum politarum genere ad examen revocans. Explicabimus itaque naturam Reflexionis in Speculis tam Planis, quam Convexus & Concavis. Ultra Superficies tamen Sphæricas, Cylindricas & Conicas non multum progrediemur , quia Specula aliis figuris prædita hactenus parare fere nesciunt Artifices. Quemadmodum vero Praxin Theoriaræ constanter conjunxi in Disciplinis anterioribus ; ideo quoque consultum duxi, ut singulorum Speculorum fabricam una exponerem variosque eorum usus ostenderem. A multis præjudiciis animum liberat Catoptrica, Experimentis ad promovendam Scientiam naturalem conducentibus ansam præbet , maximas ad vitam jucunditates affert. Magis delectabit hoc studium si omnis generis Specula fuerint ad manus , ut quæ de eorum effectibus demonstrantur , Experimentis confirmari possint. Hæc vero Experimenta animo insinuabant rationem coniubii inter Rationem atque Experientiam ritè instituendi : id quod maximi usus est in omni Scientiarum genere & ad certitudinem Scientiarum firmitatemque assensus plurimum conductit.

ELEMEN.

* Optic. §.347.

ELEMENTA CATOPTRICÆ.

C A P U T P R I M U M.

De Fundamentis Catoptricæ.

D E F I N I T I O I .

1. **CATOPTRICA** seu *Specularia* est Scientia Visionis Reflexæ.

D E F I N I T I O I I .

2. *Visio Reflexa* est, quam efficit Radius Reflexus à Speculo.

D E F I N I T I O I I I .

3. *Speculum* est omne Corpus politum & Lumini impervium.

S C H O L I O N .

4. *Ita Aqua in puteis & fluminibus profundis in Speculorum numero habetur & Metalla polita, quæ præsertim obscuriorem habent colorem, in Specula abeunt.*

D E F I N I T I O I V .

5. *Speculum Planum* est, quod Planam habet superficiem.

D E F I N I T I O V .

6. *Speculum Convexum* est, quod Convexam habet superficiem. Per Speculum Convexum Autores ordinariè intelligunt Sphæricè Convexum.

D E F I N I T I O VI .

7. *Speculum Concavum* est, quod Concavam habet superficiem. Per Speculum Concavum Autores ordinariè intelligunt Sphæricè Concavum.

Wolfi Oper. Mathm. Tom. III.

D E F I N I T I O VII .

8. *Speculum Sphericum* est, quod superficiem habet Sphaericam. Estque vel Convexum, vel Concavum.

D E F I N I T I O VIII .

9. *Speculum Cylindricum* est, quod habet superficiem Cylindricam. Estque vel Convexum, vel Concavum.

D E F I N I T I O IX .

10. *Speculum Conicum* est, quod habet superficiem Conicam.

D E F I N I T I O X .

12. *Speculum Parabolicum* est, quod habet superficiem Conoidis Parabolici; *Hyperbolicum* vero, quod superficiem Conoidis Hyperbolici habet.

D E F I N I T I O XI .

12. *Speculum Ellipticum* est, quod habet superficiem Sphæroidis Elliptici.

D E F I N I T I O XII .

13. *Punctum incidentia* est Punctum Speculi B, in quod incidit Radius AB à Puncto radiante A emanans. Vocatur idem *Punctum Reflexionis* respectu Radii BC, qui inde reflectitur.

D E F I N I T I O XIII .

14. *Radius incidentis* vel *Linea incidentia* est recta AB à Puncto radiante A

O

Tab. I.
Fig. 1.

ad

Tab. I. ad Punctum incidentiæ B ducta, per Fig. I. quam Lumen ad Speculum propagatur.

DEFINITIO XIV.

15. *Radius reflexus vel Linea reflexionis* est recta BC, per quam Lumen à Puncto reflexionis reverberatur.

DEFINITIO XV.

16. *Cathetus incidentiæ* est recta AF à Puncto radiante A ad Speculum DE perpendicularis.

DEFINITIO XVI.

17. *Cathetus reflexionis* est recta CG à quocunque Radii reflexi BC Puncto C ad Speculum DE perpendicularis. Vocatur etiam *Cathetus Oculi*.

DEFINITIO XVII.

18. *Cathetus obliquationis* est recta HB ad Speculum DE in Puncto incidentiæ vel reflexionis B perpendicularis

DEFINITIO XVIII.

19. *Angulus incidentiæ ABD* est Angulus minimus, quem efficit Radius incidens cum Speculo, vel, si Speculum Convexum aut Concavum, cum tangentie in Puncto incidentiæ.

SCHOLION.

20. *Nimirum Radius incidens AB dnos efficit cum Speculo angulos, alterum acutum ABD, alterum obtusum ABE; interdum utrumque rectum. Angulus minor ABD dicitur Angulus incidentiæ.*

DEFINITIO XIX.

21. *Angulus reflexionis CBE* est Angulus minimus, quem efficit Radius reflexus CB cum Speculo, vel, si id Convexum aut Concavum, cum tangentie in Puncto reflexionis.

DEFINITIO XX.

22. *Inclinatio incidentis Radii* est Angulus ABH, quem efficit Radius incidens AB cum Catheto obliquationis HB. Tab. Fig.

DEFINITIO XXI.

23. *Inclinatio Radii reflexi* est Angulus CBH, quem efficit Radius reflexus CB cum Catheto obliquationis HB.

THEOREMA I.

24. *Si Lumen à Speculo quocunque reflectitur, Angulus incidentiæ est aquilis Angulo reflexionis.*

DEMONSTRATIO.

Cum in omni motu reflexo Angulus incidentiæ sit æqualis Angulo reflexionis (§. 557. *Mechan.*); etiam in motu reflexo Luminis Angulus incidentiæ Angulo reflexionis æqualis sit necesse est. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

25. Radius igitur Luminis HB perpendiculariter incidens in superficiem Speculi DE in seipsum reflectitur (§. 79. *Geom.*).

SCHOLION I.

26. *Veritatem Theorematis Experientia clarissime loquitur. Quodsi enim Speculo quocunque Radius Solaris per exiguum foramen in locum obscurum intromissus excipiatur, non sine jucunditate videbis ipsum ita resilientem, ut Angulo incidentiæ Angulus reflexionis æqualis sit. Idem multis adhuc aliis modis experiri poteris. E. gr. Si super Speculo DE collocetur Semicirculus FiG, ita ut centrum ejus sit in B & superficies ad Speculum perpendicularis; sumtisque Arcibus aequalibus Fa & Gc in A collocetur Objectum, in C vero Oculus; Objectum per Radium reflexum a Puncto B videbitur. Quod si Punctum B tegatur, non amplius videri poterit.*

SCHOLION II.

SCHOLION II.

27. Poterat igitur hæc Lex Reflexionis sine probatione Axiomatis instar assumi. Quemadmodum vulgo ab Opticis fieri solet.

COROLLARIUM II.

28. Ab uno Speculi Puncto non possunt reflecti plures Radii ad unum Punctum: forent enim omnes Anguli incidentia eidem Angulo reflexionis CBG (§. 24), adeoque etiam inter se æquales (§. 87. Arithm.): quod est absurdum (§. 84. Arithm.).

COROLLARIUM III.

29. Radius unus AB in duo vel plura Puncta reflecti nequit: forent enim omnes Anguli reflexionis eidem Angulo incidentia ABF æquales (§. 24). Quod esse absurdum, patet ut ante.

THEOREMA II.

30. A quolibet Puncto Speculi reflectuntur Radii à qualibet Objecti parte incidentes.

DEMONSTRATIO.

A quolibet Objecti Puncto in Speculi Punctum quodlibet Radius incidit (§. 60. Optic.). Quare cum Radii incidentes reflectantur (§. 51. Optic.); à quolibet Puncto Speculi reflectuntur Radii à qualibet Objecti parte incidentes. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

31. Cum ab uno Puncto Speculi Radii à diversis Objecti radiantis Punctis incidentes in unum Punctum reflecti nequeant (§. 28); Radii, qui à diversis Objecti radiantis Punctis emanarunt, per reflexionem rursus separantur. Quilibet igitur Punctum, unde emanavit, videre facit (§. 76. Optic.).

SCHOLION.

32. En rationem, cur Radii à Speculo reflexi spectanda exhibeant Objecta. Unde simul intelligitur, Corpora aspera ita reflectere de-

bere Lumen, ut Radii à diversis Objectorum Punctis illapsi confundantur: id quod ob diversimode alternantes eminentias & cavae tates (§. 935. Mechan.) accidere neceſſe est.

COROLLARIUM II.

33. In singulis Speculi Punctis duæ fiunt Pyramides, altera incidens, altera reflexa, quarum communis Vertex est in Puncto incidentia & reflexionis, Basis incidentis in Objecto, Basis vero reflexæ continuo fit major.

THEOREMA III.

34. Si Oculus C & Punctum radians Tab. I. A loca permutent, Punctum in Oculum Fig. I. eodem, quo ante, tramite radiabit.

DEMONSTRATIO.

Si enim Objectum ex A in C transfertur: in Punctum reflexionis pristinum B adhuc radiabit (§. 60. Optic.). Quare cum inter duo Puncta C & B nonnisi unica recta esse possit (§. 170. Geom.) & Radii per Lineas rectas repræsententur (§. 46. Optic.); qui ante erat reflexionis, nunc incidentia erit Radius CB (§. 14. 15). Quoniam itaque sub eodem Angulo reflectitur, quo incidit (§. 24); qui ante erat incidentia Radius, nunc erit Radius reflexionis (§. 19. 21). Objectum igitur in C translatum, in Oculum in A constitutum adhuc radiat per rectas CB & BA. Q. e. d.

COROLLARIUM.

35. Objectum igitur per Radium reflectum AB perinde videtur ab Oculo in A constituto, ac si ipse in C, Objectum in A poneretur.

SCHOLION.

36. Cum Theorematis veritas Experientia facilime confirmari possit, quidam id instar Principii cum EUCLIDE assumunt & inde

Tab. I. Legem Reflexionis hunc in modum demonstrant.
Fig. I. Sit Angulus incidentia Angulo reflexionis major, erit $ABF > CBE$. Facta igitur translatione Oculi & Objecti, Angulus CBE fiet Angulus incidentia, adeoque $CBE > ABF$ per hypoth. Idem adeo Angulus ABF & major, & minor est altero CBE. Quod cum sit absurdum, ABF ipso CBE major esse nequit. Idem absurdum sequitur, si ponamus Angulum incidentia minorem esse Angulo reflexionis. Quoniam itaque Angulus incidentia nec maior, nec minor esse potest Angulo reflexionis, eidem utique aequalis erit.

OBSERVATIO I.

37. Si ad Speculum quocunque applicetur Planum aliquod ad Angulos rectas & Diottra, cuius foramen in eo existit, Soli obvertatur; videbis Radium reflexum esse in eodem Plano. Similiter si in loco obscuro Radium Solarem per exiguum foramen transmissum Speculo immoto excipias & Planum ad Punctum incidentia ita applies, ut Radius incidentia non minus, quam reflexionis in Plano isto existat; re examinata deprehendes, Planum illud esse ad Speculum rectum. Concordat cum his Experienciis ea, quam supra (§. 26) alium in finem atulimus.

COROLLARIUM I.

38. Apparet adeo, Planum reflexionis, in quo nempe Radius incidens & reflexus existit, esse a. l superficiem Speculi perpendicularē & in Speculis Sphæricis transire per Centrum.

COROLLARIUM II.

39. Cathetus adeo tam incidentia, quam reflexionis est in Plano reflexionis (§. 16. 17).

SCHOLION.

40. Quod Planum reflexionis sit ad Speculum perpendicularē, exemplo EUCLIDIS atque ALHAZENI tanquam Experientia sc̄tis clarum, sine Demonstratione assumere malumus, quam rationibus non satis evidentiis stabilire.

OBSERVATIO II.

41. Si ad Speculum sive Planum, sive Sphaericum erigatur Stylus ad angulos rectos; Imagini sua in directum jacet, etiam cum extra Speculum Concavum in aëre appareret. Quod si Stylus Punctum aliquod Objecti extremitate sua attingat, ejusdem Puncti Imago videbitur in Imagine extremitatis stylis.

SCHOLION.

42. Hac Experientia permoti Veteres. Principii instar assumserunt, Imaginem Objecti in Speculo visi esse in Catheto incidentia. Quare cum certum sit, eandem esse in Radio reflexo (§. 326. Optic.) ; tandem intulerunt, eam apparere in concurso Radii reflexi & Catheti incidentia. Neque vero negandum est, id verum esse universaliter in Speculis Planis & Sphaericis Convexis, nec non ut plurimum in Speculis Sphaericis Concavis; pauci tamen dantur casus, in quibus Regula fallit; quemadmodum dudum monstravit KEPLERUS (a). Sed videntur Veteres ob causam illum rariorem, ubi exceptionem patitur, non deferere voluisse Principium, per quod reliqua Catoptrica Phænomena demonstrantur. Ne tamen aliquid assumisse videamur, quod veritati consentaneum non sit, de singulis Speculorum generibus sigillatim demonstrabimus, an & quibus conditionibus positis Principium verum sit.

CAPUT.

(a) In Parallipon. ad Vitellionem Prop. 18 p. 70.

C A P U T II.

De Speculis Planis.

P R O B L E M A I.

43. **T**abulam Vitream polire, unde Speculum Planum confici possit.

R E S O L U T I O.

1. Tabula Vitrea gypso agglutinetur
Tabula Ligneæ Horizontaliter positiæ, quæ loco suo dimoveri nequit.
2. Tabulæ Ligneæ minori agglutinetur
Tabula Vitrea alia. Huic in parte postica affixa sit Cista, ut Tabula lapidibus aliisque ponderibus onerari possit.
3. Tabula Vitrea prior arena per cibrum trajecta, ne inæqualia nimis sint grana, & aqua conspergatur, quantum ad extritionem sufficere jucatū.
4. Tabula Vitrea posterior sive minor majori superimponatur & huic illucque agitetur, donec una alteram compianaverit.
5. Cum aliqualis planities apparet, arena adhibeatur subtilior, & ubi hæc in pultem conversa, Tabulæ solæ, aqua tantum affusa cum pulvere Smyridis contriti crassiori se invicem fricent.
6. Quando ad polituram aptæ, ab omnibus impuritatibus aqua affusa purgentur, ne ullus arenæ aut Smyridis pulvisculus remaneat, polituram deprivaturus.

7. Parallelepipedum Ligneum, cuius longitudo aliquoties latitudinem excedit, inferius materia piliari obducatur & eidem materia, qua ad poliendum uteris (e. gr. terra Tri-politana vel Stannum ustum) aqua temperata inducatur.
8. Tandem parallelepipedum Tabulæ appressum huc illucque agitetur, donec ea perfectam politiem natam fuerit.

S H O L I O N I.

44. Smyride si uti volueris, in pulverem contritus aquæ immittendus & cum palo ligneo agitandus. Postquam crassiores particulæ ad lœvigandum ineptæ fundum petierunt; aqua in aliud vas transfunditur, in quo subtiliores subsidunt: quo facto in tertium decantatur, ut adhuc subtiliorem pulverem nanciscaris. Immo in quartum ex tertio effundi debet, donec etiam omnium subtilissimi pulvisciculi in fundo collecti conspiciantur. Ita nimurum diversæ subtilitatis Smyridem adipisci licet, quo ad lœvigandum successive utendum.

S C H O L I O N II.

45. Specula minora super Tabula Plana ferrea primum exteruntur & deinde eodem modo, quo majora, lœvitantur.

S C H O L I O N III.

46. Difficillimum vero est Tabulis Vitreis. perfectam planitatem inducere: quod experientia edocet non differtur, qui Vitris Planis expoliendis operam dedere, ita ut HEVELIUS (a) majus artificium judicet superfi-

Q. 3.

(a) In Prolegom. Selenogr. f. 24.

perficiem Vitri exæcte Planam, quam Cavam reddere. Et hinc raro reperiuntur Specula perfecta planitie prædita, ut adeo exæcta Imagines Objectorum non repræsentent.

SCHOLION IV.

47. Ad poliendas Tabulas majores Artifices Specularii utuntur Machina politoria, cuius descriptionem Problemate sequente tradimus.

PROBLEMA II.

Tab. I. 48. *Machinam politoriam cons-*
Fig. 2. truere.

RESOLUTIO.

1. Cylindro AB rota radiata C instruc-
to & verticaliter erigendo infigatur
Axis curvatus ferreus DE.
2. Axi DE immittatur annulus ferreus
F & huic quatuor Hastæ ferreæ FG
applicentur, utrinque in uncum de-
sinentes.
3. Construantur quatuor Quadrangula
HKLI ex tribus Regulis Ligneis HL,
LI & IK & Cylindro HK atque Regu-
lis transversis KL & HI; sitque Qua-
drangulum circa axem Cylindri HK
mobilis.
4. In medio Regulæ LI infigatur uncus
M, cui inseratur uncus Hastæ FG,
ita ut Cylindro AB circumacto Qua-
drangulum HKLI nunc protruda-
tur, nunc retrahatur.
5. Eidem Regulæ LI in Superficie exte-
riori affigantur duo annuli & iis in-
serantur unci Hastarum ferrearum
NO, ad quas applicandum est Lignum
politorium PQ.
6. Baculi RS extremum alterum R In-
strumento politorio, alterum vero
S trabi infigatur.

7. Denique ad Machinam agitandam
utendum est Rotis dentata ab, stel-
lata cd, radiata de & aquaria fg,
vel aliis modis structura varianda
pro diversa potentiae applicatione,
uti docuimus in Mechanicis, Cap.

I4.

Quodsi enim Tabulam Vitream Ligneæ
TV gypso agglutinatam & ad politu-
ram dispositam Ligno politorio subji-
cias; Machina Lignum politorium huc
illucque trahendo Tabulam expoliet.

PROBLEMA III.

49. *Ex Tabulis Vitreis levigatis Spe-
cula Plana conficere.*

RESOLUTIO.

1. Super Tabula Lignea expandatur
charta bibula & pulvere cretaceo
conspergatur: quo facto, bractea
Stannea super charta exactissime
explicetur.
2. Affundatur Mercurius pede leporino
aut goffypio per bracteam æquali-
ter distribuendus.
3. Bractæ penna purgatae imponatur
charta munda & huic Tabula Vitrea
linteo mundo abstersa.
4. Manu sinistra Tabula Vitrea apprima-
tur & dextra charta lente extraha-
tur: quo facto Tabula charta cras-
siori tecta pondere oneretur, ut su-
perfluum Mercurii arceatur & Stan-
num Speculo certius adhæreat.
5. Ubi exsiccatum fuerit, pondus remo-
veatur: eritque Speculum Planum
confectum.

SCHOLION.

50. *Aliqui Mercurii unciam unam admiscent
uncia dimidiæ Marchasitæ ad ignem liquefactæ*

& ne Mercurius in fumum abeat, in aquam frigidam infundunt, frigefactam per linteum triplicatum aut per corium, ex quibus caligae fieri solent, urgent. Sunt etiam qui quartam unciae partem Plumbi, itemque Stanni Marchasitae addunt, celerius Specula ut exsiccentur.

THEOREMA IV.

51. In Speculo Plano quodlibet Objecti Punctum A videtur in concursu B Catheti incidentiae AB & Radii reflexi CB.

DEMONSTRATIO.

Sint duo Radii reflexi CD & FE, quos supponamus in eundem Oculum illabi: vel, si distantia Oculorum tanta fuerit, quanta Radiorum, in F & C, DC in Oculum sinistrum, FE in dextrum radiet. Quoniam angulus CDG = EDB (*§. 156. Geom.*) & CDH = ADG (*§. 24*); erit quoque ADH = CDG (*§. 88. Arithm.*) = EDB (*§. 87. Arithm.*). Porro HEF = DEB (*§. 156. Geom.*) & HEF = AEG (*§. 24*); ergo BED = AEG (*§. 87. Arithm.*). Quoniam igitur AEG & ADE duobus rectis minores (*§. 240. Geom.*), etiam BED & BDE duobus rectis minores, consequenter Radii reflexi FE & CD concurrunt in B (*§. 262. Geom.*), estque DB = DA (*§. 251. Geom.*). Quare cum etiam sit angulus BDG = CDH (*§. 156. Geom.*), & ADG = CDH (*§. 24*), adeoque BDG = ADG (*§. 87. Arithm.*) Erunt quoque anguli ad G aequales (*§. 179. Geom.*), adeoque AB ad HG perpendicularis (*§. 79. Geom.*), hoc est, AB est Cathetus incidentiae (*§. 16*). Concurrunt itaque Radii reflexi FE & CD cum Catheto incidentiae AB in eodem Puncto B. Ita ergo in

Oculum radiat Punctum A, ac si Coni Optici Vertex esset in B (*§. 336. Optic.*). Fig. 3. Quamobrem Punctum radians A videatur in B, hoc est, in concursu Catheti incidentiae cum Radio reflexo (*§. 348. Optic.*). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

52. Quoniam ex Demonstratione liquet, omnes Radios reflexos cum Catheto incidentiae uniri in B; per quemcunque Radium reflexum Punctum radians A videatur, in eodem semper loco videtur. Quotquot igitur idem Objectum in eodem Speculo continentur, in eodem quoque loco post Speculum illud vident, sive unius Objecti unica tantum est Imago, neque duobus Oculis germinatum apparere potest.

COROLLARIUM II.

53. Quia vi ejusdem Demonstrationis BD = DA; distantia Imaginis B ab Oculo C componitur ex Radio incidente AD & reflexo CD.

COROLLARIUM III.

54. Immo quia per Demonstrationem manifestum est, omnes Radios reflexos cum Catheto incidentiae uniri in B; Objectum A reflexe eodem modo radiat, quo radiaret directe, si in locum Imaginis transferretur.

COROLLARIUM IV.

55. Si igitur Lumen Solis à Speculo Plano reflectitur, eodem modo propagatur, quo per foramen transmissum, adeoque Luminis reflexi figura erit rotunda & crescente distantia à Speculo crescat, hoc est, Imaginem Solis majorem exhibet (*§. 294. Optic.*).

THEOREMA V.

56. Imago Puncti radiantis B tanto intervallo post Speculum Planum apparet, quanto ipsum Punctum radians A ante Speculum distat.

DEMONSTRATIO.

Tab. I. Fig. 3. Quoniam Imago B videtur in concurso Catheti incidentiæ & Radii Reflexi CB; erunt anguli ad G recti (§. 16), adeoque æquales (§ 245. Geom.). Est vero etiam CDH = BDG (§. 156. Geom.), & CDH = ADG (§. 24), adeoque anguli ADG & BDG æquales sunt (§. 88. Arithm.) & DG = DG. Ergo AG = GB (§. 251. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

57. Si ergo Speculum HG fuerit Horizontaliter collocatum; Punctum A tanto intervallo infra Speculum demersum videbitur, quanto supra ipsum elevatur. Erecta igitur situ inverso in eodem apparent, adeoque Homines capite deorsum, pedibus sursum videntur.

COROLLARIUM II.

58. Quare si ad parietem, in quem per exiguum foramen projiciuntur species Objectorum inversæ (§. 119. Optic.), Speculum Horizontaliter colloces; videbis in eo Imagines situ erectas.

COROLLARIUM III.

59. Quodsi Speculum HG ad laquear conelavis applicetur, ita ut Horizonti parallelum existat; Objectum tanto intervallo ultra laquear elevatum apparet, quanto infra id depresso, videnturque erecta denuo inversa, adeoque Homines capite deorsum, pedibus sursum.

THEOREMA VI.

60. In Speculo Plano Imago est Objecto similis & æqualis.

DEMONSTRATIO.

Tab. I. Fig. 4. Quodlibet enim Objecti Punctum I. 2. 3. 4. &c. videtur in Catheto incidentiæ (§. 51) secatque Speculum Ca-

theri incidentiæ partem inter Punctum radians & ejus Imaginem interceptam bifariam (§. 56). Quodsi ergo à singulis Punctis Objecti I. 2. 3. 4 &c. demittantur ad Speculum BC perpendiculares ultra id continuandæ; donec fiat $1a=aI$, $2b=bII$, $3d=dIII$, $4e=eIV$ &c. quotlibet Imaginis Puncta I. II. III. IV. &c. determinantur. Quodsi ergo concipiamus perpendicularares I a, 2 b, 3 c, 4 d &c. ita convolvi, ut secum rapiant sua Puncta objectiva I. 2. 3. 4. &c. eaque deferant in Plani partes oppositas; tum quidem I in I, 2 in II, 3 in III, 4 in IV cadere intelligitur, adeoque Objectum Imagini suæ congruit (§. 3. Geom.), consequenter Imago Objecto & similis, & æqualis est (§. 161. Geom.). Q. e. d.

SCHOLION.

61. Hinc Speculorum Planorum usus est in contemplanda facie.

THEOREMA VII.

62. In Speculo Plano dextra apparent sinistra & sinistra contra videntur dextra.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim Punctum I videtur in Catheto incidentiæ suæ, nempe in I, & 4 in Catheto incidentiæ suæ, nempe in IV. (§. 51); dextra videntur è regione dextrorum & sinistra è regione sinistrorum. Sed si alterius faciem extra Speculum contuearis, ejus dextra tuæ sinistram & ejus sinistra dextram respondeat. Quare in Speculo dextra apparent sinistra & contra sinistra videntur dextra. Q. e. d.

PROBLEMA IV.

63. Datis Puncto radiante A & loco Oculi C; invenire Punctum reflexionis D.

RESOLUTIO.

Demissis ex C & A perpendicularibus CE & AG, hoc est, ductis Cathetis incidentiæ & reflexionis (§. 16. 17), fiat: ut summa Cathetorum incidentiæ & reflexionis AG & CE, ad Cathetum reflexionis CE; ita distantia Cathetorum EG, ad distantiam ED Catheti reflexionis à Puncto reflexionis.

DEMONSTRATIO.

Quoniam anguli E & G recti sunt (§. 16. 17) & $x = o$ (§. 24); erit $AG:EC = GD:ED$ (§. 267. Geom.), consequenter $AG+EC:EC = EG:ED$ (§. 190. Arithm.). Q. e. d.

PROBLEMA V.

64. Mediante Speculo Plano C altitudinem accessibilem e. gr. Arboris AB metiri.

RESOLUTIO.

1. Speculo in C Horizontaliter collocato, tamdiu ab eo recede, donec apicem A in Speculo contuearis.
2. Metire altitudinem Oculi DE, distantiam tuam à Puncto reflexionis EC, & distantiam Arboris ab eadem CB.
3. Quæratur ad EC, CB & ED quarta proportionalis AB.

Dico, hanc esse altitudinem Arboris quæsitam.

DEMONSTRATIO.

Quoniam DE & AB ad EB perpendicularares (§. 227. Geom.); anguli B & E

recti sunt (§. 78. Geom.), adeoque æquales (§. 145. Geom.). Quare cum etiam sit angulus ACB = DCE (§. 24); erit $EC:ED = CB:AB$ (§. 267. Geom.), consequenter $EC:CB = ED:AB$ (§. 173. Arithm.). Q. e. d.

THEOREMA VIII.

65. A diversis Speculi Plani AB Punctis non reflectuntur in idem Punctum Fig. 7. D Radii ab eodem Puncto G illapsi.

DEMONSTRATIO.

Est enim $o = y$ (§. 24) & $o > x$ (§. 239. Geom.), adeoque $y > x$ (§. 89. Arithm.). Porro $x = u$ (§. 24) & $y < u$ (§. 239. Geom.). Ergo $y < x$ (§. 89. Arithm.). Quod cum sit absurdum, à Speculo Plano AB in idem Punctum D Radii ab eodem Puncto G illapsi non reflectuntur. Q. e. d.

COROLLARIUM.

66. Radii igitur per reflexionem à Speculo Plano factam minime densiores fiunt, adeoque nec calorem Solis intendunt.

THEOREMA IX.

67. Si Punctæ extrema Objecti F & H à Punctis C & D in Oculum O reflectantur; Puncta omnia intermedia à Linea CD reflectuntur. Tab. I. Fig. 8.

DEMONSTRATIO.

Reflectatur enim, si fieri potest, Punctum I à Puncto E in Oculum O. Quoniam IE Radium DH in K secat: Punctum K à Punctis E & D ad idem Punctum O reflectitur. Quod cum sit absurdum (§. 65), & idem absurdum sequatur, si Punctum I à G in in O reflecti ponamus; totum Objectum FH à Linea CD reflectitur. Q.e.d.

COROLLARIUM I.

Tab. I. 68 Quodsi ergo determinentur Puncta Fig. 8. C & D, unde extrema Objecta F & H reflectuntur (§. 63); integra Linea CD habetur, unde Objectum integrum FH à Speculo in Oculum O reflectitur.

COROLLARIUM II.

69. Punctum remotius F reflectitur à Puncto C Oculo vicinore, quam Punctum Speculo vicinus I: si enim I reflecteretur à Puncto vicinore G, non reflecteretur à Linea CD: quod tamen fieri necesse est (§. 67).

THEOREMA X.

Tab. I. 70. Si Speculum Planum AE ad Horizontem EH inclinetur sub angulo 45 graduum; Objectum Verticale CB Horizontale apparet IK.

DEMONSTRATIO.

Continuetur BC, donec Speculo in A occurrat. Quoniam H est rectus, & E 45° per hypoth. erit etiam A 45° (§. 241. Geom.). Quare si ex B ducatur perpendicularis BG ad Speculum AB; erit ABG itidem 45° (§. cit.) & AG = GB (§. 253. Geom.). Fiat GB = GK: erit in K Imago ipsius B (§. 56). Ducatur KA: quia KG = GA & G rectus per demonstr. erit K semirectus (§. 241. Geom.), consequenter KA ipsi EH parallela (§. 255. Geom.). Quare cum eodem modo ostendatur, Punctum C apparere in Puncto I ejusdem parallelæ; evidens est, Imaginem IK Horizonti EH parallelam esse. Q.e.d.

THEOREMA XI.

71. Si Speculum Planum AE inclinetur ad Horizontem EH sub angulo 45 graduum, Objectum Horizontale LB apparebit verticale in MK.

DEMONSTRATIO.

Coincidit cum Demonstratione Theorematis præcedentis.

COROLLARIUM.

72. Hinc Oculo infra Speculum constituto in hoc situ Terra videtur perpendiculariter erecta; collocato vero supra Speculum deorsum perpendiculariter depressa apparet.

SCHOLION.

73. Hinc Globus in Plano parumper inclinato descendens mediante Speculo exhiberi potest tanquam ascendens in Plano Verticali: quod artificium si tegatur, in admirationem rapiet Catoptrices ignaros.

PROBLEMA VI.

74. Efficiere, ut te in Speculo volantem contuearis.

RESOLUTIO.

- Quoniam Specula sub angulo semirecto ad Horizontem inclinata Imagines Verticales ut Horizontales exhibent (§. 70); Speculum Planum majus, inclinandum est ad Horizontem sub angulo semirecto.
- Quodsi ergo versus Speculum progrederaris; Horizonti parallelum moveri videbitur corpus, adeoque si brachia extensa cum in modum agitantur, quo aves alas agitare solent, per aërem volare tibi videberis.
- Quoniam tamen pavimentum, cui insistis, simul attollitur (§. 71) & in eo incessus pedum observatur, quasi in Plano Verticali sursum contingere (§. 73); ut Oculus hallucinetur, in brachia & caput totus dirigendus & à pedibus, quantum fieri potest, avertendus.

THEO-

THEOREMA XII.

75. Si Objectum AB fuerit Speculo CD parallelum; etiam Imago GH eidem parallela est.

DEMONSTRATIO.

Quodlibet Punctum Imaginis GH tanto intervallo post Speculum distat, quanto Punctum unumquodque Objecti ante Speculum (§. 56.). Sed quia Objectum AB Speculo CD parallelum per hypoth. singula ejus Puncta à Speculo æqualiter distant (§. 81. Geom.). Ergo etiam singula Imaginis GH Puncta ab eodem æqualiter distant, consequenter Imago GH Speculo CD parallela (§. cit. Geom.). Q. e. d.

THEOREMA XIII.

76. Si Objectum AB Speculo CD fuerit parallelum, & cum Oculo æqualiter ab eo distet: Linea reflectens CD est Objecti AB dimidia.

DEMONSTRATIO.

Sit Oculus O in ipso Objecto AB, hoc est, ponamus Spectatorem seipsum contemplari in Speculo. Quoniam Spectator AB Speculo CD parallelus, per hypoth. etiam Imago GH eidem parallela erit (§. 75). Demittatur ex O perpendicularis OL ad CD, quæ continua in I erit etiam ad GH perpendicularis (§. 230. Geom.); estque adeo OL altitudo Trianguli OCD, OI vero altitudo Trianguli GOH (§. 227. Geom.). Quare cum ob parallelismum Imaginis GH & Speculi CD, sit $o = x$ & $y = u$ (§. 233. Geom.); Triangula COD & GOH similia sunt (§. 267. Geom.) & hinc $CD:GH = OL:OI$ (§. 396.

Geom.). Cum itaque sit $OL = \frac{1}{2}OI$ (§. 56); etiam $CD = \frac{1}{2}GH$. Est vero $GH = AB$ (§. 60). Ergo $CD = \frac{1}{2}AB$ (§. 168. ARIHM.). Q. e. d.

Eodem prorsus modo succedit Demonstratio, si Oculum O extra Objectum assumas, hoc est, si non te ipsum, sed Objectum aliud in Speculo contempleris, quod tamen æqualiter cum Oculo ab eo distet.

COROLLARIUM I.

77. Ut igitur in Speculo te totum contueri possis; ejus altitudo altitudinis tuæ & latitudo latitudinis pariter tuæ dimidia esse debet.

COROLLARIUM II.

78. Data altitudine & latitudine Objecti per Speculum videndi, datur quoque altitudo & latitudo Speculi, in quo integrum apparet in eadem cum Oculo distantia: Sunt nempe dimensiones Speculi dimensionum Objecti dimidiæ (§. 76).

COROLLARIUM III.

79. Cum latitudo atque longitudo portionis Specularis reflectentis, sit subdupla latitudinis & longitudinis superficie, quæ reflectitur (§. 76) & ob parallelismum Speculi & superficie reflexæ portio reflectens Speculi huic similis existat; erit portio Speculi reflectens ad superficiem, quæ reflectitur, in ratione subquadrupla (§. 406. Geom.).

COROLLARIUM IV.

80. Quoniam portio reflectens constans est (§. 79); te semper totum videbis in Speculo Plano, sive accedas, sive recedas, si aliquo in loco te totum videre potes: quod idem valere de Objectis æqualiter cum Oculo à Speculo dissitis, satis patet.

THEOREMA XIV.

81. Si Objectum AB Speculo IF fuerit Tab. I. parallelum; longitudo Lineæ reflexæ AB Fig. 11. est

Tab. I. est ad reflectentem CD, ut via reflexio-
Fig. II. nis BD + DO ad Radium reflexum OD;
vel ut composita ex distantia Oculi &
Objecti à Speculo OI + BF, ad distan-
tiam Oculi OI.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Objectum AB Speculo FI parallelum per hypoth. erit etiam Imago GE eidem parallela (§. 75), adeoque GE: CD = OE: OD (§. 268. Geom.), hoc est, quia GE = AB (§. 60) & DE = DB (§. 51), AB: CD = OD + DB: OD. *Quod erat unum.*

Est vero etiam OE: OD = OK: OI (§. 267. Geom.), adeoque GE: CD = OK: OI (§. 167. Arithm.). Quare cum IK = FE (226. Geom.) = BF (§. 56) & GE = AB (§. 60); erit AB: CD = OI + BF: OI. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XV.

82. Radii AC & DB qui à Speculo Plano CD ad idem Punctum O reflectuntur, cum Catheto reflexionis OK tanto intervallo IK post Speculum concurrunt, quanto Punctum O ante id distat.

DEMONSTRATIO.

Eadem prorsus est, quæ Theorematis 5 (§. 56).

THEOREMA XVI.

83. Si Objectum AB, quod est cum Oculo O in eodem Plano, & Speculo parallelum, ab eo totum videtur in Speculo CD; Oculus in O immotus eo minorem ejus partem videbit, q. o id propius ad Speculum CD accedit; semper tamen dimidia longitudinis itemque quarta superficie maiorem; idem vero juxta Objec-

sum AB adhuc alia in Speculo conspiciet, Tab.
si id longius ab eo recedat. Fig.

DEMONSTRATIO.

Ducatur PQ ipsi AB parallela; erunt PC & QD Radii extremi, qui à Speculo CD in Oculum O reflectuntur, adeoque Oculus O præter PQ in Speculo nihil videbit secundum longitudinem. Sed quia AC & BD cum Catheto reflexionis OK in K concurrunt (§. 82); erit PQ: AB = KP: KA (§. 268. Geom.). Quare cum KP < KA per hypoth. erit etiam PQ < AB. *Quod erat unum.*

Porro ex eadem ratione PQ: CD = KP: KC. Est vero KP > KC (§. 84. Arithm.). Ergo PQ > CD. Quare cum CD = $\frac{1}{2}$ AB (§. 84); erit quoque PQ > $\frac{1}{2}$ AB (§. 87. Arithm.) & hinc superficies partis, quæ, Objecto ex AB in PQ translato, videtur, major quarta parte superficie totius (§. 79). *Quod erat alterum.*

Simili modo ostenditur, quod præter Objectum adhuc alia in Speculo videantur, si ex AB in MN transferatur. *Quod erat tertium.*

PROBLEMA VII.

84. Datis Oculo O, longitudine Speculi CD & longitudine Objecti AB; determinare locum, ubi statuendum est Objectum, ut totum in Speculo videri queat, nec quicquam aliud præter ipsum secundum longitudinem.

RESOLUTIO.

Dato Oculo O, datur etiam Radius reflexus OC. Itaque

I. Fiat: ut CD longitudine Speculi, ad AB longitudinem Objecti; ita OC Radius reflexus,

- reflexus, ad viam reflexionis OC
+ AC (§. 81).
 2. Subtrahatur inde Radius reflexus OC;
residuus erit Radius incidens AC.
 3. Ducta igitur OC fiat Angulus ACD
= OCI (§. 24) & AC Radio inci-
denti æqualis.
 4. Denique Objectum AB statuatur in
A Speculo CD parallelum.
 Sic factum est, quod petebatur.

THEOREMA XVII.

85. Si Speculi AB inclinatio ad Ho-
rizontem dato Angulo ACA mutetur,
Radius vero incidens DC maneat in suo
incidentia Puncto C; Radius reflexus
Ce duplo Angulo eCE variatur.

DEMONSTRATIO.

Quoniam ACD = ECB (§. 24) &
ACa = BCb (§. 156. Geom.) & ECb
= ECB + BCb (§. 86. Arithm.); erit
ECb = DCA + aCA (§. 87. Arithm.)
= DCa + 2ACA (§§. cit.), consequen-
ter ECb — 2ACA = DCa = bCe
(§. 24). Est igitur ECb = bCe +
2ACA (§. 88. Arithm.). Quare cum sit
ECb — bCe = ECe & ECb — bCe
= 2ACA (§. 91. Arithm.); erit etiam
ECe = 2ACA (87. Arithm.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

86. Radius igitur reflexus movetur du-
plo celerius Speculo.

SCHOLION

87. Hæc experiri datur in Radio per fo-
ramen exiguum in Cameram obscuram intro-
missa.

THEOREMA XVIII.

88. In Speculo Plano Vitreo, (pre-
sertim si Objectum fuerit Lucidum,

aut Lumen peregrinum à Speculo arcea-
tur) post Imaginem claram videtur ad-
huc alia aliquanto obscurior.

DEMONSTRATIO.

Reflexio enim non modo fit à super-
ficie superiori Speculi; verum etiam ab
interiori, quæ Stanno terminata. Est
igitur Cathetus incidentia ad interiorem
Speculi superficiem tanta parte longior,
quanta est crassities Speculi. Quamo-
brem cum Imago Objecti videatur tan-
to intervallo post Speculum, quanto
ante ipsum abest (§. 56) & quidem in
Catheto incidentia (§. 51); vi reflexio-
nis primæ minori intervallo post Specu-
lum videtur, quam vi secundæ: utraque
tamen Imago in eadem Linea, adeoque
altera pone primam videbitur. Q. e. d.

SCHOLION.

89. Hoc incommodo carent Specula Plana
ex Metallo parata, quorum tamen rarior est
usus, quia Vitrea & clariora, & durabiliora
sunt Metallicis. Hinc mirifice sepe commen-
dabant Specula Chalybea Swarzenbergæ in
Sudetibus Misniæ parata (a).

COROLLARIUM.

90. Quoniam Cathetus incidentia, in
casu superiori, differt à Catheto inciden-
tia, in priori, tanta parte, quanta est cras-
sities Vitri, distantia autem Objecti & Im-
aginis est ejus duplo æqualis (§. 56.); dis-
tantia Imaginis obscurioris à clariore est
dupla crassitiei Vitri.

THEOREMA XIX.

91. Si Speculi Plani fragmenta ita
collocentur, ut omnia sint in eodem Pla-
no; unum Objectum nonnisi semel vi-
detur.

P 3

D E.

(a) Vid. Acta Erudit. 1714. p. 203. & seqq.

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim omnia fragmenta sunt in eodem Plano, per hypoth. una tantum est Cathetus incidentiae (§. 489. Geom.). Quare cum Objectum videatur in Catheto incidentiae (§. 51) Objectum unum nonnisi semel videtur. Q. e. d.

COROLLARIUM.

92. Cum perinde sit, utrum fragmenta unius Speculi, vel plura Specula integra in eodem Plano collocentur; in his quoque Objectum nonnisi semel videri potest.

PROBLEMA VIII.

93. Plura Specula ita statuere, ut in singulis Imaginem tui videas.

RESOLUTIO.

Tab. II. I. Ex Centro O describatur Arcus Circuli ABCDE.

2. Specula AB, BC, CD, DE ita statuantur, ut latitudines ipsorum sint Arcuum subtensæ, seu ut Anguli B, C, D, sub quibus junguntur, sint in Peripheria; longitudines autem ad Horizontem perpendicularates.

Dico, si Oculus sit in O, quod Imaginem tui in singulis Speculis sis visurus.

DEMONSTRATIO.

Cum enim ex O ad singula Plana AB &c. perpendicularares duci possint (§. 291. Geom.), Radius vero perpendicularis in seipsum reflectatur (§. 25); Oculus in Speculis singulis seipsum videbit, & quia Corpus tuum Speculis parallelum, si Speculi longitudo non minor fuerit subduplicata longitudinis tuæ, te totum contueberis (§. 77); in reliquo casu partem Corporis dimidia majorem (§. 83). Q. e. d.

SCHOLION.

94. Hoc artificio multiplicatur fonticulus in Crypta saliens.

THEOREMA XX.

95. Si Objectum in Linea DE ad Speculum AC perpendiculari movetur; ipso Recedente ante Speculum, Imago etiam recedit post Speculum; eodem autem accidente, Imago etiam accedit.

DEMONSTRATIO.

Si enim Objectum in recta DE ad Speculum AC perpendiculari recedit; ejus à Speculo distantia continuo crescit (§. 225. Geom.). adeoque etiam Imaginis distantia post Speculum continuo fit major (§. 56), consequenter Imago etiam recedit. Quod erat unum.

Si vero Objectum in Linea DE ad Speculum AC perpendiculari accedit; ejus à Speculo distantia continuo decrescit (§. 225. Geom.), adeoque etiam Imaginis distantia post Speculum continuo fit minor (§. 56), consequenter Imago etiam accedit. Quod erat alterum.

COROLLARIUM.

96. Accedente igitur ad Speculum Objecto, Imago post Speculum obviam ire videtur: recedente autem Objecto, Imago in contrariam plagam tendit.

THEOREMA XXI.

97. Si Objectum in Linea DE cum Speculo Plano AB parallela movetur; Imago in Speculo cum ipso eadem celeritate versus eandem plagam progreditur.

DEMONSTRATIO.

Si enim recta DE ad Speculum AB parallela; Objecti à Speculo distantia semper eadem manet (§. 81. Geom.), adeoque etiam

etiam Imago eodem constanter intervallo à Speculo distat (§. 56). Quare cum Objecto in directum jaceat (§. 51); una cum Objecto progreedi videtur. Q. e. d.

COROLLARIUM.

98. Objectum igitur Imago tanquam individua comes comitatur sive ad dextram, sive ad sinistram, prout Speculum vel ad dextram, vel sinistram constitutum est.

PROBLEMA IX.

99. Duo Specula Plana ita statuere, ut Objectum in oppositas plagas eodem instanti moveri videatur.

RESOLUTIO.

1. Jungantur duo Specula AB & AC ad angulos rectos.
2. Ducatur a i alterutrum AC perpendicularis DE, quæ erit alteri Speculo AB parallela (§. 256. Geom.).

Quodsi ita que Objectum moveatur per rectam DE, Imago in Speculo AB una cum ipso progrederetur (§. 97); altera vero in Speculo AC in oppositam plagam tendet (§. 96). Eodem adeo tempore Objectum in oppositas plagas moveri videtur. Q. e. d.

PROBLEMA X.

1. Speculis Planis quotunque BC, CD, DE quomodounque dispositis, &
2. Puncto radiante A, itemque Oculo P positione datis; inventire omnia Puncta reflexionis N, M & O, & locum Imaginis, quam videt Oculus in ultimo.

RESOLUTIO.

1. Ex A ducatur ad CB Cathetus incidentia AF & producatur in G, donec $AF = FG$.

2. Ex G in DC productam demittatur Tab. II. perpendicularis GH continuanda in Fig. 15. I, donec $IH = HG$.
3. Ex I demittatur in ED productam perpendicularis IK, continuanda in L, donec $KL = KI$.
4. Denique ex L ducatur ad P recta LP, ex Puncto intersectionis O ad I recta OI, ex Puncto intersectionis M ad G recta MG, & denique ex Puncto intersectionis N recta AN. Dico, Radium incidentem ex A in N reflecti ad M & inde ulterius ad O, tandemque ex O in Oculum P; Objectumque videri in L.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $AF = FG$, angulique ad F recti per construct. erit $o = x$ (§. 179. Geom.), adeoque cum sit $x = y$ (§. 156. Geom.), $o = y$ (§. 87. Arithm.). Radius igitur AN ex N reflectitur in M (§. 24). Eodem modo ob $HG = HI$ & angulos ad H rectos, ostenditur Radium NM ex M reflecti in O, & ob $KI = KL$ & angulos ad K rectos, Radium MO ex O in P reflecti. Via igitur reflexionis est ANMOP, & Puncta reflexionum sunt N, M & O. Quod erat unum.

Porro quia $AF = FG$ & anguli ad F recti per construct. in G est Imago ipsius A per Radium reflexum MN videnta (§. 51). Objectum igitur A in Speculum DC non aliter radiat, ac si in Puncto G constitueretur, adeoque GH est Cathetus incidentia (§. 16.) & ob $GH = HI$ Imago Imaginis G hoc est, Objecti A videtur in I (§. 51). Objectum ergo A in Speculum DE eodem

Tab. dem modo radiat, ac si in I constitueretur & hinc IK est Cathetus incidentia (§. 16), & ob $IK = KL$ Imago Imaginis I, hoc est Objecti A, videtur per Radium reflexum PO in L (§. 51). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

101. Quoniam ob $KL = KI$, & $IH = HG$, $AF = FG$, angulosque ad K, H & F rectos, per construct. $LO = OI$, $Ml = MG$, $NG = NA$ (§. 170. Geom.); erit etiam $LO = OM + MG = OM + MN + NA$, consequenter distantia Imaginis ab Oculo PL viae reflexionis $AN + NM + MO + OP$, prorsus ut in unico Speculo, (§. 53) æqualis.

THEOREMA XXII.

Tab. 102. Si duo Specula Plana AB & AC II. ad angulum rectum A constituantur; Fig. 16. idem Radius GD nonnisi bis reflecti potest.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $x = o$ (§ 24), adeoque acutus (§. 20), A vero rectus, per hypoth. Radius reflexus DE cum Speculo AC concurrit (§. 262. Geom.). Quoniam vero y est acutus (§. 241. Geom.); erit etiam u acutus (§. 24), consequenter $y + n$ obtusus (§. 147. Geom.). Quare cum m sit rectus per hypoth. adeoque m & $y + n$ simul sumti duobus rectis maiores; Radius reflexus EF à Speculo AB divergit (§. 261. Geom.), consequenter cum eo concurrere nequit (§. 84. Geom.). Radius itaque GD à Speculis BA & AC nonnisi bis reflecti potest. Q. e. d.

THEOREMA XXIII.

103. Si duo Specula Plana ad angulum obtusum constituantur; idem Radius nonnisi bis reflecti potest.

DEMONSTRATIO.

Eadem prorsus est, quæ Theorema-tis præcedentis.

THEOREMA XXIV.

104. Si duo Specula Plana AB & BC jungantur ad angulum rectum & Oculus O fuerit constitutus extra rectam BL, quæ per Punctum radians D in an-gulum rectum B ducitur; Imaginem ipsius D triplicem videbit: quodsi autem extiterit in recta BL, Imagines cernet tantum duas.

DEMONSTRATIO.

Illud satis manifestum est, in quolibet Speculo per simplicem reflexionem videri Imaginem unam adeoque in duabus Speculis AB & BC simul duas. Quod vero in primo casu etiam tertia videri debeat, sic demonstratur.

I. Ducta Catheto incidentia DG, fiat $FG = DG$ & in F erigatur perpendicularis FI occurrens Speculo BC continuato in H. Fiat porro $HI = HF$ & jungatur Punctum I Oculo O recta OI; erit I Imago tertia ab Oculo O per duplicem reflexionem DEKO videnda (§. 100). Quod enim IO Speculum BC secet, hoc modo patet: ducatur recta ID secans Speculum AB in P; quoniam BG & IF ad FG perpendiculares per construct. erunt inter se parallelæ (§. 256. Geom.) & hinc $DG : DF = PG : FI$ (§. 268. Geom.), consequenter ob $DF = 2DG$ per construct. FI est ipsius PG dupla. Quare cum etiam sit IF ipsius FH seu BG dupla, per construct. Puncta P & B coincidunt. Cum adeo ID transeat per Punctum B; recta OI ultra cum ducta Speculum BC secare debet in K. *Quod erat unum.*

II. Quodsi

II. Quodsi vero Oculus fuerit in L; reflexio duplex impossibilis est, cum Radius reflexus à Speculo BC ex Puncto I ductus, per ea quæ numero primo demonstrata sunt, secare debeat BC ultra Punctum B. Tertia igitur Imago videri nequit. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XXV.

105. *Si duo vel plura Specula Plana AB & AC jungantur sub Angulo quoque, ita ut respectu Oculi secundum convexitatem disponantur; una tantum Objecti H videbitur Imago.*

DEMONSTRATIO.

Ponamus enim Oculum esse in O. Ductatur Cathetus incidentia HG, fiatque $HD = DG$; erit in G Imago, quam per Radium reflexum FO Oculus O videt (§. 96). Quoniam vero Radii non reflectuntur versus eam plagam, unde incidunt (§. 24): à Speculo altero AB nullus Radius in Oculum O reflecti potest, & hinc in eo Objectum videri nequit. Unica igitur tantum Imago videretur. *Q. e. d.*

THEOREMA XXVI.

106. *Si duo Specula Plana XY & XZ jungantur sub Angulo X; Oculus O intra Angulum constitutus, Objecti A intra eundem collocati Imaginem roties videt, quot Catheti, vi §. 100. loca Imaginum determinantes & extra Angulum YXZ terminatae duci possunt.*

DEMONSTRATIO.

Ducantur enim Catheti AC ex A ad XZ, CE ex C ad XY, FG ex E ad XZ, GI ex G ad XY & IL ex I ad XZ,

ita ut sit $AB = BC$, $CD = DE$, $EF = FG$, $GH = HI$, $IK = KL$. Quoniam Catheti AC, CE, EG & GI extra Angulum terminantur; dico ab Oculo O videri quatuor Imagines Objecti A in C, E, G & I.

Quoniam $AB = BC$, $BT = BT$ & Anguli ad B recti per construct. erit $CTB = BTA$ (§. 179. Geom.). Quare cum etiam verticales CTB & VTO aequales sint (§. 156. Geom.); erit $BTA = VTO$ (§. 87. Arithm.), adeoque Radius AT reflectitur ex T in O (§. 24), sicque Oculus O videt Imaginem Objecti A in C.

Porro ob $AB = BC$ & Angulos ad B rectos, erit etiam VR reflexus ipsius VA & ob $CD = DE$, Angulosque ad D rectos, OR reflexus incidentis VR (§. 51); consequenter Oculus O per Radium OR videt Imaginem Objecti A in E.

Nec absimili modo ostenditur, eundem Oculum O per Radium reflexum OS videre Imaginem Objecti A in G, & per Radium reflexum OQ in I.

Et quoniam demissa Catheto ex A in a factaque $ab = Aa$ eodem, quo ante modo, plures Catheti ad utrumque Speculum duci possunt, quas confusionis evitanda gratia omissimus; eadem ratione ostendi posse appetet, quod Oculus etiam videat Imagines per illas determinatas.

Tot itaque Oculus O intra Angulum constitutus Imagines videt, quot Catheti Imaginum loca determinantes & extra Angulum terminatae alternatim in Specula, vi §. 100. duci possunt. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

107. Quoniam loca Imaginis prorsus determinantur ut in Problemate 10 (§. 100.) ; distantia quoque Imaginis ab Oculo Via reflexionis æqualis est (§. 101).

COROLLARIUM II.

108. Quælibet Imago per tot reflexiones videtur, quæta est in ordine, seu per quot Cathetos determinatur. Ita Imago C videtur per unam reflexionem in T; Imago E per duplarem in V & R; Imago quarta I per quatuor in M, N, P & Q.

COROLLARIUM III.

109. Quoniam Objecti A dextra radiant in speculum XY, sinistra in alterum XZ, Imagines ex radiatione in Speculum XY ortæ Objecti partem dextram repræsentant; quæ vero ex radiatione in Speculum XZ resultant, sinistram Objecti partem spectandam exhibent. Unde si quis seipsum contuetur, faciem & tergum una videbit.

COROLLARIUM IV.

110. Quoniam plures Catheti, quæ extra angulum terminantur, duci possunt, si angulus fuerit acutior; sub acutiori angulo plures videntur Imagines ejusdem Objecti.

SCHOLION I.

111. Quoniam ex Demonstratione Theorematis præsentis abunde intelligitur, quomodo in dato quolibet casu non modo numerus Imaginum, verum etiam earum loca & Puncta insuper atque Via reflexionum determinari possint: supervacaneum fore arbitror, si ad varios casus speciales descenderem. Consultum autem videtur, ut Problemata circa casus speciales constructurus, in peculiari Schema determinet Imagines cum Punctis reflexionum & Via totius reflexionis, quæ ab irradiatione dextra oriuntur; in alio vero eas, quæ à sinistra resultant, ne Linearum multitudine faciliter pariat confusionem. Ut Experi-

menta sub quocunque angulo facile capere possis; duo Specula ita compingi habent, ut instar libri ad arbitrium aperiri atque claudi possint. Specialia prolixe persequitur ZACHARIAS TRABER (a) inter alii ostendens, ad tertiam Circuli partem Objecti Imaginem videri posse vel semel, vel bis, aut etiam ter, vel nunquam; ad quartam ad summum ter; ad quintam quinquies, ordinarie quater aut rarius; ad sextam ad summum quinquies; ad duodecimam undecies.

COROLLARIUM V.

112. Quodsi Specula Verticaliter erecta ita contrahas aut ab iis tantisper redreas, vel ad angulum accedas, donec Imagines prope angulum reflexæ coalescant, nec, si ita visum fuerit, amplius integræ compareant; Imagines monstrosas prodire debere facile apparent.

SCHOLION II.

113. Ita Specula ad angulum recto paulo majorem inclinata faciem intuenti monoculam sifunt; tres contra in eadem facie videbis Oculos, Nasos & Ora duo, si angulus fuerit paulo minor. Sub minori angulo Corpus tuum videbis biceps; sub angulo, qui recto paulo major ad distantiam 4 pedum Capite truncatum, in majori distantia Manus sine Corpore.

COROLLARIUM VI.

114. Quodsi ergo ulterius Specula ita ad se invicem inclinata, ut Imagines prope angulum coalescant, sic colloces, ut unum sit Horizonti parallelum, alterum ad eam inclinatum; quoniam in Horizontali Imagines apparent eversæ (§. 57) & in inclinato Horizontalium Verticales, Verticalium Horizontales (§. 70. 71); plurimas adhuc alias Anamorphoses fieri posse manifestum est. Immo monstræ quoque apparent necessarie est Imagines, si Speculorum unum ad Horizontem, alterum vero ad alterum inclinetur.

SCHO-

(a) In Nervo Optico, Lib. II Cap. 4. & 5. f. 90. & seqq.

SCHOLION III.

115. Ita si Speculum unum ad Horizontem sub angulo obtusiore, e. gr. 144 graduum inclinetur, superius vero fuerit ad Horizontem parallelum; videbis te capite ad pedes alterius stantis jacentem.

SCHOLION IV.

116. Hinc vero abunde patet, quomodo in Cryptis Hortensibus Specula sint collocanda, ut ingredientis Imaginem multis modis monstruosam exhibeant.

COROLLARIUM VII.

117. Quia Specula Vitrea Objecti Lucidi Imaginem bis reflectunt (§. 88), immo si crassiora fuerint, pluries; ingens videbitur Objecti multiplicatio, si intra angulum, quem duo Specula Plana intercipiunt, candela accensa collocetur.

PROBLEMA XI.

118. Machinam Catoptricam construere, qua non modo ejusdem Objecti Imago varie multiplicari, verum etiam deformati potest.

RESOLUTIO.

1. Duo Circuli AC & ND ita jungantur mediante Axe EK, per Centra utriusque transeunte, & fulcro quodam alio, ut sint invicem paralleli atque figuram Cylindri referant, cuius altitudo EK sit altitudini, Semidiameter KG vero latitudini Speculorum duorum æqualium æqualis.
2. Specula EFGK & EHIK ad Axem EK ita aptentur, ut instar libri aperiri ac claudi possint.
3. In Basi inferiori Cylindri ND descriptus sit Circulus in 360 gradus divisus, ut Specula ad angulum datum aperiri possint.

4. Lateribus Speculorum anterioribus FG & HI afferruminentur Laminæ Orichalceæ tenuiores, si Bases ABC & ND Orichalceæ fuerint, in formam superficerum Semicylindrica- rum efformatæ, aut ex Charta spissiore vel alia materia simile quid fiat, ut Machina nonnisi anterius pateat, ubi Specula constituuntur.
5. Denique in M & L defigantur clavi, aut annuli affigantur, ut Specula FG & HI commode à se invicem diduci possint.

Ope hujus Machinæ pro diversa Speculorum apertura Objectum varie multiplicari ac deformari posse, ex superioribus manifestum est (§. 106. 112. 114).

PROBLEMA XII.

119. Cistulam Catoptricam construere, quam alia Objecta replere videntur, si per aliud foramen inspexeris.

RESOLUTIO.

1. Paretur ex ligno vel alia materia Cif-
tula Polygona, figuram Prisnatis
multilateri habens, ABCDEF, &
interius spatium per Plana Diago-
naliam EB, FC & DA in Centro G
se mutuo secantia dividatur in tot
loculamenta triangularia, quot Cif-
tula habet latera.
2. Planæ Diagonalia vestiantur Speculis
Planis: in Planis vero lateralibus
fiant foramina rotunda per quæ in
Cistulæ loculamenta introspicere da-
tur. Munienda autem sunt forami-
na Vitis Planis, intus quidem de-
tritis, sed non lavigatis, ne in lo-
culamentis posita distincte distingui
possint.

Tab.
II.
Fig. 21.

n. 1.

n. 2.

3. In singulis loculamentis collocentur Objecta diversa, quorum Imagines à Speculis sunt exhibendæ.
4. Operiatur denique Cistula membrana tenui pellucida, ut Lumini in eam aditus pateat.

Quoniam Imagines Objectorum intra angulos Speculorum positorum multiplicantur & aliæ aliis remotiores apparent (§. 106) : quæ unum loculamentum occupant, majus spatum replere videntur, quam integra Cistula comprehendit. Quodsi igitur per unum foramen introspicias ; nonnisi Objecta in uno loculamento posita in Speculis conspicies, sed quasi integrum Cistulam replentia. Per aliud vero foramen introspiciens Objecta in alio loculamento posita & ab illis diversa, per constructionem, denuo quasi per Cistulam integrum diffusa videbis. Et ita porro.

SCHOLION I.

120. *Charta Pergamena, qua teguntur istiusmodi Machinæ Catoptricæ, pellucida redditur, si aliquoties in lixivio valde claro semperque mutato & ultima tandem vice in aqua fontana elevatur, clavisque Tabula lignæ aut Regulis ligneis affixa Aëri exponatur, ut rursus exsiccatur. Quodsi colorem inducere volueris, R. P. ZAHN (a) pro viridi commendat ærugininem, addito pauxillo viridis saturi, aceto contritam ; pro rubeo decoctum ligni Brasiliani ; pro cœruleo succum myrtillorum ; pro flavo decoctum ex bacis Rhamni mente Augusto collectis. Observat etiam, Membranam super Machinis expansam vernice aliquoties illini debere, ut splendida evadat. Utuntur etiam Charta oleo illita.*

(a) In Oculo artificiali fundam. 3. syntagm. 5. c. 4. technicam. 3. annot. 3. f. m. 723.

SCHOLION II.

121. *Quodsi in Cistula Imagines monstræ apparere debent ; facile id efficies per Collaria §. 6. 7. Theorem. 26 (§. 112. & seqq.)*

THEOREMA XXVII.

122. *Si duo Specula BC & DE fuerint parallela & Objectum in A, Oculus in O ; duæ videbuntur series Imaginum in infinitum excurrentes.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur KH ad speculum ED perpendicularis ; erit eadem ad CB perpendicularis (§. 230. Geom.). Fiat DF = AD, & ex F in H indeque porro in infinitum transferatur duplum intervalum distantia Speculorum BD, itemque ex A in G, & inde porro in infinitum. Similiter fiat BI = BA & ex B in K transferatur ut ante dupla distantia Speculorum BD & inde porro in infinitum, itemque ex A in L & inde porro in infinitum. Dico in Speculo ED Imaginem Objecti A visum iri in F per reflexionem simplicem, in G per duplicem, in H per triplicem & ita porro : similiterque in altero Speculo eandem apparituram in I per reflexionem simplicem, in L per duplicem, in K per triplicem, & quidem Imagines, quarum distantia determinatur ex loco Objecti A, exhibituras partem à Speculo aversam, quæ vero ex Punctis, cui Specula insistunt, D & B determinantur, referre debere partem Objecti Speculo oppositam, nempe in F & H videbuntur anteriora, in G posteriora ; contra in I & K posteriora, in L anteriora.

Quo-

Quoniam $AD = DF$ & anguli ad D recti per construct. erunt quoque o & x æquales (§. 179. Geom.), consequenter ob $x = y$ (§. 156. Geom.) $o = y$ (§. 87. Arith.). Est igitur MO reflexus incidentis AM (§. 24), adeoque Oculus per simplicem reflexionem videt Objectum A in F (§. 51) & quidem eam partem, quæ Speculo ED obvertitur, quia Radius AM inde illabitur.

Ducatur ex G ad O recta OG & ex I ad P recta IP, junganturque Puncta N & A recta NA. Quia $BA = BI$ & anguli ad B recti per constructionem; patet ut ante, NP esse reflexum incidentis NA. Et quia $AG = 2BA + 2AD$ per construct. adeoque $DG = 2BA + AD$, & $DI = AB + BI + AD = 2AB + AD$, consequenter $ID = DG$ (§. 87. Arithm.); eodem modo liquet esse OP reflexum incidentis PN. Videlur adeo Objectum A per duplum reflexionem N & P in O (§. 51) & quidem pars Speculo CB opposita, quia Radius AN inde illabitur.

Ducatur ex H ad O recta HO & ex L ad S recta LS, itemque ex R ad F recta RF, junganturque Puncta A & Q recta QA. Quia $AD = FD$ & anguli ad D recti per construct. patet ut supra, QR esse reflexum incidentis AQ. Et quia $LA = 2BD = 2BA + 2AD$, adeoque $BL = BA + 2AD$, & $BF = BA + AD + DF = BA + 2AD$, consequenter $BL = BF$; erit quoque RS reflexus incidentis QR. Similiter quia $DL = BL + BD = 2BD + AD$ & $DH = HF + FD = 2BD + AD$ per construct. adeoque $DL = DH$; erit quo-

que SO reflexus incidentis SR. Videl itaque Oculus O Objectum A per triplicem reflexionem Q, R, S in H (§. 100) & quidem partem, quam Speculo ED obvertit, quia Radius AQ inde in Speculum incidit.

Eodem prorsus modo ostenditur; quod in infinitis aliis Punctis, quæ eodem modo determinantur, in utroque Speculo Objectum A videri debeat. Q. e. d.

SCHOLION I.

123. Evidem cum per repetitas reflexiones Lumen continuo minuitur atque altitudo Speculi ad distantiam Imaginum tandem evanescat; numerus Imaginum infinitus non est: sufficit tamen, quod sit admodum ingens, ipsa Experientia teste.

COROLLARIUM I.

124. Quoniam Lumen per repetitas reflexiones minuitur, Imagines vero remotiores videntur per plures reflexiones, quam viciniores (§. 122); Imagines quoque remotiores sunt obscuriores vicinioribus.

COROLLARIUM II.

125. Quodsi Cistula construatur quadrata sub forma Parallelepipedii & Planis lateribus agglutinentur Specula Plana, reliqua fiant ut superius in Cistula Polygona (§. 119); per foramen insipienti Objectum intus constitutum per amplissimum spatium multiplicatum apparebit.

SCHOLION II.

126. Iucundum imprimis spectaculum praebent Objecta, quæ multiplicata unum continuum exhibent, e. gr. Munita, Hortos, Campos aut Silvas amplissimas; item res pretiosas, veluti Poculum deauratum, Gemmas, Automata.

SCHOLION III.

127. Poteſt quoque ex quinque Speculis Planis sub forma Cubi confirmit Machina Europaea,

que Objectum mire multiplicat, & qui Theorias hactenus demonstratas animo comprehendet, haud difficulter variarum Machinarum Catoptricarum constructiones excogitabit. Immo quia nunc etiam in Germania nostra Specula 10 pedes alta & 5 pedes lata confici possunt, integrum aliquod Conclave Speculis vestire licet: quod ob mirificas reflexiones opus erit vere augustum.

COROLLARIUM III.

128. Quia Imago F exhibet Objecti A partem Speculo ED oppositam, Imago vero G alteram ab eodem aversam; si tergum Speculo BC obvertas alterumque Speculum ED, quod manu tenes, ita à latere illi obvertas, ut sit eidem parallelum; faciem & tergum in Speculo ED una videbis.

SCHOLION.

129. Quoniam Objectorum quoad utramque superficiem, anteriorem & posteriorem, reflexio etiam contingit, si Speculum unum ad alterum fuerit inclinatum; faciem & tergum simul in eodem Speculo visurus uti potest Speculis, quorum alterum ad Horizontem inclinatur sub Angulo acuto, alterum vero ad id rectum. Sed cum bujus rei Demonstratio eodem prorsus modo fiat, quo buc usque alia similia demonstrata dedimus; eidem non immorabor.

THEOREMA XXIX.

Tab. II. 130. Si plura Specula BC, CD, DE Fig. 23. & EA super Peripheria alicujus Polygoni regularis erigantur, & ex medio F lateris AB incidat radius FG in medium G lateris BC; idem ab omnibus Punctis mediis H, I, K laterum reliquorum CD, DE, EA reflexus redibit in F, Viaque reflexionis FGHIKF est Polygonum regulare alteri ABCDEA simile.

DEMONSTRATIO.

Quoniam BG = GC per hypoth. & $\rho = x$. (§. 24); atque B = C (§. 104.

Geom.); erit $\triangle HCG$ simile & æquale $\triangle GBF$ (§. 251. Geom.). Sed FBG est triangulum æquicrurum per hypoth. Ergo etiam HCG est triangulum æquicrurum, consequenter $GC = HC$ (§. 89. Geom.) & $y = x$ (§. 184. Geom.). Radius ergo FG ex G reflectitur in H punctum medium ipsius DC. Eodem prorsus modo ostenditur, GH ex H in I reflecti debere & ita porro. *Quod erat unum.*

Porro quia $\triangle HCG$ & $\triangle GBF$ æqualia & similia, per demonstr. adeoque sibi mutuo congruunt (§. 162. Geom.); erit $FG = GH$ (§. 177. Geom.) & eodem modo constat esse etiam $GH = HI = IK = KF$. Via igitur reflexionis est Figura, cujus latera singula sunt inter se æqualia & numero totidem, quot Figura ABCDEA habet latera. Quoniam vero $u + x + y = 180^\circ$ (§. 240. Geom.) & $m + x + o = 180^\circ$ (§. 148. Geom.), sed $o = y$ per demonstr. etiam $u = m$ (§. 91. Arithm.). Quare cum eodem modo ostendatur, Angulos reliquos Viæ reflexionis esse Angulis D, E, A æquales; Via reflexionis FGHIKF est Polygonum alteri ABCDEA simile (§. 175. Geom.). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

131. Quodsi Objectum in quocunque Puncto Viæ reflexionis collocetur; videbitur ab Oculo F in Speculo AE.

COROLLARIUM II.

132. Patet igitur, quomodo effici possit, ut muro aut quocunque Objecto alio inter Oculum & Objectum in Speculo spectandum interposito, idem videatur per reflexionem.

COROLLARIUM III.

133. Si Oculus fuerit in F, videbit se ipsum per tot reflexiones, quot sunt latera Polygoni, demto uno, in Speculo AE.

PROBLEMA XIII.

I. 134. Efficere, ut Objectum positione datum videas in Speculo ab Oculo distare intervallo, quod sit multiplum desideratum distantiae ab Oculo extra Speculum.

RESOLUTIO.

Sit e. gr. Objectum G distans ab Oculo F intervallo duorum pedum: queritur quot Speculis opus sit & quomodo collocanda sint, ut Oculus F videat ejus Imaginem 8 pedum intervallo distantem.

1. Exponens rationis distantiae Objecti ab Oculo ad distantiam Imaginis 4 augatur unitate.

2. Construatur super distantia Objecti ab Oculo FG Polygonum regulare tot angulorum, quot numerus modo inventus habet unitates, nempe in nostro casu Pentagonum FGHIK.

3. Circa hoc Pentagonum describatur aliud ABCDE.

4. Collocentur Specula in H, I & K. Dico, Objectum G visum iri ab Oculo F in Speculo AE distans intervallo 8 pedum.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Radius GH ex H in I, ex I in K, ex K tandem in F reflectitur (§. 130); Objectum G per Radium FK ab Oculo F videbitur in Speculo AE (§. 131). Et quia Via reflexionis GH + HI + IK + KF aequatur distantiae

Imaginis ab Oculo (§. 101); erit ea ad distantiam Objecti ab Oculo FG, ut numerus angulorum Polygoni regularis FGHIK unitate mulctatus ad unitatem adeoque in dicta ratione. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

135. Quodsi ergo desideres, ut Speculum Planum intuens Imaginem tuam post id distare videas intervallo desiderato; intervallum istud dividendum est in partes quotcunque æquales, e. gr. in quinque & super uno FG construendum Polygonum regulare tot laterum, quot intervallo assignavisti partes, nempe in nostro casu Pentagonum. Reliqua fiunt ut in resolutione Problematis.

COROLLARIUM II.

136. Construi potest Cistula Catoptrica; in quam introspiciens videat Objectum ad desideratam distantiam remotum.

PROBLEMA XIV.

137. Cistulam Catoptricam construere, in quam introspicienti Objecta intus collocata appareant mirè multiplicata. & per vasta spatia diffusa.

RESOLUTIO.

1. Construatur Cistula Polygona, prorsus ut in Problemate 12 (§. 119), nisi quod interior Cavitas in nulla loculamenta dividenda.

2. Plana lateralia CBHI, BHIA, ALME, &c. vestiantur Speculis Planis & ad foramina abradatur Stannum cum Argento vivo ut introspicere liceat.

3. In fundo MI collocentur Objecta quæcunque, e. gr. Avicula caveæ inclusa, que huc illucque volitans. suaviter moduletur.

Tab. II.
Fig. 21.

Dico.

Dico per foramen *hi* introsipienti Objectum quodcunque in fundo collatum multiplicatum & inæqualibus ab Oculo intervallis remotum visum iri.

DEMONSTRATIO.

Quodsi per Problema 10 (§. 100) ex dato Oculi & Objecti situ in figura Polygona, qualis est Basis Cistulæ, loca Imaginum Viamque reflexionis pro una qualibet determines; omnia statim manifesta erunt: ut supervacaneum foret, Demonstrationem superius jam sèpius repetitam denuo repetere.

SCHOLION. I.

138. Quodsi Conclave aliquod Principis figura multangulari construatur & parietes Speculis majoribus vestiantur, super quibus Vitra plana pellucida aptentur, ut Lux intrare possit; eadem via, antequam construatur, Phænomena ejus addiscere ac prædicere licet.

SCHOLION. II.

139. Quia Specula parallelæ omnium maxime multiplicant Objecta (§. 130); huic scopo tale Polygonum omnium maxime conuenit, quod Planis terminatur parallelis, quale est Prismæ sexangulare. Quamobrem ut sint parallela, ad libellam & normam parietibus sunt affigenda (§. 492. Geom.): Quoniam vero Specula plana Objectum referunt tale, quale est (§. 60); Speculorum quoque superficies exactam habere debet planitatem. Si enim à planitie recedit, figuram ejus deformat: id quod etsi in unica reflexione parum nocet, iteraris tamen reflexionibus vitium formæ conspicuum efficit. Speculum quoque affixum esse debet janua clausæ ut nullibi terminetur visus intra Conclave stantis. Tectum tamen Speculis vestiendum non est (§. 95): præstat Tornicem cavum picturis exornari. Fenestram loco sint aperture oblongæ, vitris planis munitæ, qualis est in Cistula Catoptrica hi. Noctu si illuminetur Conclave Candelabro in medio suspenso & pluribus Candelis instructo, magnifica prodeunt spectacula.

CAPUT III.

De Speculis Convexus Sphæricis.

PROBLEMA XV.

140. Specula Vitrea Convexa confondere.

RESOLUTIO.

1. Stanni pars una & Marchasitæ itidem pars una liquefiantur & massæ liquefactæ addantur Mercurii partes duæ.
2. Quamprimum Mercurius (quod statim accidit) in fumum abire parat; materia tota in aquam fontanam præcipitetur &, ubi frigefacta fuerit, aqua decantetur.

3. Tum massa per linteum triplicatum aut duplicatum urgeatur, &
4. Quod hac ratione à reliqua secernitur in Sphæræ Vitreæ cavitatem infundatur.
5. Sphæra denique circa Axem suum lente vertatur, donec integra Superficies obducta fuerit. Reliquum effusum in futuros usus servatur.

COROLLARIUM I.

141. Quodsi Sphæræ fuerint coloratae; Specula colorata habebis.

COROLLARIUM II.

142. Eodem artificio Specula Conica & Cylindrica, itemque Prismatica Pyramida-
lia formari posse, manifestum est.

SCHOOLION.

143. Quomodo ex Metallo Specula istius-
modi fiant, docemus in Capite 4. De Speculis
concavis.

THEOREMA XXX.

144. In omni Speculo sive Plano, sive
Curvo quomodocunque, Cathetus obliquationis FC efficit inclinationem Radii in-
cidentis & reflexi DCF & FCE aqua-
lem.

DEMONSTRATIO.

Sit Speculum AB Planum. Quoniam
FC ad AB perpendicularis (§. 18);
erit $\alpha + \gamma = u + x$ (§. 145. Geom.). Sed
 $\alpha = x$ (§. 24). Ergo $\gamma = u$ (§. 91. Arith.).
Quod erat unum.

Sit Speculum HCI Curvum, sive
Convexum, sive Concavum. Quoniam
Punctum contactus C est in recta AB;
Reflexio eodem modo fieri debet tum
in Convexa, tum in Concava superfi-
cie, ac si in Plana AB contingeret. Sed
si à Speculo Plano AB reflectitur, y & u
sunt æquales per demonstr. Ergo æqua-
les etiam sunt, si Reflexio fit in Speculo
Convexo, aut Concavo. Quoniam
vero recta FC ad Tangentem perpen-
dicularis etiam ad Curvam normalis cen-
setur; FC est Cathetus obliquationis
Speculi Curvi tum Convexi, tum Con-
cavi (§. 18). In utroque igitur efficit
inclinationem incidentis & reflexi y & u
æqualem. Quod erat alterum.

COROLLARIUM.

145. Quoniam perpendicularis ad Peri-
pheriam Circuli per Centrum transit (§.
308. Geom.); in Speculo Sphærico sive Cavo,
sive Convexo Radius reflexus CE inciden-
ti DC assignari potest, si ducta ex Centro
L per Punctum incidentia C recta LCF an-
gulus FCE æqualis fiat ipsi FCD (§. 208.
Geom.).

THEOREMA XXXI.

146. In omni Speculo Sphærico Cathe-
ti incidentia DR, obliquationis FC &
reflexionis ES per Centrum L tran-
seunt.

DEMONSTRATIO.

Perpendicularis enim ad Peripheriam
Circuli per Centrum L transit (§. 308.
Geom.). Sed Catheti incidentia, obli-
quationis & reflexionis sunt ad eam per-
pendiculares (§. 16. 17. 18). Transeunt
itaque per Centrum L. Q.e.d.

COROLLARIUM.

147. Catheti adeo incidentia DR, obli-
quationis FC & reflexionis ES in Centro
L concurrunt.

THEOREMA XXXII.

148. In Speculo Sphærico Convexo HCI
Radius reflexus EM concurrit cum Ca-
thetho incidentia DL, & Radius incidens
DN cum Cathetho reflexionis EL inter-
Tangentem AB & Centrum L.

DEMONSTRATIO.

Cathethi incidentia, obliquationis &
reflexionis sunt in Plano reflexionis (§. 39)
adeoque in Plano, quod in Puncto in-
cidentia C Speculum tangit (§. 38).
Tangens AC cum Cathetho obliquationis
FC rectum efficit (§. 308. Geom. &
§. 146. Catoptr.), reflexus vero EC seu

Tab:
III.
Fig. 24.

Tab. CM acutum \angle , adeoque inter Tangentem AC & Cathetum obliquationis CL III. tem AC & Cathetus obliquationis CL Fig 24. cadit. Quare cum Cathetus obliquationis CL & Cathetus incidentia DL in Centro L concurrant (§. 147); Radius reflexus EM inter Tangentem & Centrum Cathetum incidentia DL secare debet. Eodem modo ostenditur, Radius incidentem DN inter Tangentem & Centrum cum Catheto reflexionis concurrere debere. Q. e. d.

THEOREMA XXXIII.

149. In Speculis Sphaericis Angulus reflexionis mixtilineus ECS æqualis est Angulo incidentia mixtilineo DCR.

DEMONSTRATIO.

Ducatur recta AB arcum HCI tangens in C: erit ACD = ECB (§. 24). Concipiamus arcus RC & CS infinite parvos eosque æquales: erunt triangula PCR & QCS rectilinea æqualiumque arcuum Tangentes PC & QC, ite inque secantes PL & QL æquales (§. 12. 26. Trig.); consequenter ob RL = SL (§. 40. Geom.) PR = QS (§. 91. Arithm.). Ergo angulus PCR = QCS (§. 204. Geom.); consequenter DCR = ECS (§. 88. Arithm.). In Speculis adeo Sphaericis Convexis Angulus reflexionis mixtilineus &c. Quod erat unum.

Porro quoniam ACM = BCN (§. 24) & PCR = QCS per demonstrata: erit etiam SCN = RCM (§. 91. Arithm.). In Speculis itaque Sphaericis Concavis Angulus reflexionis mixtilineus &c. Quod erat alierum.

THEOREMA XXXIV.

150. Adversis Speculi Convexi Spha-

rici AB Punctis F & E non reflectuntur in idem Punctum D Radii ab eodem Puncto G illapsi.

DEMONSTRATIO.

Ducatur recta FEH per Puncta F & E; erit DEH > DFH (§. 88. Geom.); adeoque multo magis DEB > DFE. Quare cum sit GEF = DEB (§. 149); erit quoque GEF > DFE (§. 89. Arithm.). Non absimili modo ostenditur, esse DFE > GEF: quod cum sit absurdum, à Speculi Sphaerici Convexi AB Punctis diversis F & E in idem Punctum D Radii ab eodem Puncto G illapsi reflecti nequeunt. Q. e. d.

THEOREMA XXXV.

151. Si Oculi G & H fuerint in diversis Planis; Objecti Imago videtur in concurso Cathetii incidentia AF & Radii reflexi GC vel HC.

DEMONSTRATIO.

Imago Objecti videtur, ubi Radii reflexi ad utrumque Oculum GC & HC concurrunt (§. 344. 345 Opic.). Quoniam vero Radii HE & GD à diversis Planis reflectuntur per hypoth. Punctum concursus esse debet in communis sectione Planorum. Cum itaque communis sectio sit Cathetus incidentia (§. 147); Punctum concursus est in Catheto incidentia, adeoque Imago videtur in concurso Cathetii incidentia & Radii reflexi. Q. e. d.

SCHOOLON.

152. Quoniam ordinarie Puncti D & E, à quibus in utrumque Oculum vel ejusdem Oculi diversis Pupille partes Radii DG & EH reflectuntur, in diversis Planis existunt; ideo tuto assumere licet, locum Imaginis in Specie-

Speculis Sphæricis Convexis esse in Catheto incidentiæ, ad demonstranda Phænomena eorumdem. Hoc adeo Principio utentes constanter supponemus Oculos esse in diversis Planis reflexionis. Ubi vero esse debeat locus Imaginis, si extraordinarie Oculi in eodem Plano existunt, deinceps disquiremus.

THEOREMA XXXVI.

153. In Speculis Sphæricis Convexis una tantum videtur unius Puncti Imago.

DEMONSTRATIO.

Imago videtur in concursu Radii reflexi GC & Catheti incidentiæ AC (§. 151). Radiorum vero ab uno Puncto A in Speculum Sphæricum Convexum incidentium nonnisi unus AD ad idem Punctum G reflecti potest (§. 150). Ergo Imago nonnisi unica videtur. Q. e. d.

THEOREMA XXXVII.

154. In Speculo Sphærico Convexo Imago Puncti radiantis appetet inter Centrum & Tangentem.

DEMONSTRATIO.

Apparet enim in concursu Radii reflexi & Catheti incidentiæ (§. 151). Sed Radius reflexus cum Catheto incidentiæ inter Centrum & Tangentem concurrit (§. 184). Ergo inter Centrum & Tangentem Imago appetet. Q. e. d.

COROLLARIUM.

155. Catheti ergo AB quantumvis magna Imago est portio Radii BC.

PROBLEMA XV.

156. Data distantia Puncti reflexionis à Catheto, seu Arcu CR, una cum Angulo incidentiæ o & Speculi Sphærici Convexi semidiametro CL; invenire distantiam Imaginis à Centro LM, item-

que à superficie Speculi MR & à Tangente MP.

RESOLUTIO.

Ob datum Arcum RC angulus MLC datur (§. 57. Geom.). Et quia Angulus incidentiæ o datur, inclinatio quoque incidentis y tanquam ejus complementum ad rectum, adeoque inclinatio reflexionis u (§. 144), & hinc verticalis u (§. 156. Geom.) datur. Quare cum etiam detur Radius CL per hypoth. invenietur LM (§. 36. Trigon.).

Sit e. gr. CL = 6 digitorum, RC = 30°, o = 55°; erit u = 35°, CML = 115°, adeoque

Log. Sin. CML	99572757
Log. CL	07781513
Log. Sin. MCL	97585913
	105367426

Log. ML = 05794669,
cui in Tabulis respondent 3" 8".

Quodsi ML à Radio LR subtrahatur, distantia imaginis à Peripheria MR relinquitur.

E. gr. quia in nostro exemplo LR = 6"
& LM = 3" 8"; erit MR = 2" 2".

Si denique MP desideretur, ex datis in Triangulo PLC ad C rectangulo angulo L & latere CL invenitur PL (§. 36. Trigon.), & inde subtrahitur ML paulo ante inventa.

Log. Sin. P.	99375306
Log. CL	07781513
Log. Sin. tot.	100000000
Log. PL	0.8406207,
cui in Tabulis quam proxime respondent 6" 9". Inde si subducas ML = 3" 8"; prodibit MP = 3" 1".	

THEOREMA XXXVIII.

Tab. III. 157. In Speculo Sphærico Convexo est Cathetus incidentia DL ad distantiam Objecti à Tangente ad Punctum reflexionis C ducta DP, ut distantia Imaginis à Centro LM ad distantiam Imaginis à Tangente MP.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $o = x$ (§. 24) & $x = m$ (§. 156. Geom.); erit etiam $o = m$ (§. 87. Arithm.), consequenter $DP : PM = DC : CM$ (§. 269. Geom.). Ducatur DF ipsi CM parallela. Erit $u = p$ (§. 233. Geom.) adeoque ob $u = y$ (§. 144), $p = y$ (§. 87. Arithm.), consequenter $DF = DC$ (§. 253. Geom.). Quamobrem cum sit $DF : DC : MC = DL : ML$ (§. 268. Geom.); erit $DL : ML = DP : PM$ (§. 167. Arithm.), tandemque $DL : DP = ML : PM$ (§. 173. Arithm.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

158. Quoniam $DL > DP$ (§. 84. Arithm.), etiam $ML > PM$, adeoque multo magis $ML > RM$. Est igitur distantia Imaginis à Centro major, distantia vero à Tangente minor dimidia semidiametri, vel quarta Diametri parte.

COROLLARIUM II.

159. Imago igitur Tangenti AB quam Centro L vicinior.

COROLLARIUM III.

160. Quia $DL : ML = DP : PM$ (§. 157) & $DL > ML$ (§. 84. Arithm.), etiam $DP > PM$. Major ergo est Objecti, quam Imaginis à Tangente distantia

COROLLARIUM IV.

161. Unde cum multo magis sit $DR > RM$; Objectum D a Speculo magis distat quam Imago M.

THEOREMA XXXIX.

162. In Speculo Sphærico Convexo distantia Imaginis PM à Tangente AB minor est distantia ejusdem à Puncto reflexionis C.

DEMONSTRATIO.

Est enim $m = x$ (§. 156. Geom.) & $o = x$ (§. 24), adeoque $m = o$ (§. 87. Arithm.). Sed $r > o$ (§. 188. Geom.); ergo $r = m$ (§. 89. Arithm.), consequenter $MC > PM$ seu $PM < MC$ (§. 189. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

163. Multo magis itaque RM distantia Imaginis à Puncto, in quo Cathetus incidentia Speculum secat, minor est MC distantia ejusdem à Puncto reflexionis.

THEOREMA XL.

164. Imago M in Speculo Convexo Sphærico à Centro L magis distat, quam à Puncto reflexionis C.

DEMONSTRATIO.

Quia ACL rectus (§. 308. Geom.) adeoque DCL obtusus (§. 66. Geom.); erit $DL > DC$ (§. 223. Geom.). Quare cum supra demonstratum (§. 157), ducta DF ipsi MC parallela esse $DF = DC$, sitque $LM : MC = LD : DF$ (§. 268. Geom.); ob LD , per demonstrata $> DF = DC$ (§. 89. Arithm.), $LM > MC$. Q. e. d.

THEOREMA XLI.

165. Si Arcus BD inter Punctum incidentia D & Cathetum AB, seu Angulus C ad Centrum Speculi Sphaericæ Convexi à Catheto incidentia AC & Catheto obliquationis FC interceptus fuerit duplus Anguli incidentia; Imago B erit in superficie Speculi.

DEMONSTRATIO.

Quonium $y = x$ (§. 156. Geom.) & u duplo Angulo incidentiæ, hoc est, Angulis incidentiæ & reflexionis junc-tim sumtis (§. 24) æqualis per hypoth. duplus vero Angulus y cum duplo re-flexionis Angulo sit duobus rectis æqua-lis (§. 147. Geom.) erit $z = x$ (§. 239. Geom.). Cum adeo sit $BC = CD$ (§. 253. Geom.); Punctum B in superficie Speculi existit (§. 471. Geom.). Q. e. d.

THEOREMA XLII.

166. Si Arcus BD inter Punctum incidentia D & Cathetum AB interceptus, seu Angulus C ad Centrum Speculi Spherici Convexi à Catheto incidentiæ AC & Catheto obliquationis FC interceptus, fuerit major duplo Anguli incidentiæ; Imago G erit extra Speculum.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Angulus incidentiæ æqua-lis Angulo reflexionis (§. 24), adeoque duplus Angulus y cum duplo Angulo incidentiæ duobus rectis æqualis (§. 147. Geom.); erunt Anguli C, x & z simul sumti duplo Angulo y sive x (§. 156. Geom.) una cum duplo Anguli incidentiæ æquales (§. 240. Geom.). Est vero Angulus C major duplo Angulo incidentiæ per hypoth. Ergo $x + z$ minor $2x$, consequenter z minor quam x (§. 92. Arithm.) seu $x > z$. Est igitur GC $>$ DC (§. 188. Geom.). Cadit ergo Punctum G extra Sphærām (§. 471. Geom.). Q. e. d.

THEOREMA XLIII.

167. Si Arcus RC inter Punctum incidentia C & Cathetum incidentiæ DR

interceptus, seu Angulus L ad Centrum Speculi Spherici Convexi à Catheto incidentiæ DL & Catheto obliquationis FL interceptus, fuerit minor duplo Anguli incidentiæ; Imago M intra Speculum ap-paret.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Anguli $o, x, y, \& u$ simul (§. 147. Geom.) & $n, i \& n$ simul itidem duobus rectis æquales sunt (§. 240. Geom.); erit $o + x + y + u = u + i + n$ (§. 87. Geom.). Sunt vero Anguli verti-ciales u æquales (§. 156. Geom.) & $x = o$ (§. 24). Ergo $2o + y = i + n$ (§. 91. Geom.). Jam vero $n < 2o$ per hypoth. Ergo $i > y > u$ (§. 144); consequenter CL $>$ ML (§. 188 Geom.). Cadit ergo Punctum M intra Sphærām (§. 471. Geom. Q. e. d.

SCHOOLION.

168. En itaque Regulas, juxta quas dis-tinguere semper licet, utrum Imago intra Speculum, an in superficie ejus aut prorsus extra id comparere debeat, quæ in Catoptri-ca habentus desiderata fuerunt. Ceterum cum Radius reflexus admodum obliquus sit, si Imago extra Speculum apparere debet, ita ut R.P. DECHALES (a) fateatur se vix unquam Objec-ti Imaginem extra Speculum spectare potuisse, adeoque vix quicquam certi statui posse con-cludat; ego jam in Elementis Catoptricæ Ger-manicis tale proposui Experimentum, quo Objeci Imaginem extra Sphærām esse clarissime agnoscitur. Filum argenteum nitore suo se commendans & instar normæ inflexum AB C ita Speculo objeci, ut crux AB esset ad ejus superficiem valde obliquum. Oculus ex oppo-to constitutus contactum Imaginis & filii BA clarissime conspexit, utut filum BA Speculum

R 3

n n

Tab.
III.
Fig.
24.

Tab.
III.
Fig.
29.

(a) Catoptr. Lib. II. Prop. 18. f. 602. Tom. 3. Mundi Mathematici.

non attingeret. Cumque Imago & filum unum continuum constituant, moto filo movetur filum & Imago instar unius rectæ.

THEOREMA XLIV.

Tab. III. Fig. 30. *In Speculo Sphaerico Convexo Punctum remotius A reflectitur à Puncto Oculo O vicinore, quam vicinus quodlibet B in eadem Catheto incidentia AC existens.*

DEMONSTRATIO.

Ponamus enim, si fieri potest, Punctum vicinus B reflecti in Oculum O à Puncto remotiori Speculi H quam Punctum remotius Catheti A. Quoniam AH secat BE in I, Punctum I & per Radium OH ex H & per Radium OE ex E ad Oculum O reflectetur. Quod cum sit absurdum (§. 150), Punctum Catheti remotius A à Puncto Speculi remotiore H in Oculum O reflecti nequit. *Q.e.d.*

COROLLARIUM.

170. Quodsi adeo Punctum Objecti A à Puncto Speculi F & Punctum Objecti B à Puncto Speculi E reflectitur; omnia Puncta intermedia inter A & B à Punctis Speculi intermediis inter F & E reflectentur: eritque adeo FE tota Linea reflectens rectam AB.

THEOREMA XLV.

Tab. III. Fig. 31. *Punctum vicinus B, quod cum remotiori H in eadem Catheto non existit, à viciniori Puncto Speculi D reflectitur in Oculum O, quam remotius H.*

DEMONSTRATIO.

Ponamus si fieri potest, Punctum remotius H reflecti à Puncto vicinore K quam vicinus B. Quoniam HK secat incidentem BD in I; Punctum I &

à Puncto Speculi D per Radium DO, & à Puncto K per Radium KO ad idem Punctum O reflectetur. Quod cum sit absurdum (§. 150); Punctum remotius H à Puncto vicinore K reflecti nequit. *Q.e.d.*

COROLLARIUM I.

172. Quodsi ergo Punctum Objecti A à Puncto Speculi C & Punctum Objecti B à Puncto Speculi D in idem Punctum O reflectuntur; omnia Puncta intermedia inter A & B à Punctis intermediis C & D reflectuntur.

COROLLARIUM II.

173. Objecti igitur BA Imago FG intra Cathetos BE & AE continetur.

THEOREMA XLVI.

174. *In Speculo Sphaerico Convexo Punctum vicinus Catheti B majori intervallo à Centro C distare videtur quam remotius A.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam Punctum remotius A à Puncto F Catheto Oculi OC vicinore, vicinus autem B à remotiore E reflectitur (§. 169); Radius reflexus OF Centro C vicinior est quam OE, adeoque Cathetum incidentia AC in minori à Centro C distantia secat quam OE. Quare cum quodlibet Catheti Punctum A vel B videatur in concursu Radii reflexi Oa vel Ob cum Catheto incidentia AC (§. 151): Punctum A in minori distantia à Centro C videtur quam Punctum B. *Q.e.d.*

THEOREMA XLVII.

175. *In Speculo Sphaerico Convexo Imago minor est Objecto.*

THEO-

DEMONSTRATIO.

Reflectatur Punctum A per Radium EO & Punctum B per Radium DO in Oculum O à Speculo Sphærico Convexo. Ducatur per Puncta reflexionis E & D recta FI; quæ repræsentet Speculum Planum. Dico à Punctis E & D Speculi Plani non posse reflecti eadem Puncta Objecti A & B in Oculum. Tangat KN Speculum in Puncto reflexionis E. Quoniam AEK = OEN (§.24); AEF < OEN (§.89. *Arithm.*), adeoque multo magis < OED; consequenter OE non est reflexus incidentis AE in Speculum Planum FI (§. cit.). Porro AEF > AMF & OMD > OEM (§.188. *Geom.*), atque AEF = OEM (§.24): ergo OEM > AMF (§. 89. *Arithm.*), & hinc multo magis OMD > AMF; consequenter OM non est reflexus incidentis A in Speculum Planum. Punctum itaque G, unde A in O à Speculo Plano FI reflectitur, cadit extra rectam ED. Quare cum eodem modo ostendatur, Punctum quoque H, unde B in O reflectitur, extra eandem rectam ED cadere; Objectum AB in Speculo Sphærico sub minore angulo EOD videtur quam in Plano, in quo sub angulo GOH conspicitur: unde minus in Sphærico, quam in Plano apparere debet (§. 209. *Optic.*); sed in Speculo Plano Imago Objecto aequalis (§. 60). Ergo in Convexo eodem minor. Q.e.d.

COROLLARIUM.

176 Speculorum adeo Convexorum usus est in Arte Pictoria, si Imago Objecto minor delineanda.

SCHOLION.

177. Falluntur itaque nonnulli Veterum afferentes, in Speculo Sphærico diebus canicularibus sub Aquis demerso videri Sirium. Solis enim, non Sirii Imago est, quæ apparet: nec tantum diebus canicularibus, sed omni tempore reliquo idem Phænomenon spectatur.

THEOREMA XLVIII.

178. Imago Objecti remotioris minor est quam vicinioris in Speculo Convexo Sphærico.

DEMONSTRATIO.

Sit Objectum AB = ab, & in C Centrum Speculi: erunt AC & BC Punctorum A & B, aC & bC Punctorum a & b Catheti incidentia (§.16) & angulus ACB < acb. Quare cum Imago intra Cathetus AC & CB continetur (§. 173) & præterea remotiora à Speculo Centro C propiora spectentur (§.174); Imago remotioris AB minus spatium occupat, quam vicinioris ab: illa igitur hac minor videtur. Q.e.d.

COROLLARIUM.

179. Accidentis itaque ad Speculum Convexum Imago fit major, recedentis vero minor.

THEOREMA XLIX.

180. In Speculis Convexus minoribus Imago minor est quam in Speculis majoribus.

DEMONSTRATIO.

Sit C commune Centrum Speculorum EF, GH. Quoniam Imago in utroque Speculo intra Cathetus AC & BC continetur (§. 173), & inter Centrum atque Tangentem apparet (§. 154) in Speculo minori t F Centro C erit propior quam in Speculo GH, adeoque in illo

Tab.
III.
Fig.
33.

Tab.
III.
Fig.
34.

illo minor, in hoc major. *Q.e.d.*

THEOREMA L.

181. *In Speculo Sphærico Convexo sinistra apparent dextra & dextra sinistra.*

DEMONSTRATIO.

Punctum enim B videtur in Catheto BE & Punctum A in Catheto AE (§. 151). Dextra igitur dextris, sinistra sinistris respondent. Sed in Visione directa adspectabilis dextra tuæ sinistræ & sinistra dextræ respondent, adeoque in Speculo sinistra apparent dextra, dextra vero videntur sinistra. *Q.e.d.*

THEOREMA LI.

182. *Magnitudines ad Speculum Sphæricum perpendicularares videntur eversæ.*

DEMONSTRATIO.

Punctum enim à Speculo remotius A videtur Centro proprius in a & Punctum Speculo vicinus B à Centro remotius apparet in b (§. 147). Extrema igitur B & b sibi mutuo opponuntur, adeoque Imago ab magnitudinis ad Speculum perpendiculararis AB eversa apparet. *Q.e.d.*

THEOREMA LII.

183. *Lineæ rectæ ad Speculum Convexus Sphæricum perpendiculararis Imago est Linea recta; Lineæ vero ad Speculum obliquæ vel eidem parallelæ Imago est Convexa.*

DEMONSTRATIO.

Si Linea AB ad Speculum perpendicularis; in Catheto incidentiaæ BC erit (§. 16). Sed quodlibet ejus Punctum in Catheto videtur (§. 151). Ergo Imago

go ejus ab est Linea recta. *Quod erat unum.*

Si Linea AB ad Speculum GH vel parallela, vel obliqua; demissa ex C perpendiculari CD, erit $CB > CD$ (§. 220. *Geom.*) adeoque cum sit $CH = CI$ (§. 40. *Geom.*) $BH > DI$ (§. 92. *Arihm.*). Punctum igitur B Centro C proprius videtur quam D (§. 174), consequenter Linea AB convexa apparabit. *Quod erat alterum.*

THEOREMA LIII.

184. *In Speculo Sphærico Convexo ab eodem Oculo nonnisi una unius Objecti Imago videri potest.*

DEMONSTRATIO.

Videat Oculus O, si fieri potest, duas Imagines, alteram quidem per Radium reflexum OA, alteram per reflexum OB. Ergo idem Punctum Objecti à diversis Speculi Punctis B & A reflectetur ad idem Punctum O: Quod cum sit absurdum (§. 150), Imagines ejusdem Objecti plures in Speculo Convexo Sphærico idem Oculus videre nequit. *Q.e.d.*

THEOREMA LIV.

185. *Si plures Radii reflexi DB, EC &c. fuerint in eodem Plano; remotior EC Catheto incidentia cum eadem in majore distantia à Centro L concurrit, vicinior DB in minore.*

DEMONSTRATIO.

Concurrat uterque in eodem Puncto G, si fieri potest. Ducantur ad Puncta reflexionis B & C Tangentes BK & CI: erit $AK > AI$. Quoniam $AL : GL = AK : KG$ (§. 157. *Catopt. & §. 173. Arihm.*) si Radius CE itidem in G

cum

cum Catheto AL concurrit; erit etiam $AL:GL=AI:IG$ (§.§.cit.). Est vero $AK>AI$: ergo & $KG>IG$, seu pars major toto. *Quod absurdum.*

Concurrat Radius EC, si fieri potest, infra G in N cum Catheto AL. Quoniam $AL:GL=AK:KG$ & $AL:LN=AI:IN$ (§.157), sitque $GL>NL$ per hypoth. erit $AL:GL<AL:LN$ (§.205. Arithm.), & hinc $AK:KG<AI:IN$ (§.89. Arithm.). Sed cum sit $AK>AI$, erit $AK:KG>AI:KG$ (§.203. Arithm.) & ob $KG<IN$ erit $AI:KG>AI:IN$ (§.205. Arithm.), consequenter multo magis $AK:KG>AI:IN$. Habet igitur AK ad KG & minorem & majorem rationem quam AI ad IN. *Quod denuo absurdum.*

Quoniam itaque Radius EC nec in G, nec infra G eum Cathetō AL concurrit; supra G cum eadem concurrere debet, hoc est, in majore à Centro distantia quam vicinior DB. *Q.e.d.*

COROLLARIUM.

186. Qui ergo Punctum A in Speculo Convexo Sphærico per Radium remotiorē EC videt, ei Imago in majore à Centro distantia FL apparēt, quam qui idem per Radium viciniorē DB cernit (§.151).

SCHOLION.

187. *Hinc quo magis Oculus à Catheto incidentia versus dextram aut sinistram recedit, Puncto A immoto, eo magis à Centro L recedit & ad superficiem accedit, immotādem eandem egreditur Imago: quod facile experiri datur.*

THEOREMA LV.

188. *Si duo Oculi D & E fuerint in eodem Plano, Imago ante Cathetum incidentia AL in H apparēt.*

Tab.
IV.
Fig.
36.

DEMONSTRATIO.

Ibi enim videtur, ubi Radii EC & DB à Speculo in Oculum reflexi concurrunt (§. 346. 347. Optic.). Sed quia EC Cathetum AL in majore à Centro distantia FL secant, DB vero in minore GL (§.185), erit Radius DG in Catheto infra Radium EF, cum extra Speculum supra eundem existeret, adeoque DG & EL ante Cathetum se necessario secant in H. (§. 50. Geom.) Imago igitur in H ante Cathetum apparēt. *Q.e.d.*

SCHOLION.

189. *Atque hic est casus ille rarius, de quo non valent, quæ superius demonstrata sunt ex loco Imaginis in Catheto supposito.*

PROBLEMA XVII.

190. *Specula Convexa ita collocare, ut per multipliçem Reflexionem videatur adspectabile.*

RESOLUTIO.

1. Speculis Planis quomodoçunque dispositis inveniantur Puncta reflexionis in singulis (§.100).
2. Specula Convexa ita collocentur ut Plana tangent in Punctis reflexionum & Plana removeantur.

Quoniam enim tum perinde à Convexus reflectuntur, ac si à Planis reflecterentur per multipliçem Reflexionem in Speculis Convexis factam Adspectabile videbitur.

THEOREMA LVI.

Tab. 191. *Radii à Speculo Sphærico Convexo reflexi magis divergunt, quam si à Plano reflecterentur.*

DEMONSTRATIO.

Incidat ex A Radius in B & reflectatur in C. Ducatur Tangens HB per B, quæ repræsentat Speculum Planum, in quo AB eodem modo reflectitur ac in Sphærico. Incidat porro in Sphæricum Radius AF, qui secabit Tangentem in D, adeoque à Plano Speculo reflecteretur in E via DE (§. 24). Per Punctum F ducatur PL ipsi HB parallela & MN tangens Speculum Sphæricum in Puncto incidentiæ F; sitque OF Radius reflexus super Plano PL; erit angulus ADB = EDH (§. 24) = AFL (§. 233. Geom.) = OFP (§. 24) = OQH (§. 233. Geom.). Quodsi ergo Radius AF reflecteretur à Plano PL, reflexus OF foret ipsi ED parallelus (§. 255. Geom.), adeoque jam magis distaret à reflexo priore CB quam reflexus ED. Quoniam vero Angulus incidentiæ AFN super Tangente MN est minor quam super Plano PL, nempe AFN < AFL (§. 84 Arithm.); sub minori quoque Angulo reflectetur (§. 24), adeoque propior erit reflexus à Tangente KF Tangenti MF, quam reflexus à parallela OF parallelæ PF. Quare cum MF cadat infra PF (§. 50. Geom.); Radius quoque KF infra OF cadere debet; consequenter quia OF à CB jam magis distat quam ED, multo magis KF à CB majore intervallo distabit quam ED; adeoque Radii FK & CB

magis divergent, quam si à Speculo Plano reflecterentur (§. 84. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

192. Lumen igitur à Speculo Sphærico Convexo reflexum debilitatur (§. 87. Optic.), adeoque reflexi effectus minores sunt, quam directi (§. 530. Mechan.).

COROLLARIUM II.

193. Quoniam angulus CAD > CBD (§. 188. Geom.); Radii magis divergentes AC & AD è propinquiori Puncto A radiant, quam minus divergentes BC & BD. Cum igitur Radii à Speculo Convexo Sphærico reflexi fiant magis divergentes (§. 191); Punctum reflexum veluti ex loco vicinore radiat, & hinc Myopes in Speculo Convexo distinctius vident remota, quam directe (§. 384. & §. 43. Optic.).

PROBLEMA LVII.

194. *Radii reflexi à Sphera minore magis divergunt, quam si a majore reflecterentur.*

DEMONSTRATIO.

Sit Radius AH ad utrumque Speculum perpendicularis, hoc est, translat per Centra C & D (§. 38. Anal. infin.), & in Punctum E, quod est in utroque Speculo, incidat Radius AE. Ducantur ex C & D Radii DG & CF. Quoniam inclinatio incidentis GEA = GDA + EAD & FEA = FCA + EAD (§. 239. Geom.); sed FCA > GDA (§. 188. Geom.): erit quoque FEA > GEA (§. 90. Arithm.); consequenter Radius AE à Speculo Sphærico minore reflexus cadet ultra reflexum à majore (§. 144) & sic à Radio AB magis diverget, quam si à majore reflecteretur. Q. e. d.

Co-

COROLLARIUM.

195. Lumen igitur à Sphæra minore reflexum magis debilitatur, quam si à majore reflectitur (§. 87. *Optic.*), adeoque in priori casu effectus ejus minores sunt, quam in posteriore (§. 530. *Mechan.*).

THEOREMA LVIII.

196. A quocunque Puncto G portionis Sphærae conspicua EGF in Oculum A reflecti potest Radius; sed à nullo Puncto portionis inconspicua EDF.

DEMONSTRATIO.

Sit Oculus A, & recta AD transeat per Centrum, rectæ vero AB & AC tangent Circulum maximum Sphærae EDFG in E & F; erit EGF portio Sphærae conspicua (§. 246. *Opt.*). Sumatur quocunque Punctum G & ex eo in Oculum ducatur recta AG, sitque Circulus DFGE Planum reflectens. Ducatur in Puncto G Tangens HI & ex Centro L recta LM, erit MGI Angulus rectus (§. 309. *Geom.*), adeoque MGA recto minor, consequenter acutus (§. 66. *Geom.*). Quamobrem cum MGH sit itidem rectus (65. 145. *Geom.*); poterit KGM ipsi AGM æqualis fieri, atque adeo Radius KG per Radium GA reflecti potest in Oculum A (§. 144). *Quod erat unum.*

Jam inter Tangentes AF & AE atque Circulum recta duci non potest (§. 304. *Geom.*), adeoque recta quæcunque ad Punctum contractus ducta FN erit supra eandem. Quamobrem si cum Tangente CF recto minorem facit CFN ipsique æqualis sit OFA & FN sumatur pro Radio incidente; erit etiam reflexus FO super Tangente (§. 24); consequenter à Puncto contactus F nullus in Oculum A Radius reflecti potest. Multo minus igitur reflectetur à portione Sphærae inconspicua EDF. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

197. Quoniam inter Tangentem & Peripheriam Circuli recta nulla duci potest (§. 304. *Geom.*), Visibilia vero per Lineas rectas radiant (§. 46. *Optic.*); Objectum intra Conum truncatum BCFE constitutum non potest radiare nisi in partem Sphærae inconspicuum EDF, consequenter nullus in Oculum A Radius reflecti (§. 196), adeoque nec Objectum istud videri potest (§. 42. *Optic.*).

COROLLARIUM II.

198. Quamobrem si ex Centro L ducatur Cathetus iufinita LP; pars ipsius LQ non videbitur (§. 197), partis vero QP Imago partim extra (§. 166), partim intra Speculum apparebit (§. 167).

Tab.
VII.
Fig.
62.

CAPUT IV.

De Speculis Sphæricis Concavis.

PROBLEMA XVIII.

199. *Modulum pro Speculis Sphæricis Concavis fundendis parare.*

RESOLUTIO.

1. Lutum exsiccatum & in pulverem contritum percribretur, ut arena & sordes separentur.
2. Pulvis per Cibrum trajectus cum aqua commisceatur, & in pultem redactus per Secerniculum secernatur.
3. Cum hac massa sterlus equinum & pili vitulini concisi porro commisceantur, tamdiu subigenda, donec sati tenax deprehendatur. Addi etiam potest pulvis carbonum vel laterum contritorum percribratus.
4. Ex Lapide arenaceo ruditer paretur duplex Modulus, alter quidem convexus, alter concavus, & mediante arena madefacta tamdiu cavum super convexo atteratur, donec concavus congruat convexo: ita enim perfectam adipisceris figuram Sphæricam. Consultum vero est, ut arena per Cibrum trajiciatur, ne grana majora cavitates hinc inde causentur in superficiebus Modularum.

Tab. 5. Massa ante præparata ope Ligni volutorii AB super Tabula extendatur, donec eam nanciscatur crassitatem, quam Speculum habere debet, & extensa pulvereque lateritio conspersa, ne adhæreat, Modulo

convexo superinducatur, ut Speculi figuram induat.

6. Huic exsiccatæ & pinguedine illitæ denuo inducatur operculum ex eadem massa: quo ipso exsiccato
7. Utrumque Sphæræ cavæ segmentum, quod ex luto consecisti, removeatur & rejecto interiore, quod speculi spatiū replet, Modulus lapi-deus pigmento aliquo ex creta & lacte præparato illinetur; operculum vero denuo imponatur.
8. Tandem commissuræ eodem luto, ex quo operculum formatum est, obducantur, Modulus integer filis ferreis constringatur, & foramina duo efformentur, per quorum unum materia Speculi fusa infundi, per alterum vero aër ex Moduli cavi-tate expelli posit, ne Speculum bul-lulis vitietur.

SCHOLION.

200. *Moduli tanta cum cura parari debent, ut Speculorum figura sit vere Sphærica.*

PROBLEMA XIX.

201. *Speculum Metallicum efficere.*

RESOLUTIO.

1. Liquentur Cupri recentis partes octo; Stanni Anglicani una, Marchasitæ quinque.
2. Ferro calido materiæ liquatæ non-nihil eximatur: quod si frigefactum nimis

nimis rubet, plus Stanni addatur, si nimis albicat, aliquid Cupri adiiciatur, donec massa Specularis convenienter gaudeat colore.

3. Tum Massa modulo per Problema præcedens præparato infundatur, quæ Speculi figuram assumet.

SCHOLION I.

202. Alii 10 partibus Cupri admiscent quatuor Stanni Anglicani & aliquid Antimonii & Salis Ammoniaci, massamque tamdiu bacillo agitant, quamdiu fumus exhalat, ab ore & naribus arcendus, quia venenosus. Alii aliis mixturis utuntur, quales complures describunt SCHOTTUS (a) & ZAHNIUS (b).

SCHOLION II.

203. Specula hæc Metallica vocari solent Chalybea, quia probe polita Chalybis politi colorem emulantur. Posse vero etiam ex Chalybe parari, ex superioribus constat (§. 89).

PROBLEMA XX.

204. Specula Metallica polire.

RESOLUTIO.

1. Speculum fusum capulo ligneo pice agglutinetur &
2. Super Modulo lapideo (§. 199) mediante aqua atque arena, & ubi extitum fuerit, sine arena atteratur, donec fuerit ad lævigandum aptum.
3. Lapideus Modulus exsiccatus aut alter æqualis charta vestiatur, pulvere Tripolitano & calce Stanni illinenda.
4. Super hac Speculum tamdiu teratur, donec splendor exquisito undique resulgeat.

(a) Magiae Catoptr. Part. i. Lib. VI. Pragm. 4. p. 266. &c seqq.

(b) In Oculo Artific. Fundam. 3. Synt. 3. Cap. 10. §. 9. Prax. 14. f. m. 6. 1. & seqq.

COROLLARIUM.

205. Non absimili modo Specula Vitrea poliuntur, nisi quod Superficies convexa in Modulo concavo expolienda.

SCHOLION.

206. Si Specula fuerint majora, super Tabula firmata primum Lapide arenoso, deinde Pumice, inde Arena subtili mediante vitro, quod Capulo ligneo agglutinatum, teruntur, tandem calce Stanni & pulvere Tripolitano corio madido insperso fricantur.

PROBLEMA XXI.

207. Speculum Vitreum Concavum terminare.

RESOLUTIO.

1. Paretur Modulus Concavus ex gypso, cuius Superficiei Concavæ Convexa Speculi congruit.
2. Reliqua fiant ut in Probl. 3. (§. 49).

THEOREMA LIX.

208. Si inclinatio Radii KI in Speculum Sphaericum Cavum EI incidentis & Axi AB paralleli fuerit 60 graduum; Radius reflexus IB cum Axe AB in ipso Speculi Polo B concurrit. Tab. IV. Fig. 41.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $m = 60^\circ$ per hypoth. erit etiam $n = 60^\circ$ (§. 144), & quia KI axi AB parallela per hypoth. etiam $i = 60^\circ$ (§. 233. Geom.); consequenter $u = 60^\circ$ (§. 240. Geom.) atque hinc CB radio CI æqualis (§. 254. Geom.). Punctum igitur B, in quo Radius reflexus IB cum Axe concurrit, est in ipsa superficie Speculi (§. 356. Geom.). Q. e. d.

THEOREMA LX.

209. Si Radii HE in Speculum Concavum Sphaericum EI incidentis & Axi

Tab. IV. Fig. 41. AB paralleli inclinatio fuerit 60 gradibus minor; reflexus EF cum Axe AB concurrit ad distantiam BE quarta Diametri parte minorem.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $o=x$ (§. 144) & ob parallelismum rectarum HE & AB, $o=y$ (233. Geom.); erit etiam $x=y$ (§. 87. Arithm.) & hinc $FE=FC$ (§. 253 Geom.). Est vero $CF+EF>EC$ (§. 190. Geom.) & $CE=CB$ (§. 40. Geom.); ergo $CF+FE>CB$ (§. 89. Arithm.), consequenter $CF>FB$ (§. 92. Arithm.), hoc est. FB minor est dimidia Radii CB aut quarta Diametri parte. Q. e. d.

THEOREMA LXI.

210. Distantia FC Puncti F, ubi Radius HE in Speculum Sphaericum Cavum EI incidens & Axi AB parallelus cum eodem concurrit, à Centro C est addiduum Radium CD, in ratione Sinus totius ad Cosinum inclinationis.

DEMONSTRATIO.

Ex Demonstratione Theorematis præcedentis patet, esse $FE=FC$. Quare si ex F demittatur perpendicularis FD; erit $DC=\frac{1}{2}CE$ (§. 184. Geom.). Quodsi vero CF sumatur pro Sinu toto, erit CD Sinus Anguli DFC (§. 2. Trigon.) seu Cosinus Anguli DCF (§. 11. Trigon.), hoc est, inclinationis DEH (§. 233. Geom.). Est itaque CF ad CD, ut Sinus totus ad Cosinum inclinationis. Q. e. d.

PROBLEMA XXII.

211. Determinare rationem, quam habet portio Axis, cum quo Radii paralleli à toto Speculo Sphaericu Concavo reflexi concurrunt, ad Radium.

RESOLUTIO.

- Cosinus inclinationis Radii extimi subtrahatur à Sinu toto; relinquetur OF differentia inter dimidium Radium & Puncti F, ubi Radius extimus cum Axe unitur, à Centro C distantiam (§. 210).
- Quodsi ergo per OF duplum Cosinus istius, hoc est, EC (§. cit.) dividat; quotus exprimit, quanta Radium pars sit OF.

Quare cum portio Axis. cum qua Radii paralleli sub inclinatione 60 gradibus minore concurrunt, sit eidem propemodum æqualis (§. 209); ratio ejus ad Radium, est ut unitas ad quotum inventum.

E. g. Sit inclinatio trium graduum: erit

$$\begin{array}{r} CF = 10000000 \\ CD = 9986295 \\ OF = 13705 \\ CE = 19972590 \quad (1457) \\ \hline 13705 \\ 62675 \\ \hline 54820 \\ 78559 \\ \hline 68525 \\ \hline 100340 \\ \hline 95935 \\ \hline 4405 \end{array}$$

Nempe OF est $\frac{1}{1457}$ Radii. In Speculo itaque Sphaerico Concavo, cuius latitudo 6 gradus subtendit, Radii paralleli post reflexionem uniuntur cum portione Axis, quæ parte millesima quadringentesima quinquagesima septima minor existit. Eodem modo reperitur, si inclinatio fuerit 6, 9, 12, 15, 18 graduum; esse OF $\frac{1}{363}$, $\frac{1}{180}$, $\frac{1}{89}$, $\frac{1}{56}$, $\frac{1}{36}$ Radii, hoc est, portionem Axis, cum quo Radii paralleli à Speculo Sphaericu Cavu reflexi concurrunt, esse minorem $\frac{1}{363}$, $\frac{1}{180}$, $\frac{1}{89}$, $\frac{1}{56}$, $\frac{1}{36}$, si latitudo

latitudo Speculi subtendat Arcum 12, 18, 24, 30, 36, graduum.

COROLLARIUM I.

212. Quoniam itaque Radii per totam Speculi superficiem dispersi in angustum admodum spatium post reflexionem coarc-tantur; Lumen Radiorum parallelorum per reflexionem à Speculo Sphærico Con-cavo valde intenditur (§. 89. *Optic.*), nempe in ratione duplicata latitudinis Speculi & Diametri Circuli, in quo Radii omnes uniti continentur (§. 409. *Geom.*)

COROLLARIUM II.

213. Cum Radii Solares sint paralleli (§. 93 *Optic.*); eorum vires per reflexio-nem à Speculo Concavo Sphærico valde intenduntur (§. 209.), adeoque non mi-rum, quod lignum aliaque inflammabilia accendant & liquabilia liquefaciant.

SCHOLION I.

214. Specula Concava Sphærica inde Caus-tica seu Ustoria appellari solent: locus autem in quo incendium excitatur, Focus dicitur. Apparet autem errasse EUCLIDEM & cum eo Veteres in universum, dum Focum in Cen-tro esse credidere.

COROLLARIUM III.

215. Quoniam Focus ibi est, ubi Radii arctissime uniuntur; si majoris fuerit Sphæ-ræ segmentum, latitudo Arcum 18 gradibus haud majorem subtendere debet; si vero fuerit Sphæræ minoris segmentum, ad summum arcum 30 graduum.

SCHOLION II.

216 KIRCHERUS sane (a) Specula cauf-tica omnium optima deprehendit, quorum latitudo Arcum 18 gradibus haud majorem subtendit, Experientia adeo Demonstratio-ni conveniente.

COROLLARIUM IV.

217. Quia superficies Speculi, quod

(a) In Arte magna Lucis & Umbræ, Lib. X. Part. 3. Cap. 1. Pragm. 2.

majoris Sphæræ segmentum est, plures Ra-dios excipit, quam quod minoris existit, si utriusque latitudo Arcum 18 graduum sub-tendat, vel etiam aliquanto majorem, vel minorem, sed æqualem tamen; effectus quoque Speculorum majores sunt, quam minorum.

COROLLARIUM V.

218. Quia Focus intra quartam & quin-tam Diametri partem continetur (§. 209. 211); Specula, quæ sunt majoris Sphæræ segmenta, ad majorem distantiam urunt, quam quæ sunt segmenta minoris.

COROLLARIUM VI.

219. Quoniam denique ustio à Radio-rum unione (§. 212. 213), unio Radio-um à figura convaca Sphærica pendet (§. 209); mirum sane non est, quod etiam Spe-cula linea deaurata & quæ ex gypso parantur atque auro obducuntur, immo etiam ex charta confecta & stramine obducta-urant.

SCHOLION III.

220. Apud Veteres celebrantur Specula ARCHIMEDIS atque PROCLI: quorum ille naves Romanorum, duce MARCELLO Syra-cusas obsidentium, ZONARA (b), TZETZE (c) & GALENO (d) aliisque antiquioribus, quos TZETZES citat, Autoribus; hic vero, referente denuo ZONARA (e) Classem VITALIANI Byzantium obsidentis Speculo Causico incen-dit. Enimvero cum distantia Foci in Speculo Sphærico Concavo quartam Diametri partem non excedat, ARCHIMEDEUM autem ad dis-tantiam 30 passuum (re ab ATHANASIO KIRCHERO Syracusus transente examinata) vim suam ustoriā extendere debuerit (f), & latitudo Foci per quam exigua existat; Specu-lo

(b) Annal. Tom. II. p. 82.

(c) Vatiarum Historiarum Chiliad. 2. Hist. 35. pag. 22.

(d) De Temperamentis Lib. III. Cap. 2.

(e) Annal. Tom. III. pag. 46.

(f) Vid. SCHOLIUS in Magia univers. Part. I. Lib. VII. Synagin. §. §. 3. pag. 417.

lo Caustico præstari nequit, quod ARCHIMEDES atque PROCLUS fecisse perhibentur. Quoniam vero nec difficultate carent, quæ de reflexione Radiorum Solarium à pluribus Speculis Planis in eundem locum factis suspicatur KIRCHERUS, aut alii de Speculis Parabolicis prodiderunt; ideo plurimis inter commenta referenda videntur, quæ Veteres incerta fama delusi de Speculis ARCHIMEDIS atque PROCLII commemorant.

SCHOLION IV.

221. *Inter Specula recentiora eminent SEPTALIANUM, VILLETTANUM & TSHIRNHUSIANUM. Nimirum MANFREDUS SEPTALA, Canonicus Mediolanensis, teste SCHOTO (a), Speculo Parabolico ad 15 ac 16 fere passuum distantiam asseres combusit. VILETTI, Artificis Lugdunensis Galli, Speculum unum à TAVERNIERIO ematum & Regi Persarum oblatum est; secundum suis sumtibus sibi comparavit Rex DANIAE; tertium denique munificentia Regis Gallicarum dignum fuit judicatum. Eorum effectus prædicantur sequentes (b): Lignum viride in momento ignem concepit; minutia ferri ex lebete resoluta liquefacta destillavit 40 minutorum secundorum spatio; nummus 15 solidorum Gallicorum perforatus est 24 secundis; calculus orichalceus perforatus est $\frac{6}{10}$ secundi; frustum laterculi quadrati ex camera vitrificatum est in guttam vitri 45 secundis; Chalybs perforata est $\frac{9}{10}$ unius secundi; Lapis mineralis, qui sclopatis ad excitandum ignem affigitur, vitrificatus est minuto uno; frustum camenti vitrificatum est 52 secundis. Latitudo Speculi istiusmodi effectibus nobilitati erat 30 digitorum, latitudo Feci semiaureum Ludovici adæquabat, tres circiter pedes à Centro distantis. Denique de TSHIRNHUSIANO, quod omnibus palmarum præripit, sequentia annotantur in Actis Eruditorum, quæ Lipsiæ*

(a) In Magia Univers. Part. I. Lib. VII. §. 6. pag. 418.

(b) In Transl. Anglic. n. 6. pag. 95. & in Dia-
rio Litteratorum Parisino Ann. 1679. Mens. De-
cemb. p. 312.

publicantur (c): „ 1. Admotum Foco „ Speculi lignum momento flamمام con- „ cipit, quam ne ventus quidem valen- „ tior facile extinguat. 2. Aqua intra vas- „ culum sigulinum ei applicatum extem- „ plo effervescit, ut ova injecta statim fiant „ edulia: retento ibidem parumper vas- „ culo, aqua omnis evaporat. 3. Massa „ Stanni Plumbive, tres pollices crassa, „ simul ac Foco admovetur, guttatum li- „ quesceret, pauloque ibi detenta continuo „ fluere incipit, donec spatio 2 aut 3 mi- „ nutorum plane perterebretur. 4. Lamina „ Ferrea aut Chalybea Foco admota, in „ aversa à Speculo superficie, qua parte „ Focum contingit, illico candescere cons- „ picitur, pauloque post in foramina de- „ hiscit: quorum tria intra sex minuta ho- „ raria laminæ inusta. Nec minus 5. Cu- „ prum, Argentum &c. Foco admota „ colliquecunt, e. gr. unciali Saxonico „ idem, quod laminæ supra memoratae „ contigit. 6. Quæ liquefactioni obnoxia „ non sunt, ut lapides, lateres &c. bre- „ vi instar ferri igniti candescunt. 7. Ardo- „ sia è vestigio candescit & intra pauca mi- „ nuta in vitrum nigrum non inelegans „ transmutatur: cuius si pars aliqua can- „ descens forcipula prehensa detrahatur „ in fila vitrea simul diducitur. 8. Tegulæ „ intensissimum ignis æstum alias persessæ „ exigui temporis lapsu in vitrum flavum „ deliquescent: queniadmodum & 9. testæ „ ex ollis non solum probè percoctis „ sed multo etiam ignis admotis nisu dura- „ tis, in vitrum nigroflavum. 10. Pumex „ montium, ut vocant in officinis, ignivo- „ morum usus Solari hoc igne in vitrum „ candidum & pellucidum funditor. 11. „ Crucibuli solidissimi pars foco exposita „ intra 8 minuta in vitrum conflata est. „ 12. Ossa in vitrum aliquod opacum & „ gleba ex terra excisa in flavum aut sub- „ inde nigrum mutata „. Latitudo Spe- „ culi erat trium fere ulnarum Lipsiensium: & ex

(c) Ann. 1687. Mens. Januar. pag. 52.

ex Lamina Cuprea constabat vix duplo crassiori dorso Cultri communis. Focus duabus ultiis à Speculo distabat. Ad Speculorum TSCHIRNHUΣIANORUM imitationem Artifex quidam insignis GÄRTNERUS Dresdæ Specula Caustica majora ex ligno confecit, quæ non minores produxerunt effectus non sine multorum admiratione.

SCHOLION V.

222. ZACHARIAS TRABERUS (a) docet, quomodo ex Auro strepero Specula Caustica confici queant. Scilicet à Tornatore fieri debet Speculum lignicum Concavum & pice cera-ta æqualissimè tingi, Aurum denique in quadra-ta duorum digitorum vel trium scissum per frusta agglutinandum, exhibitis si opus fuerit carbonibus. Imo (b) Specula majora fieri posse notat ex Cavorum Speculorum aut Vitri quadratis frustis 30, aut 40 vel pluri-bus, in Scutella tornata Lignea decenter con-nectendis, eorumque effectum non multo mi-norem esse, quam si superficies continua esset.

SCHOLION VI.

223. Speculum ex Charta duriori & stra-mine eidem agglutinato Ann. 1699. Viennæ confecit NEUMANNUS quidam Ingeniarius, quo omnia metalla in fluorem reduxit, ZAHNIO referente (c).

THEOREMA LXII.

224. Si Lumen constitutum sit in Foco F Speculi Sphærici Concavi EI; Radii post reflexionem sunt paralleli.

DEMONSTRATIO.

Radii enim paralleli per reflexionem in Foco uniuntur (§. 209). Sed si Lu-men sit in Foco F, qui ante erat Ra-

Wolfii Oper. Mathem. Tom. III.

(a) In Nervo Optic. Lib. II. C. 12. Prop. 5. Cor. 1. f. 127.

(b) Loc. cit. Cor. 2. f. 128.

(c) In Oculo Artific. Fundam. 3. Syntagm. 3. Cap. 10. f. m. 634.

dius reflexus EF nunc erit incidens, & qui ante incidens erat, nunc fiet refle-xus EH. Erit itaque reflexus EH Axi AB, hoc est, omnes reflexi erunt inter se parallelci (§. 232. Geom.). Q. e. d.

Tab.
IV.
Fig.
41.

COROLLARIUM I.

225. Lumen igitur intensum ad insignem distantiam projicitur candela accensa in Foco Speculi Concavi constituta (§. 86. Optic.), non tamen ad infinitam (§. 92.

COROLLARIUM II.

226. Quodsi ergo Radii paralleli alio Speculo concavo denuo excipientur; in Foco post reflexionem iterum concurrent atque urent.

SCHOLION.

227. Experimento id comprobatum Vien-na teste ZAHNIO (d), ope duorum Specu-lorum Concavorum ex Lamina Orichalcea con-fectorum. Majus erat 6, minus 3 pedum, di-stantia eorundem 20 vel 24 pedum. In Foco majoris constituti erant carbones canden-tes, in Foco minoris ignitabulum cum filo sul-phureo candela circa apicem circumligatum. Radii carbonum reflexi candelam accendebant.

THEOREMA LXIII.

228. Si Lucidum intra Focum F & Speculum CH constituitur in D; Radii post reflexionem ab Axe BA divergunt.

DEMONSTRATIO.

Si Lucidum esset in F, Radius reflexus CE foret Axi BA parallelus (§. 224), adeoque eandem ab Axe constanter distantiam servaret (§. 81. Geom.). Quoniam vero DCG > FCG; erit etiam KCG > ECG (§. 144), adeoque CK ultra CE cadit, consequenter Axi

T paral-

Tab.
IV.
Fig.
42.

(d) Loc. cit. Syntagm. 5. C. 6. Artif. p. 753.

- Tab. parallela esse nequit (§. 260. *Geom.*) ;
 IV. cumque ultra parallelam cadentis dis-
 Fig. tantia ab Axe continuo augeri debeat
 42. (§. 81. *Geom.*), ab Axe AB divergit
 (§. 84. *Geom.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

229. Lumen itaque per reflexionem de-
 bilitatur (§. 87. *Optic.*).

THEOREMA LXIV.

230. Si Lucidum inter Focum F &
 Centrum G constituitur in I; Radii
 post reflexionem cum Axe concurrunt ul-
 tra Centrum.

DEMONSTRATIO.

Si Lucidum esset in Foco F, Radius
 reflexus HL foret cum Axe BA paralle-
 lus (§. 224), adeoque ab eo eandem
 constanter distantiam servaret (§. 81
Geom.). Quoniam vero IHG < FHG;
 erit etiam GHA < GHL (§. 144), adeo-
 que reflexus HA à parallela versus
 Axem recedit; consequenter cum ei-
 dem parallelus esse nequeat (§. 260.
Geom.) sed potius à parallela HL
 recendentis distantia ab Axe continuo
 imminui debeat (§. 81. *Geom.*), cum
 Axe BA convergit, tandemque con-
 currere debet (§. 89. *Geom.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

231. Quodsi Lucidum ponatur in A, qui
 ante erat Radius reflexus AH, nunc fiet in-
 cidens; adeoque qui ante erat incidens
 IH nunc fiet reflexus (§. 144). Si ergo
 Lucidum ultra Centrum G constituitur;
 Radii post reflexionem cum Axe inter Fo-
 cum F & Centrum G concurrunt.

COROLLARIUM II.

232. Hinc si Candela ponatur in I, ejus
 Imago apparet in A; si vero Candela ac-
 censa constituatur in A, Imago ejus appa-
 ret in I; in Punctis vero inter I & A sec-
 tio Luminis est Circulus, tanto quidem
 major, quo Puncto concursus vicinior.

THEOREMA LXV.

233. Si Corpus Luminosum in Centro
 Speculi Sphaericī Concavi ponatur; Ra-
 dii omnes reflectuntur in seipso.

DEMONSTRATIO.

Incidunt enim in Speculum perpen-
 diculares (§. 38. *Anal. infn.*), adeo-
 que in seipso reflectuntur (§. 25).
Q. e. d.

COROLLARIUM.

234. Hinc si Oculus in Centro Speculi
 ponitur, seipsum confuse videt per totum
 Speculum.

THEOREMA LXVI.

235. In Speculo Sphaericō Concavo
 Oculus seipsum non videt nisi per Dia-
 metrum.

DEMONSTRATIO.

Oculus seipsum videre nequit nisi
 per Radium, qui in seipsum reflectitur.
 Quamobrem cum Radii perpendicula-
 res tantum in seipso reflectantur (§. 25),
 ad Speculum autem perpendiculares
 sint Diametri (§. 38. *Anal. inf.*); Ocu-
 lus seipsum non videt nisi per Dia-
 metrum. *Q. e. d.*

THEOREMA LXVII.

236. Si duo Oculi aut diverse ejus-
 dem Pupilla partes fuerint in diversis
 Planis reflexionis; Objecti Imago vide-
 tur plerumque in concursu Catheti inci-
 den-

dentie & Radii reflexi: aliquando tamen extra Cathetum apparet, si nempe Oculus Speculo valde vicinus & Objectum ultra Centrum ab eodem removetur.

DEMONSTRATIO.

Imago Objecti videtur, ubi Radii reflexi ad utrumque Oculum vel diversas Pupillæ ejusdem Oculi partes concurrunt (§. 344. *Optic.*). Quoniam vero iidem à diversis Planis reflectuntur per hypoth. Punctum concursus esse debet in communi sectione Planorum. Cum itaque communis sectio sit Cathetus incidentia (§. 146), si Radii reflexi concurrunt, Punctum concursus est in Catheto incidentia, consequenter Imago videtur in concursu Catheti incidentia & Radii reflexi. *Quod erat unum.*

Si Objectum FE ultra Centrum C à Speculo removetur, Catheti incidentia FG & ED ab extremis Punctis F & E ductæ se mutuo in Centro C intersecant (§. 146), adeoque post intersectionem Cathetus Puncti superioris F deorsum, Cathetus vero inferioris E sursum tendit; consequenter si Objecti Imago post Speculum apparet, atque in concursu Catheti incidentia & Radii reflexi videtur, inversa apparere debet. Enimvero si Oculus prope Speculum fuerit constitutus, Experientia teste, Imago post ipsum situ erecto conspicitur; videtur ergo in hoc casu extra Cathetum. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

237. Si Objectum in Foco fuerit collatum, Radii post reflexionem sunt paralleli tum inter se, tum Axi (§. 224).

Cum adeo nec inter se, nec cum Axe seu Catheto incidentia concurrent; in Speculo Objectum hoc in casu videri nequit.

SCHOLION

238. Non difficultate caret doctrina de loco Imaginis in Speculis Sphæricis non minus Convexis, quam Concavis. Quoniam enim diversa Plana reflexionis in Plano eodem commode delineari nequeunt; neque facile demonstrari potest, ubinam Radii ab eodem Puncto in Speculum illapsi & ad diversas Pupillæ partes reflexi concurrant. Unde quod plerisque Phænomenis satisfacit, assumitur, Imaginem nempe esse in concursu Catheti incidentia Radii reflexi.

THEOREMA LXVIII.

239. Si Radius ex Puncto Catheti h incidens in Speculum Convexum hF & reflexus IF intra Speculum continentur; erit FH incidens ex Puncto Catheti H in Concavum & FO reflexus ejusdem.

DEMONSTRATIO.

Est enim $hFE = IFM$ (§. 24). Sed $hFE = MFO$ & $IFM = FFH$ (§. 156. *Geom.*). Ergo $MFO = EFH$ (§. 87. *Arithm.*). Quodsi itaque HF sumatur pro incidente ex Puncto H; erit FO reflexus (§. 24). *Q.e.d.*

Tab.
IV.
Fig.
44.

COROLLARIUM I.

240. Quoniam Punctum Catheti H est Imago Puncti h in Speculo Convexo (§. 151); Punctum vero h Imago Puncti H in Concavo (§. 236. & 239): si Imago Objecti à Speculo Convexo reflexi videtur per reflexionem in Concavitate factam, instar Objecti ipsius cerneretur.

COROLLARIUM II.

241. Cum Catheti infinitæ Imago in Speculo Convexo sit quarta Diametri par-

te minor (§. 155. 158.); Catheti quarta parte Diametri minor portio in Speculo Concavo quantumvis magna apparere potest.

COROLLARIUM III.

242. Punctum igitur intervallo minore quarta Diametri parte à Speculo Concavo remotum intervallo quantumvis magno post Speculum apparere debet.

SCHOLION I.

243. Videntur iequidem hac Experiencia contraria: quoniam sensuum judicio *Imago* in *Speculo* *Plano* longius distat, quam in *Concavo*; in *Plano* autem tanto intervallo post *Speculum* apparet, quanto *Objectum* ab eodem removetur (§. 56). *Enimvero* majorem esse in *Concavo*, quam in *Plano* distantiam, clarissime apparet in *Speculis Vitreis*, quorum exterior superficies *Plana*, interior vero *Concava*. Parantur silicet ex *Vitris Plano-convexis* in *Convexitate* terminatis. Quodsi intra Focum & *Speculum* candelam statuas accensam, videbis in *Speculo* duplēm *Imaginem*, alteram clariorem & majorem, quæ à superficie *Concava* reflectitur, alteram vero obscuriorem & minorem, quæ à superficie *Plana* reflectitur. Illa vero majori intervallo post *Speculum* quam hæc distat. Unde jucundum exhiberi potest spectaculum *Ligni* in *Speculo* *ardentis*, quod tamen extra *Speculum* non ardet. Nimirum si inter Candelam accensam & *Speculum* collocetur *Ligni* frustum longius, quam latius, ut sit in *Catheto* flammæ; *Ligni* tantum *Imago* unica cernitur, utpote *Objecti* obscurioris, quæ à *Speculo Concavo* reflectitur, adeoque per flammarum priorem transit, quasi ex eo erumpere videtur, ut adeo *Lignum* in *Speculo* continuo ardeat, nec tamen comburatur. Quod vero *Imago* exiguo admodum intervallo post *Speculum* distare videtur, ratio hæc est quia major est *Objecto* nec plura *Objecta* eidem contigua una exhibentur. Cum adeo ex *Objectis* interpositis de distantia judicium fieri ne-

queat & magna atque distincta videntur vicina (210. 314 Optic.); non mirum, quod exigua admodum *Imaginis* à *Speculo* distantia credatur. Illico tamen magna apparebit, si stylum quendam longiore, quarta tamen Diametri parte minorem, inter *Objectum* & *Speculum* statuas, qui sit in *Catheto* aliqua.

COROLLARIUM IV.

244. Quoniam *Imago Objecti* quantumvis latæ in *Speculo convexo* inter duas *Cathetas* incidentia Punctorum extermorum continetur (§. 236); si *Objectum* inter duas *Cathetas* in distantia minore Diametri parte quarta statuatur, latitudo *Imaginis* quantumvis magna apparere potest. (§. 241).

COROLLARIUM V.

245. Cum itaque *Objecti* inter duas *Cathetas* in distantia minore Diametri parte quarta collocati *Imago* & latitudinem, & altitudinem justa majorem, immo quantumvis magiam habere possit (§. 241. 244); *Objecta* inter Focum & *Speculum* collocata monstrosa magnitudinis in *Speculis Concavis* apparere debent.

SCHOLION II.

246. Nimirum quanto minor est *Imago Objecti* in *Speculo Convexo*, tanto major esse debet in *Concavo* (§. 240).

COROLLARIUM VI.

247. In *Speculo Convexo* *Imago Objecti* remotioris Centro propior est quam vicinioris (§. 147). Ergo in *Concavo* *Imago Objecti* à *Speculo* remotioris majori intervallo distat quam vicinioris, modo distantia *Objecti* à Centro sit quarta Diametri parte minor.

COROLLARIUM VII.

248. In *Speculo Convexo* *Imago Objecti* remotioris minor est quam vicinioris (§. 178): ergo in *Concavo* *Imago Objecti* inter Focum & *Speculum* constituti major est, si Foco quam *Speculo* proprius.

COROLLARIUM VIII.

249. Recedentis igitur à Speculo Concavo Imago continuo fit major, modo ultra Focum non recedatur, in quo confusa evadit (§. 237): accendentis vero Imago fit minor.

COROLLARIUM IX.

250. In Speculo Convexo, quod est minoris Sphæræ segmentum, Imago est minor quam in alio, quod majoris Sphæræ segmentum existit (§. 180). Ergo in Concavo, quod est minoris Sphæræ segmentum, Imago major est quam in alio, quod majoris Sphæræ segmentum existit: unde Specula Concava Sphæræ minimæ segmenta Microscopii vicem præstant.

SCHOLION III.

251. En magnum Propositionum numerum instar Corollariorum facillime deducitorum: ad quas demonstrandas multo alias apparatus utuntur Scriptores Catoptricæ.

THEOREMA LXIX.

252. Si Objectum AB inter Focum & Speculum fuerit constitutum, Imago ab post Speculum apparet situ erecto; sinistra apparent dextra & dextra sinistra.

DEMONSTRATIO.

Sit AB longitudine Objecti. Quoniam Punctum A videtur in Catheto Ca & Punctum B in Catheto Cb (§. 236); Punctum superius videtur in loco superiori a, inferius in inferiori b, hoc est, Objectum situ erecto post Speculum apparet. *Quod erat unum.*

Quodsi AB concipiatur latitudo Objecti: eodem modo patet, dextra dextris sinistra sinistris respondere. Sed in Visione directa dextra Objecti tuæ sinistram & illius sinistra tuæ dextram respondent, adeoque in Speculo Concavo

Objecti inter Focum & Speculum positi sinistra apparent dextra, dextra vero videntur sinistra. *Quod erat alterum.*

THEOREMA LXX.

253. Si Objectum AB inter Focum & Centrum constituatur; Imago ejus EF Tab. IV. Situ inverso apparet ultra Centrum in Fig. 43. libero aëre. Oculo ultra Centrum remoto.

DEMONSTRATIO.

Radii enim, per quos Punctum A reflectitur, in Catheto GF ultra Centrum C in F, & qui Punctum B reflectunt, in Catheto DE ultra Centrum C in E concurrunt (§. 227). Punctum igitur B veluti ex E & Punctum A veluti ex F in Oculum ultra EF constitutum radiat: consequenter Punctum B in E & Punctum A in F, adeoque Imago Objecti ultra Centrum situ inverso videtur (§. 347. Optic.). *Q. e. d.*

THEOREMA LXXI.

254. Puncti M inter Centrum G & Focum F Speculi Concavi positi & Foco propioris quam Centro Imago videtur à Speculo remotior, quam Puncti I Centro G propioris, quam Foco F. Tab. IV. Fig. 46.

DEMONSTRATIO.

Radii MH & IH reflexi à Puncto H cum Catheto concurrunt ultra Centrum (§. 227). Sed quoniam MHG > IHG & MHG = GHA, itemque IGH = GHN (§. 144); erit GHA > GHN (§. 79. Arithm.), consequenter Radius HA, qui Punctum M Foco F proprius reflectit, cum Catheto in majore à Centro distantiâ GA concurrit, quam qui Punctum

Tab.

- IV. Centro G proprius. I reflectit. Videtur
 Fig. 46. adeo Punctum M in majore à Centro
 distantia, nempe in A, Punctum vero I
 in minore, scilicet in N (§. 348. Optic.).
 Q. e. d.

THEOREMA LXXII.

- Tab. I V.
 Fig. 43.
255. Si Objectum EF ultra Centrum C fuerit constitutum, Oculo itidem ultra Centrum collocato Imago apparet in libero aere inter Centrum & Focum situ inverso.

DEMONSTRATIO.

Radii enim à Puncto E in Speculum illapsi post reflexionem cum Catheto CD concurrunt inter Centrum C & Focum; similiter qui à Puncto F illabuntur, post reflexionem cum Catheto FG inter Centrum C & Focum concurrunt (§. 228). Punctum igitur E veluti ex B & Punctum F veluti ex A in Oculum ultra Centrum constitutum radiat, consequenter Objecti EF Imago videbitur inter Focum & Centrum in AB, situ quidem inverso (§. 348. Optic.). Q. e. d.

COROLLARIUM. I.

256. Imagines ergo Objectorum inversæ ultra Centrum C sitorum à Speculo Concavo reflectuntur erectæ & inter Centrum atque Focum Charta, in Camera præsertim obscura, excipi possunt.

COROLLARIUM II.

257. Si Objectum EF magis distet à Centro, quam Focus, Imago Objecto minor est. Quia enim tum AC < EC; erit etiam ob verticales ad C æquales (156. Geom.) AB < EF (§. 267. Geom.).

SCHOLION.

258. Jucunda admodum Specula Concava,

quæ majoris præsertim Sphæræ segmenta sunt, ut Objecta magna integra reflectere possint, præbent spectacula. Certe si gladium adversus Speculum vibres; alius ex eodem prodibit ad Oculum usque protensus: cumque etiam capitis Imago in libero aere conspicatur, vero gladio illum percutere licebit, Phantastico tuum percutiente. Si manum versus Speculum porriganas, ex eo prodibit alia inversa tuæ jungenda. Ut autem majori admirationi sint ignaris Imagines in aere pendula, Objecta post alia abscondi debent, ne ipsam videtur. Quoniam etiam Objectum idem extra Centrum collocatum à diversis Speculi partibus in Oculos reflectitur, ut quilibet videat Imaginem peculiarem; in minoribus Speculis Imagines coalescentes monstrosas Objecti figuræ exhibent. Ita e. gr. facies intuentis unam habet frontem, nasos duos, oculos tres, ora duo; immo interdum inter nasum geminum oculos duos communibus palpebris gaudentes. Quodsi Vitrum, ex quo Speculum paratur, sit coloris subcinerici; facies intuentis eodem colore tincta magis deformabitur.

PROBLEMA XXIII.

259. Cistulam Catoptricam construere, in quam intropiciens videat Objecta Cista majora, e. gr. Caput humanum aut Ædificium quoddam.

RESOLUTIO.

1. Construatur Cistula ABCDEFG pro magnitudine Speculi Concavi, quo usurus es, formam parallelepipedi habens, ne desit sufficiens spatium Radiis reflectendis & tegatur ut supra (§. 119) Charta Pergamenta pellucida, aut Vitro lævigato quidem, sed non polito.
2. Ad Planum ABG firmetur Speculum Concavum, quod majoris Sphæræ segmentum esse præstat.

3. In Plano opposito DEFC applicetur
Pictura Hominis aut Ædificii, aut
Objecti cujuscunque alterius, & su-
per ea fiat apertura oblonga HI
Vitro Plano polito munienda.

Quodsi enim introspectias, Pictura à Spe-
culo reflexa sub vera Objecti magnitu-
dine comparebit.

SCHOLION.

260. Quoniam primum per rimam intro-
piciens & Cistæ magnitudinis sibi adhuc con-
ficius in Cista videt Objectum ejus molem ex-
cedens, veluti Caput quoddam humanum, à
trunko tamen non separatum; in stuporem
abripitur & pro diversitate Objecti in terro-
rem conjicitur.

PROBLEMA LXXII.

261. Lineæ rectæ ad Speculum Con-
cavum Sphericum perpendicularis Imago
est Linea recta; Lineæ vero ad Speculum

oblique vel eidem parallelæ Imago est
Concava.

DEMONSTRATIO.

Si linea ad Speculum perpendicularis, in Catheto incidentia existit (§. 16). Quare cum quodlibet ejus Punctum in ista Catheto videatur (§. 236); Imago ejus Linca recta sit necesse est. *Quod erat unum.*

Sit AB Speculo parallela vel ad idem obliqua, ducaturque ex Centro C recta CF ad AB perpendicularis; erit CA > CD (§. 220. Geom.) adeoque ob CF = CE (§. 40. Geom.) FD > AE (§. 92. Arithm.). Punctum igitur D à Speculo remotius majori intervallo post Speculum videtur, quam vicinius A (§. 247). Quare cum d' magis distet à D, quam a ab A & b à B; Imago a db videbitur Concava (§. 279. Optic.). *Q. e. d.*

Tab.
IV.

Fig. 45.

CAPUT V.

De Speculis Cylindricis, & Conicis, Pyramidibus, aliisque pluribus.

PROBLEMA XXIV.

262. Specula Cylindrica & Conica,
itemque Pyramidalia & alia figura cu-
juscunque conficerere.

RESOLUTIO.

Quomodo Specula Cylindrica & Co-
nica Convexa, itemque Pyramidalia,
ex Vitro fiant, docuimus supra (§. 142).

Metallica eodem artificio parantur,
quo supra Specula Sphærica Concava

fieri docuimus, nisi quod Moduli ex-
luto §. 199. descripto parandi, requi-
rant alios ligneos figuram Speculorum
habentes.

Quodsi Modulus pro Elliptico, Para-
bolico & Hyperbolico Speculo effici-
debet:

1. In Tabula Ænea aut Lignea accuratis-
sime describatur Ellipsis AB (§. 435.
Analys.) Parabola (§. 401. *Analys.*)
aut Hyperbola CD (§. 471. *Analys.*)
&

Tab.
IV.

Fig.

48.49.

Tab. & figura accurate exscindatur, mar-
IV. go vero ejus lœvigeletur.

Fig. 48. 2. Affigatur ipsi Axis EF cum manubrio
EO & binis fulcris Ellipticæ figuræ
Axis imponatur.

3. Substernatur lutum, quod superius
§. 199. pro formandis Modulis pa-
rare docuimus.

4. Axis EF cum Plano AB circumdu-
catur, donec luto figura Elliptica,
quantum fieri potest, exactissime
fuerit impressa.

Fig. 49. 5. Axis figuræ Parabolicæ aut Hyper-
bolicæ CD apice E ita infigatur, ut
semper maneat erectus, prope ma-
nubrium vero ad fulcrum ali-
quod firmetur, & ut ante circum-
ducatur, donec luto circumposito
figuram sui accuratissime impresse-
rit.

6. Moduli pars sic formata exsiccatur
& vel pinguedine illinatur, vel pul-
vere lateritio conspergatur, atque
ex simili luto cavitati impresso Mo-
duli pars convexa paretur; quam
Modulum Masculinum, sicuti illam
Fœmininum appellare solent.

7. Modulus masculinus exsiccatus se-
cundum convexitatem ita jungatur
concavitati fœminini, ut inter utrum-
que tantum spatii relinquatur, quan-
tum Speculum occupare debet. Re-
liqua fiant ut supra (§. 199).

Specula Pyramidalia, Cylindrica atque
Conica, tam Convexa, quam Conca-
va, fiunt quoque ex folio selenitæ eo-
dem modo terminato, quo Specula Pla-
na terminari docuimus (§. 49), & vel
convexitati vel concavitati Cylindri aut

Coni, vel superficie Pyramidis ligneæ
superinducuntur: quod flexilitas mate-
riæ patitur.

SCHOLION.

263. *Specula Elliptica, Parabolica & Hy-
perbolica omnium difficillime parantur, quia
poliendo figura facile depravatur, si vel ma-
xime Modulus perfectam figuram Ellipticam,
Parabolicam vel Hyperbolicam, habuerit.*

DEFINITIO XXII.

294. *Speculo Cylindrico vel Conico se-
cundum longitudinem objici dicitur, quod
est in Plano EFHG Speculuna per Axem
CD, secante. Et Planum secat Specu-
lum per Axem, si Axis Speculi CD fue-
rit in Plano secante EFHG.*

DEFINITIO XXIII.

265. *Speculo Cylindrico vel Conico se-
cundum latitudinem objici dicitur, quod
est in Plano HLKI Basi MN parallelo
vel in eodem Plano, cui Speculum in-
sistit, ipsummet Diametro Speculi pa-
rallelum.*

OBSERVATIO III.

266. *Si Stylus aliquis Speculo Cylin-
drico secundum longitudinem objicitur:
Imago intra Speculum apparet in recta
Axi parallela, superficie quam Centri
propior, ejusdem fere cum Objecto lon-
gitudinis, ubi Oculus Stylo non fuerit
altior. Quidosi Oculum eleves, longitu-
do Imaginis extendetur; si deprimas, ea-
dem in se quasi contrahitur.*

COROLLARIUM I.

267. *Linea igitur Objectiva AB, qua-
Speculo secundum longitudinem objicitur,
intra Speculum habet Imaginem rectam
ab Axi CD parallelam, Objecto prope-
modum æqualem.*

COROLLARIUM II.

268. Dimensiones itaque Objectorum, longitudini Speculi Cylindrici respondentes parum mutantur.

OBSERVATIO IV.

269. Si Stylus in Plano, cui Speculum Cylindricum insistit, vel in Plano Basi Speculi parallelo vel Diametro Basis, vel Chordæ in directum collocetur; Imago, ut ante, intra Speculum apparet erecta in recta Axi parallela, superficie quam Centro propior. Quodsi Oculus elevatur, eadem celeritate, qua Oculus movetur, Imago extenditur multo magis, quam si Stylus fuerit in Plano Speculum per Axem secante; sin iste deprimitur, hec quasi in seipsum contrahitur.

COROLLARIUM I.

270. Lineæ igitur Objectivæ in Plano, cui Speculum insistit, vel quod Basi ejus parallelum, Diametro vel chordæ in directum jacentis MN Imago m n Axi Speculi CD parallela apparet, Punctumque remotius N videtur in Speculo altius in n.

COROLLARIUM II.

271. Linea itaque Objectiva in Plano, cui Speculum insistit vel quod Basi ejus parallelum, in directum jacens Diametro vel Chordæ, instar Lineæ apparet, quæ secundum longitudinem Speculo objicitur (§. 267).

OBSERVATIO V.

272. Si Stylus Speculo Cylindrico secundum latitudinem objicitur; Imago ejus apparet curva, eoque minor, quo à Speculo remotior.

COROLLARIUM I.

V 273. Linea igitur Objectiva, quæ Speculo secundum latitudinem objicitur, AB

vel CD Imaginem curvam habet, eoque minorem, quo à Speculo remotior.

COROLLARIUM II.

274. Quæ adeo Speculo Cylindrico secundum latitudinem objiciuntur; eorum figuræ mutantur & dimensiones eo magis minuantur, quo longius à Speculo distant.

SCHOLION II.

275. Hæc quidem de Imaginibus Objectorum in Speculis Cylindricis ab Experientia petere libuit, quia de loco earundem in hoc Speculorum genere adhuc desiderantur Demonstrationes satis firmæ ac inconcusse. Quæ enim ALHAZEN atque VITELLO eam in rem afferunt, non satisfaciunt. Neque adeo facile est Supplere hunc defectum, quia Planum reflexionis pro diverso Speculi & Puncti radiantis situ specie variat: id quod in Theoremate sequente demonstramus.

LEMMA.

276. Si Cylindrus oblique secatur, Tab.V. hoc est, ita ut Diameter sectionis FD Fig.52. continuata cum Diameter Basos Cylindri BA itidem continuata in G concurrit; Planum sectionis DHFR erit Ellipsis.

DEMONSTRATIO.

Ducantur enim ad Diametrum Circuli normales ML & IC, sitque in C Centrum Circuli. Ex I & M, itemque L & C, Q & O erigantur normales IH & MN, itemque CE, LK, OP & QR. Ducantur denique PH & RN: erit ob $MN = QR$ & $IH = OP$ ex natura sectionis, RN ipsi QM & PH ipsi OI parallela (§. 226. Geom.), consequenter ob EC & HI, itemque KL & MN parallelas (§. 256. Geom.), EH = CI & KN = LM (§. 257. Geom.). Quare cum sit (§. 268. Geom.).

GD: DE = GA: AC,
 & GD: DK = GA: AL
 & GK: KF = GL: LB
 adeoque etiam ob
 GD: GK = GA: GL:
 erit etiam (§. 197. *Arithm.*)
 GD: KF = GA: LB
 atque hinc porro (§. 196. *Arithm.*)
 DE: DK = AC: AL
 DE: KF = AC: LB
 consequenter
 DE²: DK. KF = AC²: AL. LB
 (§. 213. *Arithm.*),
 hoc est, ob AC = CI (§. 40. *Geom.*)
 = EH per demonstrata & AL. LB = LM²
 (§. 377. *Anal. finit.*) = KN² per de-
 monstr. DE²: DK. KF = EH²: KN²,
 adeoque DE²: EH² = DK. KF, KN²,
 (§. 173. *Arithm.*). Quoniam itaque
 (§. 268. *Geom.*).

GD: DE = GA: AC
 GE: EF = GC: CB
 GD: GE = GA: GC
 adeoque (§. 197. *Arithm.*)
 GD: EF = GA: CB
 & hinc porro (§. 196. *Arithm.*)
 DE: EF = AC: CB
 ac præterea AC = CB (§. 40. *Geom.*)
 erit DE = EF; adeoque DHF Ellipsis
 (§. 430. *Anal. finit.*) *Q. e. d.*

THEOREMA LXXIV.

277. Si Planum reflexionis per Axem Speculum Cylindricum fecet; reflexio eodem modo contingit ac in Speculo Plano: si fuerit Basi parallelum; reflexio fit ut in Speculo Sphaerico: si denique Speculum oblique fecet, seu si fuerit ad Basin ejus obliquum; reflexio fit ut in Speculo Elliptico.

DEMONSTRATIO.

Si Planum reflexionis per Axem fecet Speculum Cylindricum, communis intersectio Plani & Speculi est Linea recta (§. 465. *Geom.*). Radii igitur à Linea recta reflectuntur. Quoniam itaque communis intersectio Speculi Plani, & Plani reflexionis itidem Linea recta, adeoque etiam in hoc Radii à Linea recta reflectuntur; reflectio hoc in casu in Speculo Cylindrico perinde fieri debet, ac si in Plano contingret. *Quod erat unum.*

Si Planum reflexionis fecet Speculum Cylindricum per sectionem Basi parallelam; communis intersectio Plani & Speculi est Arcus Circuli (§. 466 *Geom.*). Quoniam itaque communis intersectio Speculi Sphaericæ & Plani reflexionis itidem arcus Circuli; reflexio in casu praesenti in Speculo Cylindrico perinde fieri debet, ac si in Sphaerico contingret. *Quod erat alterum.*

Denique si Planum reflexionis Speculum oblique fecet, Planum sectionis erit Ellipsis (§. 276). Cum adeo communis intersectio Speculi & Plani reflexionis sit Arcus Ellipticus; reflexio non aliter contingit, ac si in Speculo Elliptico fieret. *Quod erat tertium.*

COROLLARIUM.

278. Quoniam Planum reflexionis non transit per Axem Speculi, nisi cum Oculus & Linea Objectiva fuerint in eadem Plano; nec Basi parallelum existit, nisi cum Punctum radians & Oculus in eadem constituantur altitudine; reflexio in Speculo Cylindrico plerumque fit, ac si in Elliptico contingret.

SCHOLION.

279. Apparet adeo, à Theoria Speculi Elliptici multum luminis expectare Cylindricum.

THEOREMA LXXV.

280. Specula Cylindrica deformant Imagines Objectorum.

DEMONSTRATIO.

Objectorum enim dimensionem, quæ longitudini eorum respondet, parum mutant nec juxta eas figuræ vim inferunt (§. 268): quæ vero latitudini respondent, eam eo magis minuunt, quo longius à Speculo distant Objecta, simulque juxta eam figuræ immutant (§. 274). Sublata igitur partium secundum longitudinem & latitudinem proportione & figura mutata, Imagines deformes evadunt. Q.e.d.

SCHOLION I.

281. Deformationes, vi §. 268. & 274. in dato quolibet casu hand difficulter prædicuntur. Ponamus e. gr. faciem hominis ita obisci Speculo Cylindrico, ut longitudine sit Axi, latitudine Diametro parallela: apparebit admodum longa, sed vix digitum lata. Contra si eandem eidem ita objicias, ut latitudo sit Axi, longitudine Diametro parallela; ejus figura erit Ovalis latitudine altitudinem plurimum excedente. Nasum habebis exiguum, Os admodum latum, Oculos fere clausos.

SCHOLION II.

282. Quemadmodum vero Specula Cylindrica Imagines formosas deformant; ita è contrario deformatas reformat. Ut autem intelligatur, quomodo Imagines deformari possint, ut in Speculo Cylindrico formose apparet; sequens præmittenda est Theoria.

DEFINITIO XXIV.

283. Si ex Oculo O in Planum, cui Speculum insistit, perpendicularis demittatur OE; Punctum E dicitur Punc-

tum suboculare. Recta ex Puncto suboculari E ad Punctum D, cui Linea reflectens CD insistit ducta ED, vocatur subocularis. Tab.V. Fig.53.

THEOREMA LXXVI.

284. Linea Objectiva cum Axi parallela PB, tum Diametro vel Chordæ in directum jacens AB habet singula Puncta reflexionis in recta CD Axi parallela.

DEMONSTRATIO.

Utriusque Lineæ Imago ab est Axi parallela (§. 267. 271) & singulæ rectæ in superficie Cylindri Peripheriæ Basis perpendiculariter insistentes sunt eidem Axi parallelæ (§. 465. 336. Geom.). Ergo Imago ab est rectæ cuilibet in superficie Speculi parallela (§. 495 Geom.). Quoniam vero Imago ab instar Objecti radiat in O per Radios reflexos Oa, Ob &c. (§. 348. Optic.), Radii vero reflexi omnes à recta ab ad idem Punctum O ductæ in eodem sunt Plano; Triangulum aOb Speculum secundum longitudinem secabit, adeoque singula Puncta reflexionis erunt in recta CD Axi parallela. Q.e.d.

THEOREMA LXXVII.

285. Si Linea Objectiva AD consideretur ut Radius incidens; erit subocularis DE reflexus.

DEMONSTRATIO.

Quoniam in Plano AD sunt Radii incidentes, in Plano vero COED reflexi (§. 293); utrumque Planum ad Planum obliquationis eandem habet inclinationem (§. 144). Quodsi ergo Planum obli-

Tab. V. quationis fecet Planum suboculare in Fig. 53. DG: erit $EDG = GDA$ (§. 509. Geom.). Est itaque ED reflexus incidentis AD (§. 24). Q. e. d.

COROLLARIUM.

286. Data igitur Linea Objectiva AB in Plano, cui Speculum Cylindricum insistit, invenitur subocularis ED, si ducta ex Centro Speculi per Punctum incidentiae D recta DG, tanquam Catheto obliquationis (§. 146), fiat $EDG = GDA$ & contra.

THEOREMA LXXXVIII.

Tab. V.
Fig. 54. 287. Si Radius AB incidat in Speculum Cylindricum & inde reflectatur per BC; erit Angulus ABE Angulo DBC aequalis.

DEMONSTRATIO.

Fiat $AB = BC$ & Puncta A atque C connectantur recta AC. Ducatur per Punctum reflexionis B Tangens FG & ex A atque C demittantur perpendicularares AG & CF. Fiat denique $DB = BE$, ducanturque rectae EA, EG, DF & DC.

Quoniam $ABG = CBF$ (§. 24), $AGB = CFB$ (§. 145. Geom.) & $AB = CB$ per constr. erit $BG = FB$ & $AG = FC$ (§. 252. Geom.). Porro $FB = BG$, per demonstr. $DBF = GBE$ (§. 156. Geom.) & $DB = BE$ per constr. Ergo $FD = GE$ (§. 279. Geom.). Quia Planum reflexionis FCAG ad Planum tangens Speculum in Puncto reflexionis DFEG rectum est (§. 38) & AG atque CF perpendicularares ad illud Planum in Punctis G & F, per construct. erit quoque AG perpendicularis ad EG, & CF perpendicularis ad FD (§. 484. Geom.), adeoque $AGE = CFD$ (§. 145. Geom.). Est vero etiam

$FD = GE$ & $CF = AG$, per demonstr. Ergo $CD = AE$ (§. 179. Geom.). Cum itaque etiam sit $AB = BC$ & $DB = BE$ per construct. erit Angulus EBA = CBD (§. 204. Geom.). Q. e. d.

SCHOLION.

288. Facilius foret Demonstratio in Schematismo reali, si nempe Cylindro Ligneo debita ratione affigerentur fila ferrea, Lineas representantia, ut singularum Linearum singularumque Angulorum vera quantitas in suo Plano appareret: quod & in similibus casibus tenendum. Difficulter enim Imaginatio per Intellectum rectificatur, si sensus huic contraria exhibet.

THEOREMA LXXXIX.

289. In Speculo Cylindrico est altitudo Oculi CE ad altitudinem Puncti reflexionis GB, ut composita ex suboculari EG & Linea Objectiva in Plano Horizontali GA ad eandem Objectivam GA.

DEMONSTRATIO.

Quia CE & BG ad EH perpendicularares per hypoth. erit $CE : BG = EH : GH$ (§. 267. Geom.). Et quia BG etiam perpendicularis ad GA (§. 484. Geom.), adeoque $BGA = BGH$ (§. 145. Geom.) præterea $CBD = HBG$ (§. 156. Geom.) & $CBD = GBA$ (§. 287), adeoque $HBG = GBA$ (§. 87. Arithm.): erit $GA = GH$ (§. 251. Geom.) & hinc $EH = EG + GA$ (§. 88. Arithm.), consequenter $CE : BG = EG + GA : GA$. Q. e. d.

PROBLEMA XXV.

290. Figuram in Plano Horizontali delineare, quæ in Speculo Cylindrico ibidem collocata appareat instar quadrati in plures areolas quadratas minores divisi.

RESOLUTIO.

1. Circa Diametrum Speculi Cylindrici describatur Circulus Basi Cylindri æqualis HBC (§. 171. Geom.).
2. Assumto Puncto suboculari O ducantur Tangentes OC & OB (§. 291. *Analys. finit.*), quia ultra eas nullus Radius à Speculo reflexus in Oculum cadere potest. Possunt etiam duci rectæ OC & OB ita, ut Circulum secant, quia, quæ per Tangentes videntur, non satis distincta apparent.
3. Puncta contactus vel intersectionum C & B connectantur recta CB, quæ assumenda pro latere quadrati in Speculo apparentis, quia Imago in Speculo Cylindrico inter Centrum & superficiem comparet (§. 269).
4. Dividatur CB in quotcunque partes æquales & ex singulis divisionum Punctis 1. 2. 3. &c. ducantur ad Punctum suboculare O rectæ OI, O2, O3 &c.
5. Radii OH, OI &c. reflectantur in F, G &c. (§. 286): fiant nempe HF, IG &c. reflexi ipsorum OI, O3 &c.
6. Super recta indefinita MQ erigatur perpendicularis MP, quæ sit altitudini Oculi æqualis.
7. Ex M in Q transferatur subocularis OH, & in Q erigatur perpendicularis QR, quæ sit lateri quadrati in Speculo apparentis æqualis & in tot. partes æquales divisa, in quot latus istud dividere libuit.
8. Per singula divisionum Puncta 1. 2. 3. &c. ducantur rectæ PI, PII, PIII &c.

9. Ex I. in I, II, III &c. transferantur rectæ I. I, I. II, I. III &c. ipsis QI, QII QIII &c. æquales:
10. Eodem modo dividantur rectæ H F &c. & per Puncta divisionum ejusdem ordinis ducantur Curvæ: vel quia summa accuratione in talibus non est opus, per tria Puncta ducantur Arcus circulares, ut in figura factum esse compareret.

Dico, figuram SFGT in Speculo Cylindrico CHB erecto instar quadrati in areolas quadratas æquales divisi apparierat.

DEMONSTRATIO.

Recta IG appareat in Speculo verticaliter erecta (§. 269) & quia OI & GI ad Speculum æqualiter inclinantur *per construct.* erit OI subocularis (§. 283) & hinc recta GI reflectetur in Oculum O à superficie Speculi (§. 285). Quoniam vero est composita ex suboculari OI & recta GI ad rectam GI, ut altitudo Oculi ad latus quadrati in Speculo apparentis, *per construct.* erit IG Linea Objectiva, quæ in Speculo apparent lateri quadrati quam proxime æqualis (§. 289). Et eodem modo constat, apparere I. I, I. II, I. III &c. uni, duabus, tribus &c. partibus ejusdem lateris æquales. Idem cum de reliquis lineis in Plano ductis HF, &c. demonstretur; figura in Plano delineata in Speculo Cylindrico instar quadrati in areolas quadratas æquales divisi apparere debet. Q. e. d.

COROLLARIUM.

291. Quodsi ergo quadratum construatur, cuius latus sit ipsis QR æquale, idem-

V. 3. que

Tab.
VI.
Fig.
56.
n. 1.

que in areolas æquales, ut ante, dividatur, & in ejus area Imago quæcunque pingatur, tandem quæ in singulis areolis ejusdem comparent in areolas respondentes quadrati deformati transferantur; Imago deformata per reflexionem reformabitur, videbiturque in Speculo formosa.

SCHOLION. I.

292. Quadratum in areolas æquales divisum, in quo Imago delineatur, appellari solet Craticula Prototypi; figura vero deforma-ta, quæ in Speculo instar quadrati in areolas æquales divisi appareat, Cratycula Etypi. Quodsi igitur semel Craticula Etypi delineata fuerit, sine ulla molestia tories multiplicari potest, quoties libuerit, si singula Puncta intersektionum I, II, III &c. acu perforentur & pulvis carbonum subtilis linteo inclusus in chartam aliam subiectam transmittatur.

SCHOLION II.

293. Quodsi quis in Arte delineandi non fuerit satis exercitatus; ei percommoda erit Machina Anamorphotica ab ingenuo Mechanico Lipsiensi JACOBO LEUPOLO inventa & in Actis Eruditorum A. 1712. descripta. Etsi enim rigorem Geometricum non sustineat (id quod Geometriæ ignari exinde colligere possunt quia quadratum per Machinam istam deformatum in Speculo non appetet in areolas æquales divisum); ad praxin tamen, ubi summa accuratione opus non est, abunde sufficit, prout unusquisque experire facile potest.

THEOREMA LXXX.

294. Si Radii paralleli ita incident in superficiem Speculi Cylindrici Concavi, ut Axem ejus ad angulos rectos secent, & inclinatio eorundem ad Speculum fuerit 60 gradibus minor; post reflexionem uniuntur in Linea recta Axi parallela, quæ minori intervallo quam quarta Diametri parte distat.

DEMONSTRATIO.

Quodsi Speculum Cylindricum sectetur per Plana ad Axem recta seu Basi parallela; intersectiones in superficie Speculi erunt Peripheriæ Circulorum æqualium (§. 466. Geom.). Quare cum Radii incident paralleli per hypoth. qui ex singulis Peripheriis reflectuntur, in Puncto aliquo concurrunt, quod minore intervallo, quam quarta Diametri parte à Speculo distat (§. 209) & ob Circulorum æqualitatem singula Puncta concursus à Centris suorum Circulorum æqualiter distant (§. 210). Quare cum Centra omnia sint in Axe (§. 465. Geom.); omnia Puncta concursus ab Axe eodem intervallo distant. Concurrunt itaque in recta Axi parallela (§. 81. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

295. Quoniam Radii Solares sunt ad sensum paralleli (§. 93. Optic.); si Speculum Cylindricum Cavum Soli directe objicitur, per reflexionem formabitur Linea lucida Axi parallela, intervallo minore, quam quarta Diametri parte à Speculo distans.

COROLLARIUM II.

296. Quia igitur in uno Puncto (Physico scilicet, non Mathematico) tantum uniuntur Radii ab uno Arcu reflexi; Speculum Cylindricum Cavum non est uestitorum (§. 214).

THEOREMA LXXXI.

297. Radii AB & AD, qui ex eodem Puncto Axis A in eandem Peripheriam HI Speculi Cylindrici Concavi incident, post reflexionem in uno Puncto F uniuntur, quod tanto intervallo distat à Centro Circuli C, in cuius Peripheria reflexio contingit, quanto Punctum radians A inde removetur.

DEMONSTRATIO.

Ex Centro C concipientur ducti Radii CB & CD ad Puncta reflexionis B & D. Quoniam Planum Circuli, cuius Centrum est in C, Axem ad angulos rectos fecat, erunt BCA & BCF anguli recti (§. 484. Geom.). Et quia BC ad Arcum HI perpendicularis (§. 38. Analys. infinit.); erit ABC = CBF (§. 144), consequenter AC = CF (§. 251. Geom.). Radius igitur BF in Puncto B reflexus Axem fecat in Puncto F, quod tanto intervallo à Centro C distat, quanto Punctum radians A inde removetur. Quare cum eodem modo ostendatur, incidentem AD vel quemcunque alium ita reflecti, ut Axem fecerit in distantia CF ipsi AC æquali; evidens est omnes Radios, qui à Peripheria HI reflectuntur, se mutuo intersecare in Puncto F. Q. e.d.

COROLLARIUM I.

298. Per Radios igitur reflexos OD, PB &c. Punctum A videri debet in F (§. 348. Optic.).

COROLLARIUM II.

299. Quoniam Speculum Cylindricum secundum longitudinem est Planum (§. 277. Punctum G à punto sublimiori L in Oculum O reflectitur (§. 69). Quare cum omes Radii à Peripheria ST reflexi Axem in R secant (§. 297), Punctum G videbitur in R, consequenter recta AG in FR (§. 346. Optic.) adeoque Vissibile situ inverso videtur.

SCHOLION.

300. Hinc intelligitur, quomodo KIRCHERUS & SCHOTTUS (a) ope Speculi Cylindrici Concavi efficere potuerint, ut flamma candelæ

supra Speculi orificium in libero aëre pendula, admirantibus artificii Catoptrici ignaris, innoxie tangeretur. Idem KIRCHERUS, referente SCHOTTO (b) Speculo Cylindrico Concavo ex mistura confecto Ascensionem Domini ita ad vivum exhibuit, ut omnes figuræ in medio aëris pendere viderentur. Ut vero artificium tegi possit, Speculum semicylindricum includitur Theca Cylindrica & imagines in fundo ita collocantur, ut sitæ sint Inversæ respectu intuentis, nec prorsus Horizontaliter prostratae, sed versus Oculum elevatae. Horum vero omnium Demonstratio limites nostros excedere videtur.

PROBLEMA XXVI.

301. Delineare figuram deformem, quæ Oculo supra Axem Speculi Conici elevato appareat formosa.

RESOLUTIO.

1. Quoniam, teste Experientia, Oculo supra Axem Speculi Conici elevato omnis circumjecta planities superficiem totius Speculi implere videtur & per foramen admodum exiguum transpicienti instar Circuli Basi æqualis propemodum appetet; ideo Imago deformanda delineatur in Circulo Speculi Conici Basi æquali & tam Peripheria per Diametros a d, be, cf &c. quam Radii Ob, Oc, Og, Od &c. per Circulos Concentricos in partes quotcunque æquales OI, I. 2, 2. 3 &c. dividuntur.
2. Ut habeantur Puncta I. II. III &c in planitie circumjecta, quæ per Radios reflexos intra Speculum in I, 2, 3 &c. videntur; construatur Triangulum rectangulum AOE, cuius Basis

Tab.
VI.
Fig.
58.

n. 1.

n. 3.

(a) Vid SCHOTTUS in Magia Universalis Part. I. Lib. VI. Cap. 4. Prop. 1. Cor. p. 351.

(b) Loc. cit.

Tab.
VI.
Fig.
58.
n. 3.

- Basis OE sit Radio Speculi, altitudo AO altitudini seu Axi ejusdem æqualis, & in AO producta sumatur AB altitudini Oculi æqualis.
3. Ad singula divisionum Puncta I, 2, 3 &c. ex Puncto B, in quo supponitur Oculus, ducantur rectæ BI, B2, B3 &c.
 4. Quoniam hi sunt Radii reflexi, per quos Puncta I, 2, 3 &c videntur, AE vero est intersectio Plani reflexionis & Speculi; fiant Anguli I. AE, II. DE &c. æquales Angulis BAG, BDG &c. erunt AI, DII &c. Radii incidentes (§. 24), consequenter, I, II &c. Puncta radiantia, quæ per reflexionem in I, 2 &c. videntur.
 5. Producantur itaque Radii Oa, Ob, Oc &c. in Craticula Prototypi, & in continuatos transferantur divisiones OI, OII, OIII &c. tandemque ex Centro O ducantur Circuli Concentrici: ita prodibit Craticula Ectypi.
 6. Quodsi itaque per singulas ejus areolas dispergantur, quæ in respondentibus areolis Craticulæ Prototypi depicta cernuntur; figura prodibit difformis, quæ Oculo supra verticem Speculi Conici decenter elevato, formosa appareat. Q. e. d.

SCHOLION I.

302. *Supra landatus LEUPOLDUS Machinam quoque invenit Anamorphoticam, in Actis Eruditorum (a) descriptam, per quam Imagines deformes delineari possunt, à Speculo Conico ita reformandas, ut satis formosæ in eo appareant.*

(a) An. 1712. p. 367.

SCHOLION II.

303. *Possunt quoque fieri Imagines deformes iis similes, quæ à Speculis Cylindricis reformantur, Oculo ante Speculum Conicum constituto formæ apparitura: sed quia priores magis deformantur, ideo posterioribus præferuntur.*

PROBLEMA XXVII.

304. *Imaginem deformem delineare, quæ Oculo super Axe Speculi Pyramidalis elevato formosa appareat.*

RESOLUTIO.

Sit e. gr. Imago deformis delineanda, quæ à Speculo Pyramidali quadrangulari reformatur.

1. Quia, Experientia teste, Speculum Pyramidale super Basi ABCD elevatum non reflectit nisi Triangula BEC, CFD, DGA, AHB in Plano circumjecto descripta in Oculum super Axe elevatum, ex intermediis spatiis HBE, ECF &c. nullus Radius ad eundem pertingit; illa vero Triangula totam Speculi superficiem occupant & per foramen exiguum transpicienti ad idein Planum Basi æquale ABCD deprecta apparent; ideo Imago deforma delinqueatur in nostro casu in quadrato ABCD Basi Speculi æquali & ex Centro E tum per diagonales, tum per rectas latera AB, BC &c. bisecantes Perimeter in partes æquales dividitur, porro etiam recta EL & EB in partes quotunque æquales dividitur, ut ductis per puncta divisionum Lineis, quæ lateribus Baseos sint æquidistantes, Prototypon Craticulæ includatur.

2. Jam

1. Jam cum sectio Speculi per Axem & rectam EL in Basi ductam sit Triangulum rectangulum, & quodlibet Panctum divisionis Craticulæ Prototypi sit in Radio reflexo; eodem prorsus modo, quo in Problemate præcedente (§. 301) inveniuntur Puncta in Axe LE Trianguli reflectendi BEC, I, II, III &c. quibus datis, ipsum construi potest.
2. Reliqua deinde itidem eodem modo peragantur, quo in Problemate citato.

SCHOLION.

305. *Anamorphoses, quæ ope Speculorum Pyramidalium perficiuntur, magis placent reliquis, quia Imaginis deformatæ partes sunt disjunctæ & inter eas alia quæcunque depingi possunt, unum continuum extra Speculum cum ipsis formantia, in Speculo autem non videntur: quo ipso obtinetur, ut illa extra Speculum difficilius dignoscantur.*

THEOREMA LXXXI.

306. *Omnes Radii LM, Im &c. cum Axe AX paralleli in Speculum Parabolicum incidentes in Foco Parabolæ generatrixis F concurrunt.*

DEMONSTRATIO.

Tangat enim TG Parabolam in M; erit $TF = FM$ (§. 411. *Analys. finit.*). Ergo angulus MTF = TMF (§. 184. *Geom.*). Quoniam vero ML ipsi AX parallela per hypoth. erit etiam LMG = MTF (§. 233. *Geom.*), consequenter TMF = GML (§. 87. *Arithm.*). Est igitur MF Radius reflexus incidentis LM (§. 24). Quare cum eodem modo

ostendatur, esse Fm cujuscunque alterius ml reflexum; Radii omnes Axi Fig. 60. paralleli in eodem Puncto F, Foco nempe Parabolæ, uniuntur. Q. e. d.

COROLLARIUM.

307. Quia Radii paralleli omnes in uno Puncto uniuntur, Specula Parabolica inter istoria sunt omnium præstantissima (213. 214. *Optic.*).

SCHOLION. I.

308. *Paranda sunt Specula Parabolica instar Tubæ per revolutionem Arcus HI circa Axem AX genitæ, ut Focus F sit extra Speculum.*

SCHOLION II.

309. *Pater jam ratio, cur Punctum F distans à vertice Parabolæ A quarta Parametri parte AF dicatur Focus, quia nempe ibi per Radios reflexos excitatur ignis.*

THEOREMA LXXXII.

310. *Radius FM ex uno Foco F in Tab. V. Speculum Ellipticum incidens in Focum Fig. 61. alterum G reflectitur.*

DEMONSTRATIO.

Recta FM ex Foco F ducta continuetur in I, donec IM = MG. Angulus IMG per rectam CD dividatur bifariam (§. 209. *Geom.*), & ad Punctum quodcumque H ducantur rectæ HI, HF, HG. Quoniam $o = x$ & MI = MG per construct. erit IH = HG (§. 179. *Geom.*). Sed IH + HF > IF (§. 189. *Geom.*). Ergo HF + HG > IF, consequenter ob MI = MG per construct. & FM + MG = AB (§. 334. *Analys. finit.*) adeoque FM + MI (= IF) = AB, HF + HG > AB (§. 87. *Arithm.*). Punctum igitur H & quodcumque aliud extra M in recta

X

CD

Tab.V. CD assumptum extra Ellipsin cadit (§. Fig. 61. cit. Analyſ.), & hinc CD Ellipsin in M tangit (§. 47. Geom.). Quare cum verticales ad M nempe CMF & IMH sint æquales (§. 156. Geom.) & $o = x$ per conſtr. adeoque $CMF = GMD$ (§. 87.

Arithm.); si FM fuerit Radius incidens; erit MG reflexus (§. 24). Q. e. d.

COROLLARIUM.

311. Si igitur Candela accensa ponatur in Foco Speculi Elliptici uno F; Radii ejus post reflexionem coēunt in altero G.

C A P U T V.

De Catoptrica Analytica, seu modo investigandi Theorematum Catoptrica per Analyſin.

PROBLEMA XXVIII.

Tab. 312. *D*ata distantia AB Puncti radiantis A a superficie Speculi Sphaerici Concavi DBE, invenire Punctum F, in quo Radius reflexus DF cum Axe AB concurrit.

R E S O L U T I O.

Sit in C Centrum Speculi & CB Radius = a , distantia Puncti radiantis AB = b , BF = x ; erit FC = $b - x$. Quoniam supponimus Oculum, qui videt Imaginem Punctis radiantis A in Speculo, esse in Axe constitutum, ut Radius reflexus DF in eundem incidere possit, Radius incidens AD Axi AB valde vicinus esse debet, ut adeo Arcus DB, Anguli DCB mensura (§. 57. Geom.), consequenter & ipse Angulus DCB admodum exiguus sit (§. 58. 59. Geom.). Erunt igitur multo magis Anguli o & n (§. 239. Geom.), itemque Angulus y (§. 144) valde exigui. Eadem de causa DC & CB, itemque DF & FB tanquam quantitate contentibili differentes pro

æqualibus assumi possunt. Quoniam itaque $m: y = FD: CF$ & $n: o = DC: AC$ (§. 19. Trigon.); erit $n + o: o = DC + AC: AC$ (§. 190. Arithm.), seu ob $n + o = m$, $o = y$, & $DC = CB$, $m: y = AB: AC$ (§. 168. Arithm.), consequenter (§. 167. Arithm.).

$$AB: AC = FB: CF$$

$$b: b - a = x: a - x$$

adeoque $2b - a: b = a: x$ (§. 190. Arithm.).

$$\text{Et hinc } \frac{ab}{2b - a} = x$$

$$\text{seu } FB = \frac{AB \cdot BC}{2AB - BC} = \frac{AB \cdot BC}{AB + AC}$$

ob $AB - BC = AC$.

Theorema. Si Radius AD insuperficiem Speculi Concavi incidens ab Axe AB divergit; erit distantia Puncti concursus F à superficie Speculi BF ad semidiametrum BC, ut distantia Puncti radiantis à superficie Speculi AB ad compositam ex eadem distantia & distantia Puncti radiantis à Centro AC.

Quodsi distantia Puncti concursus F
sive Foci à Centro CF desideretur,
cum sit

$$CF = BC - FB$$

$$\text{erit } CF = a - \frac{ab}{2b-a}$$

$$= \frac{2ab - a^2 - ab}{2b-a} = \frac{ab - a^2}{2b-a}$$

$$= \frac{AC \cdot BC}{2AB-BC} = \frac{AC \cdot CB}{AB+AC}$$

Theorema. Si Radius AD in superficiem Speculi Concavi incidens ab Axe divergit; erit ut composita ex distantia Puncti radiantis à superficie Speculi & ejus distantia à Centro, ad distantiam à Centro Speculi; ita semidiameter Speculi, ad distantiam Foci à Centro.

COROLLARIUM I.

313. Si distantia Puncti radiantis AB sit infinita, erit BC respectu AB infinite parva, adeoque AB & AC haberi possunt pro æqualibus (§. 4. *Analys. infin.*). Quamobrem $FB = \frac{AB \cdot BC}{2AB}$ (§. 312) $= \frac{1}{2} BC$, hoc est, distantia Foci à Speculo FB est dimidio Radio, seu quartæ Diametri parti æqualis: quod consonum iis, quæ supra demonstravimus (§. 209. 211).

COROLLARIUM II.

314. Quodsi ut ante distantia Puncti radiantis AB sit infinita, erit CF ob rationem eandem $= \frac{AC \cdot BC}{2AC} = \frac{1}{2} BC$, hoc est, distantia Foci à Centro est quartæ Diametri parti æqualis: id quod convenit cum Corollario præcedente (§. 313).

COROLLARIUM III.

315. Quodsi $AB > BC$, hoc est, si Punctum radians A ultra Centrum C à Speculo Sphærico Concavo distet; cum sit $2AB - AB = AB$, erit $2AB - BC > AB$ (§. 92. *Arithm.*). Enimvero $FB = \frac{AB \cdot BC}{2AB-BC}$

(§. 112) & $\frac{AB \cdot BC}{AB} = BC$. Quamobrem si $AB \cdot BC$ dividatur per quantitatem ipsa AB majorem, veluti hic per $2AB - BC$; erit $FB < BC$ (§. 202. *Arithm.*), hoc est, distantia Foci F à superficie Speculi est Radio BC minor, seu Punctum concursus cum Axe intra Centrum à Speculo distat.

COROLLARIUM IV.

316. Similiter si $AB > BC$, seu distantia Puncti radiantis à Speculo Sphærico Concavo major Radio; erit $AB > AC$ & $AB + AC > 2AC$ (§. 90. *Arithm.*). Quamobrem cum sit $CF = \frac{AC \cdot BC}{AB+AC}$ (§. 312) & $\frac{AC \cdot BC}{2AC} = \frac{1}{2} BC$; erit $CF < \frac{1}{2} BC$ (§. 202. *Arithm.*), hoc est, distantia Puncti concursus à Centro est $< \frac{1}{2} BC$, seu quartæ Diametri parte.

COROLLARIUM V.

317. Quamobrem cum Focus Radiorum parallelorum (qui proprie Focus dicitur) distet à Centro intervallo $\frac{1}{2} BC$; Radius vero divergens AD cum Axe post reflexionem concurrat intervallo minore quam $\frac{1}{2} BC$; Punctum concursus F erit inter Centrum & Focum Radiorum parallelorum.

COROLLARIUM VI.

318. Quodsi fuerit $AB = BC$, hoc est, si Punctum radians fuerit in Centro Speculi

Tab.
VII.
Fig.
63.

Tab. culi Sphærici Concavi, erit $BF = \frac{BC \cdot BC}{2BC - BC}$.
 VII.
 Fig. ($\S. 312$) $= \frac{BC \cdot BC}{BC} = BC$, hoc est, Punctum concursus erit in ipso Centro C. Idem etiam patet hoc modo. $CF = \frac{AC \cdot BC}{BA + AC}$ ($\S. 312$). Sed quando $AB = BC$, erit $AC = AB - BC = 0$, adeoque $CF = 0$, hoc est, distantia Puncti concursus à Centro nulla est, consequenter Punctum concursus in ipso Centro est, seu Radius reflexus cum Axe in Puncto radiante concurrit.

COROLLARIUM VII.

319. Quodsi fuerit $AB = \frac{1}{2} BC$, hoc est, si Punctum radians fuerit in Foco Radiorum parallelorum ($\S. 313$); erit $BF = \frac{\frac{1}{2} BC \cdot BC}{BC - BC}$ ($\S. 312$) $= \frac{\frac{1}{2} BC \cdot BC}{0}$.

Quamobrem cum BF in hoc casu sit quantitas infinita, Punctum concursus cum Axe à Speculo infinito intervallo distat. Quoniam itaque Radius ex Foco in Speculum incidens post reflexionem cum Axe non concurrit, nisi intervallo infinito, hoc est, nunquam; Radius ex Foco in Speculum incidens erit post reflexionem Axi parallelus, quemadmodum supra demonstratum ($\S. 224$).

COROLLARIUM VIII.

320. Similiter si fuerit $AB = \frac{1}{2} BC$; erit $CF = BC$. ($AB - BC$): ($2AB - BC$)

$$(\S. 313) = \frac{BC - \frac{1}{2} BC}{BC - BC} = -\frac{\frac{1}{2} BC^2}{0} = \infty.$$

Est igitur distantia Puncti concursus à Centro infinita, hoc est, Radius ex Foco in Speculum Concavum incidens post reflexionem ultra Centrum concurrit intervallo infinito, hoc est, nunquam: id quod cum Corollario præcedente convenit.

COROLLARIUM IX.

321. Quodsi fuerit $AB < CB$, sed $> \frac{1}{2} CB$, hoc est, si Punctum radians inter Focum & Centrum consistat, erit $2AB > CB$. Ponamus excessum rectæ $2AB$ supra CB esse rectam quandam GH: erit

$$2AB = CB + GH$$

$$\begin{aligned} 2AB \cdot \frac{1}{2} CB &= CB \cdot \frac{1}{2} CB + GH \cdot \frac{1}{2} CB \\ &\& 2AB - CB = GH \\ \hline AB \cdot CB &= CB \cdot \frac{1}{2} CB \\ 2AB - CB &= GH + \frac{1}{2} CB \end{aligned}$$

($\S. 94$. Arithm.)

$$\frac{AB \cdot CB}{2AB - CB} > \frac{1}{2} CB (\S. 84. Arithm.)$$

$$\text{Enimvero } FB = \frac{AB \cdot CB}{2AB - CB} (\S. 313).$$

Ergo $FB > \frac{1}{2} CB$ ($\S. 89. Arithm.$), hoc est, si Punctum radians inter Centrum atque Focum constituatur, Radius divergens ab Axe post reflexionem cum eodem concurrit in distantia quarta Diametri parte majore à superficie Speculi.

COROLLARIUM X.

322. Iisdem positis, quæ in Corollario præcedente, erit

$$2AB = CB + GH$$

$$AB = \frac{1}{2} CB + \frac{1}{2} GH$$

$$AB - CB = \frac{1}{2} GH - \frac{1}{2} CB$$

$$(AB - CB) CB = \frac{1}{2} GH \cdot CB - \frac{1}{2} CB^2$$

$$\frac{(AB - CB) CB}{2AB - CB} = \frac{\frac{1}{2} CB}{2AB - CB} - \frac{\frac{1}{2} CB^2}{GH}$$

$$(\S. 94. Arithm.) < \frac{1}{2} CB (\S. 84. Arithm.)$$

$$\text{Sed } FC = \frac{(AB - BC) BC}{2AB - CB}$$

Ergo $FC < \frac{1}{2} CB$ ($\S. 89. Arithm.$), hoc

hoc est, si Punctum radians inter Centrum atque Focum constituitur, Radius divergens ab Axe post reflexionem cum eodem concurrit in distantia à Centro quarta Diametri parte minore.

COROLLARIUM XI.

323. Quoniam si ex Puncto radiante inter Centrum & Focum constituto Radius in Speculum Sphaericum Concavum non procul ab Axe incidit, ab eodem reflexus cum Axe concurrit in distantia majore quarta Diametri parte à superficie Speculi (§. 321) & minore quarta Diametri parte à Centro (§. 322); Focus autem à Centro non minus, quam à superficie dimidia Radii seu quarta Diametri parte distat (§. 313); Punctum concursus in hoc casu inter Focum atque Centrum est.

COROLLARIUM XII.

324. Si denique $AB < \frac{1}{2}CB$, hoc est, si Punctum radians fuerit inter Focum & superficiem Speculi; erit etiam $2AB < CB$ (§. 180. Arithm.) & hinc $2AB - BC$ quantitas negativa (§. 17. Analyt. finit.), consequenter $FB = \frac{AB \cdot BC}{2AB - BC}$ est quantitas negativa (§. 32. Analyt. fin.). id quod indicio est Punctum concursus esse post Speculum. Ut enim sit positiva, fieri debet $\frac{AB \cdot BC}{BC - 2AB}$.

COROLLARIUM XIII.

325. Quoniam Radius AD ex Puncto A inter Focum & superficiem Speculi posito in superficiem Speculi incidentis ita reflectitur in DG, ut retro continuatus concurrat cum Axe post Speculum in F, ex Puncto F post reflexionem ab Axe divergit (§. 84. Geom.).

COROLLARIUM XIV.

326. Cum Punctum radians A supponatur in Axe Speculi, qui utpote per Centrum C transiens (§. 470. Geom.) ad superficiem Speculi perpendicularis (§. 38.

Anlys. infinit.); erit Axis Speculi Cathetus incidentia (§. 16. Quamobrem cum in Speculo Sphaericu Coucavo plerumque locus Imaginis sit in concursu Radii reflexi cum Catheto incidentia (§. 236); per ea, quæ de Puncto concursus dicta sunt, locus Imaginis in diversis casibus determinatur, suntque distantiae illius Puncti à superficie Speculi distantia Imaginum à Speculo.

COROLLARIUM XV.

327. Sit distantia Punctorum radians à superficie Speculi in ratione $1:m$. Erunt ergo distantiae Imaginum à Speculo ut $AB : BC : mAB : BC$ ($\frac{1}{2}AB - BC$ ad $\frac{1}{2}mAB - BC$) (§. 311. 326), consequenter ut $\frac{1}{2}AB - BC$ ad $\frac{m}{2mAB - BC}$ ($\frac{1}{2}AB - BC$ ad $\frac{m}{2mAB - mBC}$) (§. 181. Arithm.), seu ut $2mAB - BC$ ad $2mAB - mBC$ ($\frac{1}{2}AB - BC$ ad $\frac{m}{2mAB - mBC}$). Quodsi sit $m > 1$; erit $2mAB - BC > 2mAB - mBC$ si vero $m < 1$; erit $2mAB - BC < 2mAB - mBC$.

COROLLARIUM XVI.

328. Quodsi ergo $AB > BC$, hoc est, si Punctum radians fuerit ultra Centrum à Speculo remotum; Objecto à Speculo recedente, Imago ad idem accedit (§. 327).

COROLLARIUM XVII.

329. Quodsi Punctum radians fuerit ultra Centrum à Speculo remotum, Objecto ad Speculum accedente, Imago ab eodem recedit.

COROLLARIUM XVIII.

330. Sit jam $2AB < BC$, adeoque $AB < \frac{1}{2}BC$, hoc est, sit Punctum radians inter Focum & superficiem Speculi; erunt distantiae Imaginum ut $\frac{AB \cdot BC}{BC - 2AB}$ ad $\frac{mAB \cdot BC}{BC - 2mAB}$ ($\frac{1}{2}AB - BC$ ad $\frac{1}{2}mAB - BC$), consequenter ut $BC - 2AB$ ad $mBC - 2mAB$. Quodsi ergo $m > 1$; erit $mBC > BC$, adeoque $BC - 2mAB < mBC - 2mAB$. Si vero $m > 1$; erit $BC > mBC$,

Tab. BC = 2mAB > mBC = 2mAB (§. 97. Arithm.)

COROLLARIUM XIX.

331. Quodsi ergo Objectum inter Focum & superficiem Speculi constitutum ad Focum accedit, seu à Speculo recedit, Imago quoque ab eodem recedit.

COROLLARIUM XX.

332. Si vero idem à Foco recedit, seu ad Speculum accedit; Imago quoque ad idem accedit.

COROLLARIUM XXI.

333. Quoniam itaque Imago Objecti intra Focum & superficiem Speculi constituti post Speculum apparet (§. 324); Imago majore intervallo post Speculum comparet, si Objectum Speculo proprius, quam si ab eodem remotius.

COROLLARIUM XXII.

334. Quodsi $BC = \infty$, hoc est, si Radius ponatur infinitus; Speculum Concavum degenerat in Planum. Enimvero tum AB respectu ipsius BC infinite parva, adeoque nihilō æqualis (§. 4. Analy. infn.). Quamobrem etiam $2AB$ nihilō æquivalet,

$$\text{adeoque } FB = \frac{AB \cdot BC}{BC - 2AB} \quad (\text{§. 312.})$$

$$= \frac{AB \cdot BC}{BC} = AB, \text{ hoc est, Imago tanto}$$

intervallo videtur post Speculum Planum, quanto ante ipsum abest: quemadmodum superius demonstratum est (§. 56).

SCHOLION.

335. Ex Corollariis hisce apparet, quanta facilitate ex Formula Analytica deducantur palmaria de Speculis Concavis Theorematata. Poteramus ex eadem quoque deducere, quæ ad Specula Convexa peririnent; sed majoris evidentiæ causa Problema sequens subnectimus.

PROBLEMA XXIX.

336. Data distantia AB Puncti radiantis A à superficie Speculi Sphærici

Convexi DBE, invenire Punctum F, in quo Radius reflexus GF cum Axe AB concurrit.

RESOLUTIO.

Sit in C Centrum Speculi & Radius CB = a , distantia Puncti radiantis à superficie Speculi AB = b , distantia Puncti concursus Radii reflexi cum Catheto incidentiæ ab eadem superficie Speculi BF = x ; erit distantia ejusdem à Centro FC = $a - x$. Jam $u = o$ (§. 144) & $u = t$ atque $o = y$ (§. 150. Geom.). adeoque $t = y$ (§. 87 Arithm.), consequenter ob $t = n + m$ (§. 239. Geom.) $y = n + m$ (§. 87. Arithm.). Cum, ut in Problemate præcedente, Radius incidens AD ipsi AB admodum vicinus ponatur, erit ut ibidem $AD = AB$, $FD = FB$ & Anguli n, m, y valde exigui, consequenter $y : m = FC : BF$ & $m : n = AB : BC$ (§. 19. Trigon.). Quare cum sit $m + n : m = AB + BC : AB$ (§. 190. Arithm.) & ob $m + n = y$, per demonstrata, $y : m = AB + BC : AB$ (§. 168. Arithm.); erit etiam (§. 168. Arithm.).

$$\begin{aligned} AC : AB &= FC : BF \\ \text{adeoque } a+b:b &= a-x:x \\ \hline ab-bx &= ax+bx \\ \hline ab &= 2bx+ax \\ \hline \frac{ab}{2b+a} &= x \quad FB \\ \text{hoc est } \frac{AB \cdot BC}{2AB+BC} &= \frac{AB \cdot BC}{AC+BA} = FB \\ \text{seu } FB : BC &= AB : AC + BA \end{aligned}$$

Theorema. Si Radius AD incidens in superficiem Speculi Convexi ab Axe AC non

non nimis divergit; erit distantia Puncti concursus Radii reflexi cum Axe à superficie Speculi ad Radium convexitatis, ut distantia AB Puncti radiantis à superficie Speculi AB ad compositam AC+BA ex distantia ejusdem Puncti à Centro & distantia à superficie.

Quodsi distantia Puncti concursus Radii reflexi cum Catheto incidentiae F à Centro Speculi FC quæratur, erit ob

$$CF = BC - BF$$

$$CF = a - \frac{ab}{2b+a} = \frac{2ab+a^2-ab}{2b+a} = \frac{ab+a^2}{2b+a}$$

$$= \frac{(AB+BC)BC}{2AB+BC} = \frac{AC \cdot BC}{AC+AB}$$

adeoque $AC + AB : AC = BC : CF$

Theorema. Si Radius AD incidens in superficiem Speculi Sphærici Convexi non multum ab Axe ejus AC divergit, erit distantia Puncti concursus F Radii reflexi GF à Centro Speculi FC ad Radium convexitatis BC, ut distantia Puncti radiantis à Centro Speculi AC ad compositam ex eadem distantia AC & distantia ejusdem à superficie Speculi AB.

COROLLARIUM I.

337. Quoniam $AC + BA > AB$; erit

$$\frac{AB}{AC+BA} < 1 \quad (\text{§. 221. Arithm.}), \text{ adeo-}$$

$$\text{que } \frac{AB \cdot BC}{AC+BA} < BC \quad (\text{§. 180. Arithm.}).$$

Distantia igitur Puncti concursus Radii reflexi cum Catheto incidentiae in Speculo Sphærico Convexo ab ejus superficie semper minor est Radio.

COROLLARIUM II.

338. Quare cum Imago Puncti radiantis A videatur in isto Puncto concursus

(§. 151); in Speculo Sphærico Convexo semper videtur inter Centrum & superficiem Speculi.

COROLLARIUM III.

339. Sit $AB \approx \infty$, erit BC respectu AB infinite parva, adeoque $\frac{1}{2}AB + BC \approx \frac{1}{2}AB$ (§. 4. Anal. infin.), consequenter

$$\frac{AB \cdot BC}{2AB + BC} = \frac{AB \cdot BC}{2AB} = \frac{1}{2}BC = FB.$$

Distantia igitur Puncti concursus Radii reflexi cum Catheto incidentiae nunquam majore intervallo à superficie Speculi distat, quam dimidio Convexitatis Radio.

COROLLARIUM IV.

340. Quoniam distantia Puncti radiantis habetur pro infinita, si Radius ab Axe divergens eidem ad sensum sit parallelus; Radius à Puncto remoto in superficiem Speculi Sphærici Convexi incidens cum Catheto incidentiae concurrit intervallo quartæ Diametri partis.

COROLLARIUM V.

341. In Speculo Sphærico Convexo Imago nunquam majore intervallo distat à superficie Speculi quam quarta Diametri parte (§. 339) & Imago quidem Objecti valde remoti à superficie Speculi quarta Diametri parte distat.

SCHOLION.

342. Objectum an valde remotum sit, estimatur ex ratione Radii BC ad ejus distantiam à superficie Speculi AB. In minoribus adco Speculis minor distantia ad hoc sufficit, quam in majoribus.

COROLLARIUM VI.

343 Quodsi Radius convexitatis BC fuerit infinitus, hoc est, si Speculum fuerit Planum; erit $\frac{1}{2}AB$ respectu BC ≈ 0 (§. 4 Anal. infin.), adeoque $BF \approx \frac{AB \cdot BC}{BC} \approx AB$.

In

In Speculo itaque Plano Imago tanto intervallo videtur post Speculum, quanto ante ipsum ab eodem abest.

COROLLARIUM VII.

344. Sit ratio distantiarum Punctorum radiantium $\equiv 1:n$; erunt distantiae Imaginum à superficie Speculi inter se ut $\frac{ab}{2b+a}$
ad $\frac{nab}{2nb+a}$, adeoque ut $ab(2nb+a)$ ad
 $nab(2b+a)$ (§. 178. Arithm.), consequen-
ter ut $2nb+a$ ad $2nb+na$ (§. 181. Arithm.).

SCHOLION.

345. Quodsi ergo n explicetur per aliquem numerum, denturque a & b; ratio distantiarum innotescit in numeris.

COROLLARIUM VIII.

346. Quodsi $1:n$: fuerit ratio majoris inæqualitatis seu $n > 1$; erit $na > a$, adeo-
que $2nb + na > 2nb + a$ (§. 90. Arithm.). Crescente adeo distantia Puncti radiantis extra Speculum crescit distantia Imaginis à superficie Speculi intra Speculum. Re-
cedente igitur Objecto à Speculo, Imago ejus intra Speculum à superficie versus Centrum recedit.

COROLLARIUM IX.

347. Quodsi $1:n$ fuerit ratio minoris inæqualitatis, seu $n < 1$; erit $na < a$, adeo-
que $2nb + na < 2nb + a$ (§. 90. Arithm.). Decrescente adeo distantia Puncti radiantis à Speculo decrescit distantia Imaginis à superficie. Visibilis itaque ad Speculum accedens Imago ad ejus superficiem accedit, à Centro recedens.

COROLLARIUM X.

348. Quodsi b fuerit $= 0$, hoc est, si vi-
sibile superficiem Speculi tangit, erit
 $\frac{ab}{2b+a} = 0$, adeoque distantia à superficie
Speculi nulla est. Videlur igitur Imago in ipsa Speculi superficie.

SCHOLION.

349. Atque ex his Corollariorum intelligitur, cur Imago Styli longioris superficiem Speculi altero suo extremo contingentis & Diametro Speculi in directum siti sit eidem continua & in directum sita.

COROLLARIUM XI.

350. Si fuerit $b = a$, seu visibile à Spe-
culo Radii intervallo distet; erit $\frac{ab}{2b+a}$
 $= \frac{a^2}{3a} = \frac{1}{3}a$; seu Imago tertia semidia-
metri parte à superficie Speculi distat,
adeoque duabus tertiiis à Centro.

COROLLARIUM XII.

351. Quodsi fuerit $b = na$ & $n > 1$, seu
distantia Puncti radiantis major Radio; erit
 $\frac{ab}{2b+a} = \frac{na^2}{2na+a} = \frac{na}{2n+1} = \frac{n}{2n+1}a$.
Quoniam $2n+1 > n$; erit $\frac{n}{2n+1}a < a$ (§.
221. Arithm.). Idem adhuc obtinet, si
 $n < 1$. Distantia igitur Imaginis à super-
ficie Speculi continuo minor est Radio,
quantacunque fuerit distantia Imaginis:
id quod jam alio modo ante elicuimus.

COROLLARIUM XIII.

352. Quodsi fuerit $n = \infty$, erit unitas respectu $2n$ nihilo æqualis (§. 4. Analys. in-
finit.), & distantia Imaginis à superficie Speculi $\frac{na}{2n} = \frac{1}{2}a$, seu dimidio Radio æqua-
lis: quemadmodum denuo jam ante re-
perimus.

COROLLARIUM XIV.

353. Quodsi ponamus $\frac{ab}{2b+a} = \frac{1}{2}a$; hoc
est, si Imago à superficie Speculi distet
intervallo quartæ partis Diametri; erit
 $2ab = 2ab + aa$, adeoque $aa = 0$: quod
cum sit absurdum, Imago à superficie Spe-
culi nunquam quarta Diametri parte
distare

distare potest, si Radius incidens à Catheto incidentiæ divergit.

S C H O L I O N.

354. Consentit hoc cum superioribus, ubi distantiam Visibilis infinitam requisivimus, ut *Imago* distet à superficie Speculi quarta Diametri parte: tum enim Radius incidens Catheto incidentiæ censemur parallelus.

C O R O L L A R I U M XV.

355. Si Radii duorum Speculorum fuerint ut a ad na , sitque $n > 1$; erunt distantia Imaginis à superficiebus Speculorum, Visibili ab utroque Speculo eodem intervallo remoto, ut $\frac{ab}{2b+a}$ ad $\frac{nab}{2b+na}$,

adeoque ut $2b + na$ ad $2nb + na$ (§. 178.

181. Arithm.). Quamobrem cum sit $2nb > 2b$ ex hypothesi, distantia Imaginis in Speculo majoris Sphæricitatis major est, in Speculo minoris minor, seu *Imago* ejusdem Visibilis in eadem distantia à Speculo majore intervallo videtur post Speculum, si majoris fuerit Sphæra segmentum, quam si minoris fuerit.

C O R O L L A R I U M XVI.

356. Sit $\frac{ab}{2b+a} = b$, seu distet *Imago* Visibilis tanto intervallo à Superficie Speculi, quanto ante ipsum idem abest; erit $ab = 2bb + ab$, adeoque $2bb = 0$: quod cum sit absurdum, in Speculo Sphærico Convexo *Imago* nunquam tanto intervallo post Speculum esse potest, quanto ante ipsum Objectum constituitur.

C O R O L L A R I U M XVII.

357. Sit $\frac{ab}{2b+a} = \frac{1}{2}b$, seu sit distantia Imaginis post Speculum distantia Visibilis à Speculo dimidia; erit $ab = bb +$

$\frac{1}{2}ab$ adeoque $\frac{1}{2}ab = bb$, seu $\frac{1}{2}a = b$. Objectum igitur à Speculo intervallo dimidii Radii Speculi ab eodem distare debet, ut Imaginis distantia sit dimidia distantia Objecti.

S C H O L I O N

358. Ex his Corollariis intelligitur, quanta facilitate plurima Catoptricæ Theorematum inveniri possint, ope Theorematum generallium, quæ & ipsa absque multa difficultate eruuntur. Poterat hæc Theoria etiam extendi ad alias Curvas: possunt tamen aliis quoque Methodis Puncta concursus Radiorum reflexorum cum Axe inveniri. Ut industriam Lectoris excitemus, sequens addere lubet Problema.

P R O B L E M A XXX.

359. Invenire Punctum F, in quo Radius GM vel EM Axi AK Parabolæ AMN parallelus cum eodem post reflexionem concurrit, sive in Concavitatem, sive in Convexitatem incidat.

Tab.
VII.
Fig.
66.

R E S O L U T I O.

Sit MH ad Parabolam in M normalis & Parameter Parabolæ = a , AP = x , AF = y ; erit PH = $\frac{1}{2}a$ (§. 36. *Analys. infin.*), FP = $x - y$ & FH = $\frac{1}{2}a + x - y$. Jam ob parallelismum rectarum GM & AK Angulus GMH = MHF (§. 233. *Geom.*) & ex natura reflexionis FMH = GMH (§. 144), adeoque MHF = FMH (§. 87. *Arithm.*), consequenter FH = FM (§. 253. *Geom.*). Est vero PM² = ax (§. 388. *Analys. fin.*), adeoque FM² = $x^2 + 2xy + y^2 + ax$ (§. 417. *Geom.*). Quamobrem cum sit FH = $\frac{1}{4}a^2 + ax + x^2 - ay - 2xy + y^2$ per demonstr. erit itidem, per demonstrata.

Y

x²

$$x^2 - 2xy + y^2 + ax = \frac{1}{4}a^2 + ax + x^2 - ay - 2xy + y^2$$

adeoque $\begin{array}{rcl} 0 & = & \frac{1}{4}a^2 - ay \\ ay & = & \frac{1}{4}a^2 \\ y & = & \frac{1}{4}a \end{array}$

Theorema. Si Radius parallelus FM vel MF incidat in Parabolam AMN, post

reflexionem in Puncto F cum Axe concurrit, quod à Vertice A quarta Parametri parte distat.

S C H O L I O N.

360. Non absimili modo Punctum, ubi Radius reflexus quicunque cum Axe alterius Curvæ concurrit, inveniri potest.

F I N I S C A T O P T R I C A E.




FIG. CATOPTR. TAB. I.

Fig. 2.





Fig. 4.




Fig. 1.




Fig. 3.




Fig. 5.




Fig. 9.



Fig. 6.




Fig. 8.




Fig. 11.




Fig. 10.




Fig. 14.

FIG. CATOPTR. TAB. II.

Fig. 12.




Fig. 13.




Fig. 16.





Fig. 17.

Fig. 18.





Fig. 15.

N^o. 1.




Fig. 21.




Fig. 19.





Fig. 20.




Fig. 23.

FIG. CATOPTR. TAB. III.

Fig. 27.




Fig. 22.




Fig. 25.




Fig. 24.




Fig. 26.





Fig. 29.



Fig. 32.




Fig. 33.




Fig. 31.





Fig. 33.




Fig. 34.




Fig. 35.



FIG. CATOPTR. TAB. IV.




Fig. 36.




Fig. 37.



Fig. 40.




Fig. 38.




Fig. 39.




Fig. 42.




Fig. 41.




Fig. 43.




Fig. 44.




Fig. 48.




Fig. 45.




Fig. 46.









Fig. 49.

FIG. CATOPTR. TAB. V.



M M
N N









FIG.CATOPTR.TAB.VI.

N^o. 1.






Fig. 56.



N^o. 2.




Fig. 58.





Fig. 59.



N^o. 3.



FIG. CATOPTR. TAB. VII.

Fig. 62.




Fig. 63.




Fig. 64.




Fig. 65.






Fig. 66.








ELEMENTA DIOPTRICÆ.

P R A E F A T I O.



Odie DIOPTRICA Telescopiorum ac Microscopiorum perfectioni potissimum destinatur : unde ratio refractionis in Specillis seu Vitrī politis cuiuscunque figuræ inprimis in ea explicatur. Plerique Autores utuntur proportione prope vera Angulorum inclinationis & refractionis , quam in his Elementis quoque illustravi : MOLYNEUX & HUGENIUS soli veram proportionem sinuum Anguli inclinationis & refracti adhibent , quamvis diversa ratione . Ille enim calculo Geometrico Puncta concursus & dispersionis Radiorum eruit : hic vero generaliter absque certa Hypothesi eadem invenire docet . Ego ex vera refractionis Lege indolem refractionis generaliter in omni Diaphano Figuræ potissimum Planæ ac Sphaericæ demonstro & generalia ad Specilla Vitrea & Aquea applico , ac inde Telescopiorum ac Microscopiorum , aliorumque Instrumentorum

Dioptricorum constructionem deduco. Aliqua tamen Exempla Demonstrationum vulgarium affero, ut Methodorum varietas innotescat ad amplificandum Ingenii vires, quem scopum labori meo non ultimum præfigendum esse statui. Prodest Dioptrices cognitio illis, qui rerum naturalium cognitionem curæ cordique habent: neque enim solum Principia suppeditat, unde Quæstiones Physicæ permultæ enodantur, verum etiam veræ Methodi Philosophandi de Rebus naturalibus ideam Lectoribus insinuat & varias Observandi & Experimentandi Methodos suppeditat. In Astronomia utilis est tum ad Observandum, tum ad Demonstrandum, ut hodie sine Dioptrica mancum ac mutilum dicendum sit Astronomiæ Studium. Varias quoque ad vitam affert utilitates & jucunditates: quod satis perspicient; qui vel hæc Elementa attentione non superficiaria perlustrabunt. Addidi eum in finem Vitrorum poliedrorum aliorumque perficiendorum Praxes, ut iis una consulerem, qui superficiaria cognitione rerum contenti ad Instrumenta Dioptrica paranda potissimam curam dirigunt.

ELEMENTA DIOPTRICÆ.

C A P U T P R I M U M.

De Fundamentis Dioptricæ.

D E F I N I T I O I .

1. **D**IOPTRICA seu Anaclastica est Scientia Visionis refractæ.

S C H O L I O N .

2. Potissimum autem in Dioptrica traditur Refractio Luminis in Vitris Lenticularibus, quia ex iis tum Telescopia, tum Microscopia, tum Vitra Caustica, tum aliæ Machinæ Dioptricæ parantur: propterea quod hæ Theoriaræ utilitate sua sese commendant.

D E F I N I T I O I I .

3. *Visione refracta* est, quæ fit per Radios refractos.

D E F I N I T I O I I I .

I. 4. *Radius incidentis* seu *Linea incidentiæ* est recta AB, per quam Lumen irrefractum in eodem medio propagatur à Puncto refractionis usque ad Superficem Corporis refringentis HKLI.

D E F I N I T I O I V .

5. *Radius refractus* seu *Linea refractionis* est recta BC, per quam Lumen post refractionem in medio diversæ densitatis ab eo, per quod à Puncto radiante emanaverat, propagatur.

D E F I N I T I O V .

6. *Superficies refringens* est Superficies Diaphani, in qua fit refractione, seu in qua Radius incipit à via pristina deviare.

D E F I N I T I O VI .

7. *Punctum refractionis* est Punctum Tab. I. B in Superficie refringente, in quo refractione contingit. Vocatur idem respectu Radii incidentis AB *Punctum incidentia*.

D E F I N I T I O VII .

8. *Planum refractionis* est, in quo sunt Radius incidentis AB & refractus BC.

D E F I N I T I O VIII .

9. *Axis incidentiæ* est recta DB ad Superficem refringentem in Puncto incidentiæ perpendicularis, ducta in eodem medio, unde incidit Radius.

D E F I N I T I O IX .

10. *Axis refractionis* est recta BE ad Superficem refringentem in Puncto refractionis B perpendicularis, ducta in medio refringente.

D E F I N I T I O X .

II. 11. *Angulus incidentiæ* est Angulus ABI, quem facit Radius incidentis AB cum Superficie refringente HI.

D E F I N I T I O XI .

12. *Angulus inclinationis* est Angulus ABD, quem facit Radius incidentis AB cum Axe incidentiæ DB.

D E F I N I T I O XII .

13. *Angulus refractionis* est angulus

Tab. I. lus MBC, quem facit Radius refractus
Fig. I. BC cum incidente MB ultra Superficiem refringentem protracto.

DEFINITIO XIII.

14. *Angulus refractus* est Angulus CBE, quem facit Radius refractus BC cum Axe refractionis BE.

DEFINITIO XIV.

15. *Lens seu Specillum* dicitur Vitrum formæ Lenticularis.

DEFINITIO XV.

16. *Vitrum Plano-convexum* est, cuius Superficies altera Convexa, altera Plana. Communiter intelligitur Convexitas Sphærica, nisi expresse contrarium moneatur.

DEFINITIO XVI.

17. *Vitrum Convexo-convexum* est, cuius utraque Superficies Convexa. Dicitur etiam *utrinque Convexum*. Estque vel *equaliter Convexum*, si eadem Diameter utriusque Convexitatis; vel *inequaliter convexum*, si Convexitatum Diametri diversæ.

DEFINITIO XVII.

18. *Vitrum Plano-concavum* est, cuius altera Superficies Concava, altera Plana. Communiter intelligitur Concavitas Sphærica, nisi diserte contrarium moneatur.

DEFINITIO XVIII.

19. *Vitrum Concavo-concavum* est, cuius utraque Superficies Concava. Dicitur etiam *utrinque Concavum*. Estque vel *equaliter Concavum*, si Concavitatis eadem Diameter, vel *inequaliter Concavum*, si Concavatum Diametri sunt diversæ.

DEFINITIO XIX.

20. *Meniscus* est Vitrum, cuius altera Superficies Convexa, altera Concaua. Vocatur etiam interdum *Lunula*.

DEFINITIO XX.

21. *Axis Lentis* est recta, transiens per Axem ejus Solidi, cuius Segmentum Lens existit.

E. gr. Lens Sphærica Plano-convexa est segmentum alicujus Sphæræ: ejus itaque Axis idem est cum Axe Sphæræ, seu recta per hunc transiens.

DEFINITIO XXI.

22. *Punctum concursus* est Punctum, in quo Radii refracti concurrunt, si per refractionem fiunt convergentes. Vocatur etiam *Focus*.

DEFINITIO XXII.

23. *Punctum dispersus* est Punctum, ex quo Radii refracti divergunt, si post refractionem divergentes evadunt. Vocatur etiam *Focus virtualis*.

PROBLEMA I.

24. *In Legem Refractionis per Experimenta inquirere.*

RESOLUTIO.

Si desideretur Refractio ex Aëre in Vitrum, qua potissimum opus habemus in Dioptrica,

1. Paretur Cubus Vitreus CBEDGFHI exacte politus.

2. Jungantur ad angulos rectos duo aserculi dedolati NIPO & NABI, ita ut latitudo communis IN exceedat latus Cubi IH, multo magis autem idem superet longitudo inferioris NO: altitudo vero minoris CH sit lateri Cubi æqualis.

3. Obvertatur hoc Instrumentum Anaclasticum Soli in diversis altitudinibus supra Horizontem, noteturque terminus Umbræ tam intra Cubum in K, quam extra eum in L.
4. Quoniam CK est Radius refractus, CL vero irrefractus; erit HCK Angulus refractus (§. 14), KCL Angulus refractionis (§. 13) & HCL Angulus inclinationis (§. 12), consequenter si CL sumatur pro Sinu toto, HL Sinus Anguli inclinationis, & HK Sinus Anguli refracti (§. 2. *Trigon.*). Observare igitur licebit rationem Sinus Anguli refracti HK ad Sinum Anguli inclinationis HL, utramque nempe Lineam HK & HL, accurate in Scala subtiliter divisa dimetiendo.
5. Et quia in Triangulo HCL ad H rectangulo latera HC & HL dantur, itemque in Triangulo CHK latera HC & HK; invenietur Angulus inclinationis HCL & Angulus refractus HCK (§. 38. *Trigon.*).
6. Si loco Cubi Vitrei adhibeatur Vasculum aqua, vel alio liquore plenum, Refractio ex Aëre in Aquam vel liquorem aliud observabitur.

COROLLARIUM I.

25. Radius in ingressu ex Aëre in Vitrum aut generaliter ex medio rariori in densius, ad Axem refractionis frangi observatur: hinc Angulus refractus minor Angulo inclinationis, & Radius perpendicularis ad Superficiem refringentem irrefractus transit.

COROLLARIUM II.

26. Ratio Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti constans deprehenditur;

ditur; nempe, si refractio sit ex Aëre in Vitrum, major quam 114 ad 76, minor vero quam 115 ad 76, hoc est, quam proxime ut 3 ad 2, observante HUGENIO (a).

SCHOLION I.

27. Consentit cum hac Observatione altera Illustr. NEWTONI (b), qua Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti exhibetur ut 31 ad 20, hoc est, itidem fere ut 3 ad 2. Hoc igitur proportione ad explicandas refractiones in Lentibus Vitreis commode utimur in Dioptricis. Quamvis enim in omni Vitro non sit eadem refractionis quantitas; in argumentis tamen Physicis omnimoda accuracione non est opus.

SCHOLION II.

28. In Aqua pluvia CARTESIUS rationem Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti deprehendit (c) ut 250 ad 187, hoc est, propemodum ut 4 ad 3: cum quo denuo conspirat Observatio NEWTONI (d), vi cuius ratio obtinet ut 529 ad 396. Ceterum idem NEWTONUS in Spiritu vini eam facit ut 100 ad 73, quæ itidem à sesquiteria non multum abit; in Aëre vero ut 3851 ad 3850.

SCHOLION III.

29. Multæ dantur Methodi observandi quantitatatem Refractionis, passim apud Autores explicatae. Ego hic tradidi eam, quam KEPLERUS (e) commendat, quia nulla Dioptrices principia supponit, alias additurus inferius, ubi earum fundamenta demonstrabuntur.

COROLLARIUM III.

30. Uno igitur Angulo inclinationis & qui ipsi respondet, refracto per Observacionem reperto, facile per computum eruuntur Anguli refracti singulis Angulis inclinationis respondentibus.

CO-

(a) In Dioptrica p. 5.

(b) Optic. Lib. II Part. 3. p. 232. edit. Lat.

(c) In Tract. de Meteoris Cap. 8. §. 10. p. m.

221.

(d) Loc. cit.

(e) Dioptr. Lib. I. Prop. 3.

COROLLARIUM IV.

31. Si Angulus inclinationis graduum 70, Angulus refractus 38° 50', observantibus KIRCHERO (a) & ZAHNIO (b).

SCHOLION IV.

32. Et hinc ZAHNIUS condidit Tabulam Refractionum ex Aëre in Vitrum ad singulos gradus Anguli inclinationis, quam hic contractam exhibemus.

Angul. inclin.	Angul. refrac- tus.	Angul. refrac- tionis.
1	0°. 40'. 5"	0°. 19'. 55"
2	1°. 20. 6	0. 39. 54
3	2°. 0. 3	0. 59. 56
4	2. 40. 5	1. 19. 55
5	3. 20. 3	1. 39. 57
6	3. 59. 50	2. 0. 10
7	4. 39. 48	2. 20. 12
8	5. 19. 49	2. 40. 11
9	5. 59. 35	3. 0. 25
10	6. 39. 16	3. 20. 44
11	7. 18. 55	3. 41. 5
12	7. 58. 32	4. 1. 28
13	8. 38. 2	4. 21. 58.
14	9. 17. 25	4. 42. 35
15	9. 56. 46	5. 3. 14
16	10. 35. 59	5. 24. 1
17	11. 15. 3	5. 44. 57
18	11. 54. 5	6. 5. 55.
19	12. 34. 36	6. 25. 24
20	13. 11. 35	6. 48. 25
25	16. 22. 51	8. 37. 9
30	19. 29. 29	10. 30. 31
35	22. 30. 18	12. 29. 42
40	25. 34. 6	14. 35. 54
45	28. 9. 19	16. 50. 41
50	30. 44. 35	19. 15. 25
60	35. 18. 12	24. 41. 48
70	38. 50. 0	31. 10. 0
80	41. 5. 15	38. 54. 55
90	41. 51. 40	48. 8. 20

(a) In Arte Magna Lucis & Umbræ Lib. VIII. Part. 1. Cap. 2.

(b) In Oculo artific. Fund. 2. Synt. 1. Cap. 2. f. 228. &c seqq.

COROLLARIUM V.

33. Quodsi itaque Angulus inclinationis fuerit minor quam 20 graduum, & Radius ex Aëre in Vitrum refrangatur; Angulus refractionis erit propemodum pars tertia inclinationis. Angulus enim refractionis, qui convenit inclinationi unius gradus, à parte tertia deficit 5 secundis, Angulus refractionis respondens inclinationi duorum graduum à parte tertia abest 9 secundis, & ita porro. Angulo inclinationis 20 graduum respondet Angulus refractionis 6° 48". 25", adeoque excedit partem tertiam 8' 25". Sed Angulus refractionis conveniens Angulo inclinationis 30 graduum, partem tertiam jam superat gradu dimidio & 31 secundis & inde excessus continuo fit major.

COROLLARIUM VI.

34. Quandiu itaque Angulus inclinationis minor fuerit quam 20 graduum; Radius ex Aëre in Vitrum refrangitur ad Axem refractionis seu incidentiæ tertia propemodum parte Anguli inclinationis.

SCHOLION V.

35. Hoc principio utitur KEPLERUS ad demonstrandas Refractiones in Specillis in sua Dioptrica & post ipsum usi sunt Scriptores Dioptricæ plerique omnes. Exemplo enim ALHAZENI & VITELLIONIS, Legem Refractionis queſivit in ratione Angulorum, adeoque ad veritatem puram pervenire non potuit. Constantem rationem esse Sinum Angulorum inclinationis & refracti, multipli-ci Experimento detexit WILLEBORDUS SNELLIUS, quamvis non adverterit Lineas, per quas rationem constantem explicavit, esse illorum Angulorum Sinus. Ex ejus scripto non edito eandem rationem constantem, non nominato SNELLIO, proposuit CARTESIUS (c), cui vulgo hoc inventum tribui solet. SNELLIO idem vindicat HUGENIUS,

cui

(c) In Dioptrica Cap. 2. §. 2. p. m. 57.

cui constabat, CARTESIUM Tractatum SNELLII vidisse (a). Ceterum cum ex Optica (§. 192) constet, Radios Lum'nis omnes non ejusdem esse refrangibilitatis; constans illa ratio admittenda est diversa in singulis Radiorum speciebus: unde quam à se observatam contendunt Autores, eam de Radiis medium refrangibilitatis gradum habentibus, hoc est, viridibus intelligendam esse jam monuit perspicacissimus NEWTONUS. (c). „Differentiam tamen adeo parvam judicat, ut raro ejus ullam rationem haberet sit necesse.“

PROBLEMA II.

36. In Legem Refractionis per ratios inquirere.

RESOLUTIO.

Quoniam Lumen in diversis mediis, diversa quippe vi resistentibus, eadem celeritate moveri nequit, sit ratio celeritatis Luminis incidentis AB ad celeritatem refracti BC = $m:n$. Erunt itaque tempora, quibus Lineæ AB & BC percurruntur in ratione n BA ad m BC (§. 28. Mechan.). Demittantur perpendiculares AQ & CP fiatque $AQ=a$, $CP=b$, $PQ=c$, $PB=x$, erit $BQ=c-x$, consequenter $BC=\sqrt{(bb+xx)}$ & $AB=\sqrt{(aa+cc-2cx+xx)}$, adeoque tempus, quo percurritur via $AB+BC=m\sqrt{(bb+xx)}+n\sqrt{(aa+cc-2cx+xx)}$: quod erit minimum aliquod; quia, cum natura semper via brevissima agat, Lumen ex A in C via brevissima pervenire debet. Habemus adeo

Wolfi Oper. Mathm. Tom. III.

(a) In Dioptrica, p. 2. & 3.

(b) In Optic. Ax. 5. & Lib. I. Part. 1. Prop. 6. p. 61. & seqq. Edit. Lat.

$$\frac{mx dx}{\sqrt{(b^2+xx)}} + \frac{nx dx - ncdx}{\sqrt{(aa+cc-2cx+xx)}} = 0 \quad \text{Tab. I. Fig. 1.} \\ (\$.61. \text{Analys. infinit.})$$

& hinc

$$mx:\sqrt{(b^2+xx)} = n(c-x):\sqrt{(a^2+c^2-2cx+xx)} \\ \text{hoc est, } mPB:BC = nBQ:BA$$

$$\begin{array}{ll} \text{Fiat} & BC=BA \\ \text{erit} & mPB=nBQ \end{array}$$

$$\text{consequenter } m:n=BQ:PB$$

Quodsi ergo BA seu BC sumatur pro Sinu toto, erit BQ Sinus anguli A, & PB Sinus anguli C (§. 2. Trigon.), hoc est, quia AQ & PC ipsi DE parallellæ (§. 241. Geom.), PB Sinus Anguli CBE & BQ Sinus ipsius ABD (§. 222. Geom.), nempe PB Sinus Anguli refracti (§. 14), BQ vero Sinus Anguli inclinationis (§. 12). Patet adeo, Sinum Anguli inclinationis esse ad Sinum Anguli refracti in ratione constante, ea nempe, quæ est celeritatis Luminis ante refractionem ad celeritatem ejusdem post refractionem.

COROLLARIUM I.

37. Quodsi Radius refractus CB sumatur pro incidente, erit ut n ad m ita Sinus Anguli CBE ad Sinum Anguli refracti (§. 36). Est vero etiam ut n ad m ita Sinus Anguli CBE ad Sinum Anguli ABD (§. cit.). Ergo Sinus anguli ABD est idem cum Sinu Anguli refracti (§. 177. Arithm.), consequenter ABD est Angulus refractus incidentis CB (§. 2. Trigon.). Radius adeo CB, si contraria ratione refringitur, cum incidente BA coincidet.

COROLLARIUM II.

38. Quando itaque Radius ex Vitro in Aërem, & generaliter ex Medio densiori in rarius transit, ab Axe incidentiæ seu

Tab. I. refractionis refringitur, & hinc Angulus refractus major est Angulo inclinationis
Fig. 7. (§. 12. 14.).

COROLLARIUM III.

39. Si Angulus inclinationis 30 gradibus minor; tum propemodum est MBC $\equiv \frac{1}{3}$ MBE (§. 33. Dioptr. & §. 156. Geom.). Quare cum sit CBE $\equiv \frac{1}{3}$ MBE; erit MBC $\equiv \frac{1}{2}$ CBE, consequenter si Refractio fit ex Vitro in Aërem & Angulus inclinationis 30 gradibus minor; Radius refringitur ab Axe refractionis dimidia propemodum parte Anguli inclinationis (§. 37).

SCHOLION.

40. Atque hoc est alterum Principium Dioptricum, quo Autores fere omnes cum KEPLERO utuntur ad Refractiones in Speculis demonstrandas.

COROLLARIUM IV.

41. Si Refractio ex Aëre in Vitrum contingit, ratio Sinus inclinationis ad Sinum Anguli refracti est ut 3 ad 2 (§. 26), si vero ex Aëre in Aquam fit, ut 4 ad 3 (§. 28). Ergo si Refractio contraria ratione ex Vitro vel Aqua in Aërem contingit, eorumdem Sinum ratio erit in casu priore ut 2 ad 3, in posteriore ut 3 ad 4 (§. 37).

COROLLARIUM V.

42. Quoniam ratio Sinus inclinationis ad Sinum refracti ut 3 ad 2, si refractio ex Aëre in Vitrum fit; vel ut 4 ad 3, si fit ex Aëre in Aquam, pertinet ad Radios mediæ refrangibilitatis (§. 35); ratio quoque eorumdem Sinuum ut 2 ad 3, si Refractio fit ex Vitro in Aërem; vel ut 4 ad 3, si fit ex Aqua in Aërem, obtinet in Lumine mediæ refrangibilitatis.

COROLLARIUM. VI.

43. Quoniam tamen differentia, quæ ex diverso refrangibilitatis gradu oritur adeo exigua est, ut attendi non mereatur (§. 35); ideo in Refractione quoque,

quæ fit ex Vitro vel Aqua in Aërem non attendenda venit.

THEOREMA I.

44. Si recta EF secat Superficiem refringentem quamcumque GBH ad angulos rectos in Puncto incidentie & ex Puncto quocumque intra Diaphanum densius D ducatur recta DC Radio incidenti AB parallela; hæc refracto BC occurret in C, eritque ad partem refracti CB ut Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis.

DEMONSTRATIO.

Quoniam CD ipsi AB parallela, per hypoth. erit $o = x$ (§. 233. Geom.). Sed si Radius BC exit ex medio densiori in tenuius, veluti ex Vitro in Aërem $y > x$ (38); si vero transit ex tenuiori in densius, veluti ex Aëre in Vitrum, $y < x$ (§. 25): ergo in casu priore $y > o$, seu $o < y$, in posteriore $y < o$ (§. 89. Arithm.), consequenter in priore $o + u < y + u$, in posteriore $y + u < o + u$. Sunt vero in illo $y + u$, in hoc $o + u$, duobus rectis æquales (§. 147. Geom.). Ergo in illo $o + u$, in hoc $y + u$ duobus rectis minores sunt (§. 89. Arithm.) & hinc in utroque DC ipsi BC occurrit (§. 262. Geom.). Quod erat unum.

Jam cum $o = x$ per demonstr. adeoque Angulus inclinationis (§. 12) & y sit Angulus refractus (§. 14), fit vero præterea CB ad CD, ut Sinus Anguli o ad Sinum Anguli y (§. 5. & 33. Trigon.); evidens est, quod sit CB ad CD, in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti. Quod erat alterum.

COROLLARIUM I.

45. Quando igitur BC ex Vitro in Aërem exit, ad CD est in ratione subsesquialtera (§. 41); si vero ex Aëre in Vitrum transit, ad CD rationem sesquialteram habet (§. 26).

COROLLARIUM II.

46. Quando Lumen ex Aqua in Aërem exit; CB ad CD habet rationem subsesquiteriam (§. 41); si vero ex Aëre in Aquam transit, sesquiteriam (§. 28).

THEOREMA II.

47. Si recta EF secat Superficiem refringentem GH ad Angulos rectos & Radius refractus BC rectæ cuidam alteri DC ex quocunque Axis EF Puncto D intra Medium densius assumto ductæ ita occurrat, ut ad eam habeat rationem Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti; erit CD Radio incidentiæ AB parallela.

DEMONSTRATIO.

CB est ad CD ut Sinus Anguli o ad

Sinum Anguli y (§. 35. *Trigon.*). Est Tab. I. vero etiam CB ad CD ut Sinus Anguli Fig. 4. inclinationis ad Sinum Anguli refracti §. 5. per hypoth. Quare cum y sit Angulus refractus; erit o Angulo inclinationis x æqualis (§. 177. *Arithm.*), consequenter CD ipsi AB parallela (§. 255. *Geom.*). Q. e. d.

THEOREMA III.

48. Radius incidens in Superficiem Curvam, sive Convexam, sive Concavam, perinde refringitur, ac si incideret in Planam, quæ Curvam in Puncto incidentiæ tangit.

DEMONSTRATIO.

Superficies Curva & Plana, quæ ipsam tangit, habent partem infinite parvam communem. Sed Radius in tam exigua parte refringitur. Ergo perinde est ac si refringeretur in Superficie Plana, quæ Curvam in Puncto incidentiæ tangit. Q. e. d.

C A P U T I I.

De Refractione in Superficiebus Planis.

THEOREMA IV.

49. SI Radii paralleli ex uno Diaphano transiunt in aliud diversa densitatis; etiam in Medio altero manent paralleli.

DEMONSTRATIO.

Si Radii ad Superficiem refringentem incident perpendiculares, irrefracti tran-

seunt (§. 25); adeoque in Diaphano secundo eorum situs non mutatur. Sed in Diaphano primo erant paralleli, per hypoth. Ergo etiam in Diaphano secundo manent paralleli. *Quod erat unum.*

Si Radii AB & CD ad Superficiem refringentem obliqui, sed paralleli; erunt Fig. 6. Anguli incidentiæ o & u (§. 233. *Geom.*); consequenter etiam Anguli inclinationis

Tab. I. x & y æquales (§. 145. Geom. & §. 91. Arithm.). Quoniam igitur Angulorum inclinationis x & y Sinus ad Sinus Angulorum refractorum m & n eandem rationem habent (§. 26), Sinus etiam Angulorum m & n (§ 177. Arithm.), consequenter ipsi Anguli refracti m & n (§. 2. Trigon.), adeoque & Anguli s & r (§. 145 Geom. & §. 91. Arithm.) æquales. Radii igitur refracti BE & DF paralleli sunt (§. 255. Geom.). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

50. Quodsi igitur Vitrum utrinque Platum Soli directe objiciatur; Lumen per ipsum transiens perinde propagatur, ac si Vitrum abeslet (§. 93. Optic.): si oblique obvertatur, Lumem tamen refractum ejusdem manet intensitatis (§. 86. Optic.).

LEMMA I.

51. Cosecantes Angulorum, qui mensuram trium graduum non excedunt, à Cotangentibus in centesimalis Radii non differunt: Cosecantes vero eorum, quorum mensura gradibus quinque major non est, cum Cotangentibus in decimis Radii conveniunt.

DEMONSTRATIO.

Etenim, vi Canonis differentia Cotangentium & Cosecantium usque ad gradum tertium in quatuor notis prioribus nulla est. Exprimunt vero quatuor notæ priores Radii particulas centesimalias, nempe si Radius est partium 1000, Cotangens Sinus Anguli trium graduum est 19081, Cosecans ejusdem 19087. In centesimalis igitur Cotangentes & Cosecantes usque ad tertium gradum non differunt. *Quod erat unum.*

Simili prorsus modo ostenditur, Cotangentium & Cosecantium differentiam nullam esse in decimis Radii usque ad gradum quintum. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

52. Quodsi itaque decima vel centesima pars Radii in dato aliquo casu adeo exigua fuerit, ut vel plane non, vel ægre admodum assignari possit; Cosecantes Angulorum in casu priore quinque, in posteriore tribus gradibus non majorum sunt inter se ut Cotangentes.

THEOREMA V.

53. *Distantia DK Puncti refractionis D à Catheto incidentiae CL est ad distantiam Puncti radiantis CK à superficie refringente, in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Cosinum ipsius.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam CL ad AB perpendicularis (§. 225. Geom.), & Axis refractionis HI itidem ad AB normalis (§. 10); erit HI ipsi CL parallela (§. 256. Geom.), consequenter KCD Angulo inclinationis CDH æqualis (§. 233. Geom.). Sed KD est ad KC in ratione Sinus Anguli inclinationis KCD ad Sinum Anguli KDC (§. 33. Trigon.). Quare cum KDC sit complementum ipsius KCD ad rectum (§. 241. Geom.); erit KD ad CK in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Cosinum ejusdem (§. 11. Trigon.).

COROLLARIUM I.

54. Quoniam Sinus Anguli 5 graduum ad ejus Cosinum est, ut 8715 ad 99619, hoc est fere ut 1 ad $11\frac{1}{4}$; quamdiu distantia Puncti

Puncti refractionis KD minor est undecima parte distantiae Puncti radiantis KC, Angulus inclinationis minor est quam 5 graduum.

COROLLARIUM II.

55. Similiter quia Sinus Anguli 3 graduum ad ejus Cosinum, ut 5240 ad 99862, hoc est fere ut 1 ad $19\frac{1}{7}$: quamdui distantia Puncti refractionis KD minor est parte decima nona distantiae Puncti radiantis KC, Angulus inclinationis minor est quam trium graduum.

THEOREMA VI.

56. Si Radius ex uno Medio in Diaphanum aliud diversæ densitatis & Planæ Superficiei oblique incidit; distantia Puncti radiantis à Superficie refringente est ad distantiam Puncti dispersus, in ratione Cotangentis Anguli inclinationis ad Cotangentem Anguli refracti.

DEMONSTRATIO.

Tendat Radius CD ex Medio tenuiori in Diaphanum densius AB, sitque CK Cathetus incidentiae & HI Axis refractionis: refringetur Radius ad Axem (§. 25) adeoque refractus DF concurreat cum Catheto ultra C in G. Jam quoniam GL (§. 16. Catoptr.) & HI ad AB normales (§. 10), erit GK distantia Puncti dispersus (§. 225. Geom.), atque HI ipsi GL parallela (§. 256. Geom.), consequenter KCD=CDH & KGD=FDI (§. 233. Geom.) Est vero CDH Angulus inclinationis (§. 12) & FDI Angulus refractus (§. 14): ergo KCD Angulo inclinationis & KGD Angulo refracto æqualis. Jam si KD sumatur pro Sinu toto, erit KC Tangens anguli KDC & KG Tangens anguli KDG (§. 7.

Trigon.), seu quia KDC est comple- Tab.I.
mēntum ipsius KCD, & KDG com- Fig.7.
plementum ipsius KGD ad rectum (§.
241. Geom.), KC est Cotangens ipsius
KCD & KG Cotangens ipsius KGD
(§. 11. Trigon.). Quare CK ad GK
ut Cotangens Anguli inclinationis ad
Cotangentem refracti. Quod erat unum.

Sit GD Radius incidens ex Medio densiori in Diaphanum tenuius: frangeatur ab Axe HI in DE (§. 38), adeoque cum Catheto incidentiae GL infra Punctum radians G in C concurrit. Patet vero, ut ante, esse KGD Angulo inclinationis GDH, KCD Angulo refracto CDH æqualem, & ideo KC ad KG ut Cotangentem Anguli inclinationis ad Cotangentem Anguli refracti. Quod erat alterum.

PROBLEMA III.

57. Data distantia KC Puncti radiantis C in Superficiem Planam Diaphani diversæ densitatis à Medio, per quod incidit CD, una cum distantia KD Puncti refractionis D à Catheto incidentiae KC; invenire distantiam Puncti dispersus GK à Superficie refringente AB.

RESOLUTIO.

1. Quoniam in Triangulo KCD ad K rectangulo (§. 225.78. Geom.) dantur crura KD & KC; invenietur Augulus KCD (§. 40. Trigon.), quem Angulo inclinationis CDH æqualem esse constat, per antea demonstrata (§. 56).
2. Quia datur ratio Sinus Anguli inclinationis ad Sinum refracti (§. 24);

Tab. I.
Fig. 7.

- per Regulam trium invenitur porro
Sinus Anguli refracti GDH, & hinc
in Canone Sinuum ipse Angulus re-
fractus. Immo si Refractio ex Aëre
in Vitrum fit: Angulus refractus
sine calculo in Tabula superius tra-
dita (§. 32) evolvi potest.
3. Datis Angulis inclinationis & refrac-
to, tandem reperitur distantia Punc-
ti dispersus GK (§. 56).

Et perinde Problema solvitur, si Refrac-
tio fiat ex Medio densiori in tenuius,
hoc est, si G fuerit Punctum radians,
C vero Punctum dispersus.

E. gr. Incidat Radius DC ex Aëre in
Vitrum, sitque CK = 33', KD duorum pe-
dum: erit.

Log. KD	0.3010300
KC	1.5185139
Sin. Tot.	10.0000000

Log. Cotang. KCD 11.2174839
& hinc, vi Canonis, Angulus inclinationis
KCD vel CDH = 30° 28' 10".

Est vero ut 3 ad 2, ita Sinus Anguli in-
clinationis ad Sinum refracti (§. 26). Ergo
Sinus refracti = 2.605161 : 3 = 403441 :
unde, vi Canonis, reperitur Angulus refrac-
tus KGD quam proxime 2° 18' 40". Qua-
re tandem,

Log. Cotang. KCD	11.2174839
Cotang. KGD	11.3940661
KC	1.5185139
	12.9125800.

$$\text{Log. KG} \quad 1.6950961 \\ \text{Habetur adeo KG} = 4^{\circ} 9' 5'' 5'''.$$

S C H O L I O N.

58. *Sinus desumimus ex Canone majore
PITISCÆ; Logarithmos vero ex magno Ca-
none Triangulorum VLACCI, neglectis scru-
pulis per approximationem querendis ad evi-
tandas calculi tricas.*

T H E O R E M A VII.

59. Si Radiorum CD & CP ex
eodem Puncto in Superficiem Planam
Diaphani diversæ densitatis AB inciden-
tium Puncta refractionis D & P à Ca-
theto incidentiæ CK æqualiter distent;
refracti DF & PQ idem Punctum dis-
persus G habent.

D E M O N S T R A T I O.

Quia PK = KD per hypoth. & An-
guli ad K recti (§. 255. Geom.); erunt
Anguli inclinationis PCK & KCD
æquales (§. 179. Geom.). Habent ergo
distantiæ Punctorum, in quibus Radii
refracti DF & PQ cum Catheto inci-
dentiæ concurrunt, ad CK eandem ra-
tionem (§. 56), adeoque æquales sunt
(§. 177. Arithm.); consequenter Punc-
tum dispersus G idem est (§. 169. Geom.).
Q. e. d.

Eadem est Demonstratio, si suppo-
namus G esse Punctum radians, C vero
Punctum dispersus.

C O R O L L A R I U M I.

60. Quoniam Radiorum valde vicino-
rum distantia à Catheto ad sensum eadem
est; Radii valde vicini ex eodem Puncto
G disperguntur.

C O R O L L A R I U M II.

61. Quare cum Radii refracti in Ocu-
lum extra Cathetum incidentiæ constitu-
tum incidentes vel æqualiter à Catheto
distent, vel valde vicini sint; veluti ex
Puncto G emanantes in eum illabuntur;
consequenter Punctum C per Radios re-
fractos in G videri debet (§. 336. Optic.).

T H E O R E M A VIII.

62. Si Radius CD ex Medio tenuiori
in Diaphanum densius Planam Superfi-
ciem

ciem habens AB oblique incidit; distantia Puncti radiantis CK minorem rationem habet ad distantiam Puncti dispersus KG, quam Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis. Quodsi tamen distantia Puncti refractionis à Catheto incidentiæ KD minor fuerit undecima vel decima nona parte distantie Puncti radiantis CK, & in casu priore decima, in posteriore centesima ejus pars sit adeo exigua, ut assignari nequeat, vel saltem contemni mereatur; erit CK ad KG ad sensum in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis.

DEMONSTRATIO.

Dicatur brevitatis gratia ratio Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis $n:m$, ducaturque GB Radio incidenti CD ex Puncto dispersus G parallela: erit CK:KG = CD:GB (§.268. Geom.). Est vero GB>GD (§. 417. Geom.) adeoque CD:GB < CD:GD (§. 205. Arithm.). Ergo CK:KG < CD:GD (§. 89. Arithm.). Quare cum sit CD ad GD, ut Sinus Anguli CGD seu GDH (§.233. Geom.) ad Sinum Anguli KCD (§. 35. Trigon.), vel CDH (§.233. Geom.), consequenter ut Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis, & n ad m ut idem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis; erit $n:m = CD:GD$, adeoque CK:KG < n:m (§. 89. Arithm.). Quod erat unum.

Quodsi DK < $\frac{1}{11}$ CK, erit Angulus inclinationis KCD < 5° (§.54). Quare si etiam decima pars Radii adeo exigua fuerit, ut vel plane non, vel

ægre admodum assignari possit; erit CK:KG = CD:GD (§.52), consequenter cum CD ad GD, sit in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis, per demonstrata, etiam CK ad KG eandem rationem habet. Idem eodem modo ostenditur, si DK < $\frac{1}{19}$ CK & centesima pars Radii parvitas contemptibilis. Quod erat alterum.

Tab. I.
Fig. 7.

COROLLARIUM I.

63. Quodsi ergo Refractio ex Aëre in Vitrum contingit; distantia Puncti dispersus Radiorum Catheto vicinorum est sesquialtera Puncti radiantis; remotiorum vero sesquialtera major (§. 26).

COROLLARIUM II.

64. Si Refractio ex Aëre in Aquam contingit, distantia Puncti dispersus Radiorum Catheto incidentiæ vicinorum est sesquitertia; remotiorum vero sesquitertia major (§. 28).

SCHOLION.

65. Consentit cum hisce Calculus secundum Problema 3 institutus. Sane in Exemplo ibi allato erat CK = 33' & reperiebatur KG = $49' 5''$. Quodsi vero fiat ut 2 ad 3 ita 3 ad KG, reperietur denuo KG = $33 \cdot 3 : 2 = 99 : 2 = 49' \frac{1}{2} = 49' 5''$.

COROLLARIUM III.

66. Oculo itaque in medio densiore constituto, Objecta in rariore collocata remotiora apparent quam sunt (§. 339. Optic.) & locus Imaginis in quolibet casu dato vel ex ratione refractionis data (§. 62) vel per calculum juxta Problema 3 instituendum (§. 57) facile definitur.

SCHOLION.

67. Ita piscibus sub aqua natantibus remotiora apparent, quam sunt, quæ extra aquam constituuntur.

THEOREMA IX.

Tab. I. Fig. 7. 68. Si Radius GD ex Medio densiori in Diaphanum tenuius, quod Planam Superficiem AB habet, oblique incidit; distantia Puncti radiantis GK majorem rationem habet ad distantiam Puncti dispersus CK quam Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis. In casu reliquo Theorematis precedentis erit GK ad KC ad sensum, in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis.

DEMONSTRATIO.

Dicatur brevitatis gratia ratio Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis $n:m$, ducaturque ex Puncto radiante GB Radio refracto CD parallela: erit KG: KC = GB: CD (§. 268. Geom.) Est vero GB > GD (§. 417. Geom.); adeoque GB: CD > GD: CD (§. 203. Arithm.). Ergo KG: KC > GD: CD (§. 89. Arithm.) Quare cum eodem modo, quo in Demonstratione Theorematis praecedentis pateat esse $m:n = GD:CD$; erit KG: KC > m: n (§. 89. Arithm.). Quod erat unum.

- Posteriori eodem modo ostenditur, quo idem de Radiis ex Medio tenuiori in Diaphanum densius incidentibus (§. 62) demonstravimus.

COROLLARIUM I.

69. Quodsi ergo Refractio ex Vitro in Aërem contingit; distantia Puncti dispersus Radiorum Catheto vicinorum est sublesquialtera distantia Puncti radiantis; remotiorum vero sublesquialtera minor (§. 41).

COROLLARIUM II.

70. Sed si Refractio ex Aqua in Aërem sit, distantia Puncti dispersus Radiorum Catheto vicinorum est sublesquiteria dis-

tantia Puncti radiantis; remotiorum vero sublesquiteria minor (§. 42).

COROLLARIUM III.

71. Oculo itaque in medio rario constituto Objecta in densiore collocata viciniora apparent quam sunt (§. 339. Optic.) & locus Imaginis in quolibet casu dato vel ex ratione Refractionis data (68), vel per Calculum juxta Problema tertium insituendum (§. 57) facile definitur.

SCHOLION.

72. Hinc Planum, cui Cubus Vitreus politus imponitur in Experimento superiori (§. 24), ad dimidiam; fundus Vasis Aqua pleni ad tertium altitudinis partem per Refractionem attollitur respectu Oculi supra Platum refringens perpendiculariter elevati. Et pisces aliisque corpora sub aquis posita propiora videntur quam sunt.

THEOREMA X.

73. Si Radius ex Medio quocunque incidentis in Diaphanum diversæ densitatis tendat ad Punctum aliquod rectæ LG ad Superficiem Planam refringentem AB perpendicularis; erit distantia Puncti, ad quod incidentis convergit, ad distantiam Puncti concursus in ratione Cotangentis Anguli inclinationis ad Cotangentem refracti.

DEMONSTRATIO.

Incidat Radius ED ex Medio rario in densius, convergens ad Punctum C perpendiculari LC. Refringetur ergo ad Axem IH (§. 25), adeoque demum infra C cum LG concurret. Jam quia IH parallela ipsi LG (§. 256. Geom.), erit KCD Angulo inclinationis IDE & KGD Angulo refracto GDH æqualis (§. 233. Geom.). Quodsi itaque KD sumatur pro Sinu toto, erit KC Tangens Anguli KDC seu Cotangens ipsius KCD & KG

Tan-

Tangens Anguli KDG seu Cotangens ipsius KGD (§. 7. 11. Trigon.). Est itaque KC ad KG in ratione Cotangentis Anguli inclinationis ad Cotangentem refracti.

Quodsi Radius FG tendens ad Punctum G ex Medio densiori in rarius incidit, Refractio fiet ab Axe (§. 38) & refractus CD cum perpendiculo LG concurret in C, eritque adeo KCD Angulo refracto CDH & KGD Angulo inclinationis IDF æqualis (§. 233. Geom.); consequenter, ut ante, distantia Puncti convergentiae KG ad distantiam Puncti concursus KC, in ratione Cotangentis Anguli inclinationis ad Cotangentem refracti. Q.e.d.

COROLLARIUM I.

74. Eodem itaque modo, quo in Theoremate 7 (§. 59) ostenditur, Radios ad idem Punctum C vel G tendentes, in uno G vel C post refractionem concurrere, si idem fuerit Angulus inclinationis. Habent scilicet distantiae Punctorum, in quibus Radii refracti concurrunt cum perpendiculo LG eandem rationem (§. 73), adeoque æquales sunt (§. 77. Arithm.); consequenter Punctum concursus G vel C idem est (§. 169 Geom.).

COROLLARIUM II.

75. Quoniam adeo Radii valde vicini ad idem Punctum Physicum tendunt; in uno quoque post Refractionem concurrunt.

PROBLEMA IV.

76. Data distantia Puncti C, ad quod Radius ED tendit, à Superficie refringente AB, una cum distantia KD Puncti refractionis D à perpendiculo LG, in quo est Punctum convergentiae C; invenire distantiam Puncti concursus GK à Superficie refringente AB.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

RESOLUTIO.

Eadem prorsus est, quæ Problematis tertii (§ 57). Nimirum

1. Ex datis in Triangulo KCD ad Rectangulo curibus KD & KC invenitur Angulus inclinationis KCD (§. 40. Trigon.).
2. Ex data ratione Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti, inventur porro Sinus Anguli refracti per Regulam trium: unde non ignotus esse potest Angulus refractus.
3. Datis adeo Angulis inclinationis & refracto reperitur tandem distantiae Puncti concursus KG (§. 73).

Eodem modo reperitur Punctum concursus C, si Radius incidens tendit ad Punctum G.

THEOREMA II.

77. Si Radius ED tendens ad Punctum C ex Medio tenuiori in Diaphanum densius, quod Planam habet Superficiem AB, oblique incidit; distantia CK Puncti ad quod ante Refractionem tendit, à Superficie refringente AB est ad distantiam GK Puncti concursus ab eadem in ratione minore, quam sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis. Quodsi tamen DK distantia Puncti refractionis D à perpendiculo LG, in quo est Punctum convergentiae C, minor fuerit undicima pars distantiae Puncti radiantis CK & ejusdem pars decima, vel minimum centesima fuerit parvitas contemnenda, erit CK ad GK ad sensum, in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis.

DEMONSTRATIO.

Eadem prorsus est, quæ Theorematis 8 (§. 62).

Tab. I.

Fig. 8.

Aa

Co

COROLLARIUM I.

Tab.I. 78. Quodsi ergo Refractio ex Aëre in
Fig. 8. Vitrum contingit, distantia Puncti concursus Radiorum Catheto LG vicinorum à Superficie refringente AB est sesquialtera distantia Puncti C, ad quod irrefracti tendunt; remotiorum vero distantia est sesquialtera minor (§. 26).

COROLLARIUM II.

79. Si Refractio ex Aëre in Aquam contingit, distantia Puncti concursus Radiorum Cathero LG vicinorum à Superficie refringente AB est sesquitertia distantia Puncti C, ad quod irrefracti tendunt; remotiorum vero distantia est sesquitertia minor (§. 28).

THEOREMA XII.

80. Si Radius FD tendens ad Punctum G ex Medio densiori in Diaphanum tenuius, quod Planam habet Superficiem AB, oblique incidit; distantia GK Puncti G, ad quod ante Refractionem tendit, à Superficie refringente est ad distantiam CK Puncti concursus ab eadem, in ratione maiore, quam Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis. Quodsi tamen DK distantia Puncti refractionis D à perpendiculari LG, in quo est Punctum convergentiae G, minor fuerit undecima pars distantiae CK Puncti radiantis & ejusdem pars decima, vel minimum centesima fuerit parvitas contemnenda, erit GK ad CK in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis.

DEMONSTRATIO.

Eadem prorsus est, quæ Theorematis 9. (§. 68).

COROLLARIUM I.

81. Quodsi ergo refractio ex Vitro in Aërem contingit & Radii fuerint perpen-

diculo LG vicini, erit KG ad KC in ratio- Ta
ne sesquialtera; si vero Radii fuerint re- Fi-
motiores in ratione sesquialtera majore (§. 41).

COROLLARIUM II.

82. Similiter si Refractio ex Aqua in Aërem contingit; habebit in casu priore KG ad KC rationem sesquitertiam, in pos- teriore sesquitertia majorem (§. 42).

THEOREMA XIII.

83. Si Oculus fuerit constitutus in Te- Medio rario, Objectum in densiore collo- Fi- catum videtur per Radium in Superficie plana refractum justo majus; si vero Objectum in rario, Oculus in densiore Medio constituatur illud justo minus appareat. In utroque casu est magnitu- do apparenſ ad veram, in ratione compo- sita distantiae FL Puncti F, ad quod Radii irrefracti tendunt, à Superficie refrin- gente DE ad distantiam GL Oculi G ab eadem, & distantiae GM Objecti AB ab Oculo G ad FM distantiam ejusdem à Puncto F, ad quod Radii irrefracti ten- dunt.

DEMONSTRATIO.

Sit Radius ML ad Superficiem refrin- gentem DE perpendicularis: transit er- go irrefractus (§. 25). Quodsi Radius BE ad Punctum F tendens ex Medio rario in densius defertur, Punctum concursus G à Superficie DN remotius, quam Punctum convergentiae F (§. 77), Ra- dius adeo, qui irrefractus ex Puncto B ad G pertingeret, à perpendiculari GM remotior esse debet quam refractus EG. Quare si in G supponatur Ocu- lus videns refracte Objectum MB sub Angulo LGE, per irrefractos idem ibi- dem videret sub Angulo LGN: conse- quen-

quenter per Radios refractos minus apparet, quam per irrefractos (§. 209. *Optic.*). *Quod erat unum.*

Quodsi BE ex Medio densiori in rarius defertur, Punctum concursus G à superficie refringente minori intervallo distat, quam Punctum F, ad quod irrefractus tendit (§. 68): Radius adeo, qui irrefractus ad Punctum G pertinget, perpendiculo GM vicinior quam GE. Quare si in G supponatur Oculus videns Objectum MB refracte sub Angulo LGE, quod directe sub Angulo LGN videret; eidem Objectum majus apparere debet quam per Radios irrefractos (§ 209. *Optic.*). *Quod erat aliterum.*

Ob parallelismum Linearum MB & LE (§. 256. *Geom.*); erit GM: GL = MB: LN & GM: GL = MH: LE (§. 268. *Geom.*), adeoque MB: LN = MH: LE (§. 167. *Arithm.*), consequenter MB: MH = LN: LE (§. 173. *Arithm.*), hoc est, magnitudo vera MB est ad apparentem MH ut LN ad LE. Porro (§. 268. *Geom.*).

$$FM: FL = MB: LE$$

$$GM: GL = MB: LN$$

Hinc LE = MB. FL: FM & LN = MB. GL: GM consequenter

$$LE: LN = \frac{FL}{FM} \cdot \frac{MB}{GL}$$

hoc est LE: LN = FL. GM: GL. FM (§. 178. 181. *Arithm.*), consequenter invertendo LN: LE = GL. FM: FL. GM (§. 173. *Arithm.*). *Quod erat tertium.*

COROLLARIUM.

84. Si Objectum AB fuerit valde remo-

tum, erit FM ipsi GM Physice æqualis, Tab. I. adeoque magnitudo vera MB ad apparentem MH, ut GL ad FL, seu ut distantia Oculi G à Plano refringente DE ad distantiam Puncti convergentiae F ab eodem Plano. Fig. 9. 10.

SCHOLION.

85. *Hinc sub Aquis demersa Oculo in Aëre constituto majora apparent: piscibus vero sub Aquis, quæ sunt in Aëre, minora apparere debent.*

PROBLEMA V.

86. *Michinam Hydromanicam conf- truere, vi cuius Imaginem Oculis Spec- tatoris immoti pro arbitrio subducere & ad eos iterum reducere possis.* Tab. I. Fig. 11.

RESOLUTIO.

1. Fiant duo Vasa ABF & CGLK intus cava & tribus columellis, quarum una BC epistomio C instructa sit itidem cava, inter se connexa.
2. Vas inferius CL per Diaphragma HI in duas cavitates dividatur, quarum inferior mediante Epistomio P claudi & aperiri potest.
3. In fundo cavitatis prioris collocetur Imago R, quæ Spectatori in O per Radium directum GM non apparet. Quodsi Epistomium P aperias, Aqua in cavitatem CI descendet, Radiusque GM refringetur à perpendiculo GR in O (§. 37). Spectator itaque per Radium refractum OG Imaginem videbit. Si jam clauso Epistomio C alterum P aperiat, Aqua in cavitatem inferiorem HL descendet. Cessante igitur Refractione Radius nullus ab Objecto R ad Oculum amplius pertinget. Cluso vero rursus Epistomo P & aperto Superiore C, aqua denuo effluet: sive Radius refractus OG denuo fistet Imaginem; quæ evanuerat.

CAPUT III.

*De Refractione Luminis in Superficiebus Sphäricis tam Cavis,
quam Convexit.*

THEOREMA XIV.

Tab. II.
Fig. 12. 87. *Radius DE Axi Sphærae densioris parallelus, post refractionem simplicem cum eodem ultra Centrum C in F concurrit.*

DEMONSTRATIO.

Quia semidiameter CE ad Punctum refractionis E ducta est ad Superficiem KBL perpendicularis (§. 38. *Analys. infinit.*), erit ea Axis refractionis (§. 10.). Quare cum Radius EH ad eum refrangatur (§. 25); ad Axem Sphærae AF convergit, adeoque tandem cum eo concurrit (§. 83. *Geom.*), & quidem ultra Centrum C in F, quia Angulus refractionis FEH minor est Angulo inclinationis CEH (§. 25). Q. e. d.

THEOREMA XV.

88. *Si Radius DE in Superficiem Sphærice Convexam Diaphani densioris incidit Axi ejus AF parallelus, erit semidiameter CE ad Radium refractum EF, in ratione Sinus Anguli refractionis ad Sinum Anguli inclinationis; distantia vero Puncti concursus à Centro CF ad Radium refractum FE, in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam ex Demonstratione Theorematis praecedentis (§. 87) constat, Semi-

diametrum CE esse Axem refractionis & DH est Axi AF parallela, per hypoth. erit BCE Angulo inclinationis DEG & CFE Angulo refractionis FEH æqualis (§. 233. *Geom.*). Quare CE ad EF, in ratione Sinus Anguli refractionis CFE ad Sinum Anguli inclinationis BCE, & CF ad EF in ratione Sinus Anguli refracti CEF ad Sinum Anguli inclinationis BCE (§. 35. *Trig.*). Q. e. d.

PROBLEMA VI.

89. *Data distantia ME Puncti refractionis E ab Axe Diaphani Sphærice Convexi AF, una cum Semidiametro ejus CE; invenire Punctum F, in quo Radius ex medio rariori incidens & Axi parallelus DE cum Axe unitur.*

RESOLUTIO.

1. Quoniam angulus ad M rectus est (§. 225. *Geom.*), ex datis lateribus ME & CE invenitur angulus MCE (§. 38. *Trigon.*), quem Angulo inclinationis æqualem esse constat ex Demonstratione Theorematis 15 (§. 88).
2. Et quia ratio Sinus Anguli inclinationis ad Sinum refracti datur (§. 24), reperto Angulo inclinationis reperiatur per Regulam trium Sinus Anguli refracti, consequenter ipse Angulus refractus CEF.

3. Quod si

3. Quodsi hunc ex Angulo MCE subtractas, relinquetur Angulus refractionis CFE (§. 239. Geom.).
4. Unde tandem ob datos Angulos inclinationis & refractionis, una cum semidiametro CE, reperitur distantia Puncti concursus F à Centro CF (§. 36. Trig.): cui si semidiameter CB addatur, habebitur quoque distantia ejusdem à Superficie refringente BF.

E.gr. Sit ME = 1', CE = 8', fiatque refraction ex Aëre in Vitrum, erit

Log. CE	0.9030900
Sin. tot.	10.0000000
ME	0.0000000

Log. Sin. MCE 9.0969100, cui in Canone quam proxime respondent 7° 10' 50".

Jam cum sit Sinus Anguli MCE ad Sinum Anguli CEF ut 3 ad 2 (§. 26); reperiatur Sinus Anguli CEF = 1249965.2 : 3 = 833310, cui in Canone quam proxime respondent 4° 46' 50". Est itaque Angulus FEH 2° 24'. Tandem

Log. Sin. FEH	8.6219616
Sin. FEC	8.9208517
CE	0.9030900
<hr/>	
	98239417

Log. CF 1.2019801, cui in Canone respondent 1592 +

Est ergo CF quam proxime 1° 5' 9" 2" seu 16', consequenter BF = 2° 3' 9" 2" seu 24'.

Sit Angulus inclinationis BCE = 3°, reperiatur refractus CEF = 2° & Angulus refractionis CFE = 1°, & hinc porro CF = 1° 5' 9" 9" seu 16' consequenter BF = 2° 3' 9" 9" seu 24'.

THEOREMA XVI.

90. Si Radius DE Axi AF parallelus in Superficiem Convexam BL Dia-

phani Sphærici densioris incidit; distan- Tab. II.
tia Foci à Superficie refringente FB est Fig. 12.
ad distantiam ejus à Centro FC, in ra-
tione maiore quam Sinus Anguli incli-
nationis ad Sinum Anguli refracti. Quodsi
tamen Radii fuerint Axi valde vicini,
Angulo inclinationis BCE paucorum gra-
duum existente, distantie Foci à Super-
ficie & Centro FB & FC erunt quampro-
xime in ratione Sinus Anguli inclinatio-
nis ad Sinum refracti.

DEMONSTRATIO.

FB > FE (§. 302. 303. Geom.). Sed FE est ad FC, ut Sinus Anguli inclinationis ad Sinum refracti (§. 88). Ergo FB ad FC rationem maiorem ha-
bet quam Sinus Anguli inclinationis ad Sinum refracti (§. 203. Arithm.). *Quod erat unum.*

Quodsi Angulus inclinationis BCE fuerit paucorum graduum; erit FE ipsi BF propemodum æqualis, adeoque BF & FE eandem rationem propemodum habent ad FC (§. 168. Arithm.). Est itaque in eo casu BF ad FC quam proxime in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

91. Quodsi Refractio ex Aëre in Vitrum contingit, erit in casu Radiorum Axi vi-
cinorum BF : FC = 3 : 2 & in casu Radio-
rum ab Axe remotiorum BF : FC > 3 : 2
(§. 26), consequenter in priore BC : BF
= 1 : 3 (§. 193. Arithm.) & hinc in poste-
riore BC : BF < 1 : 3.

SCHOLION I.

92. Convenit cum bisce Calculus superior in Probl. 6 (§. 89).

COROLLARIUM II.

Tab. II.
Fig. 12.
93. Si Refractio ex Aëre in Aquam contingit, erit in casu priore $BF : FC = 4 : 3$ & in posteriore $BF : FC > 4 : 3$ (§. 28), consequenter in priore $BC : BF \equiv 1 : 4$ (§. 193. Arithm.) & hinc in posteriore $BC : BF < 1 : 4$.

COROLLARIUM III.

94. Quoniam Radii Solares sunt ad sensum paralleli (§ 94. Optic.); si in superficiem Sphæræ Vitreae solidæ vel Aqua repleta incident, intra eam cum Axe non concurrunt.

SCHOLION II.

95. Fallitur adeo VITELLIO, dum sibi persuadet, Radios Solis parallelos in superficiem Sphæræ Chryſtallinæ incidentes ad Centrum refringi.

THEOREMA XVII.

Tab. II.
Fig. 13.
96. Si Radius DE Axi FA parallelus ex Medio densiore in Diaphanum Sphericum rarius incidit; post refractionem ab Axe divergit, estque distantia FC Puncti dispersus à Centro Diaphani Spherici ad Semidiametrum ejus CE, in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli refractionis; ad portionem vero Radii refracti retroducti EF in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis.

DEMONSTRATIO.

Quoniam semidiameter CE ad Superficiem Sphæræ perpendicularis (§. 38. Analys. infin.), erit ea Axis refractionis (§. 10), adeoque Radius DE ab eo frangitur (§. 38); consequenter refractus EN ab Axe intra Diaphanum Sphericum divergit & hinc in Medium densius retro continuatus cum eodem concurrit (§. 263. Geom.). Quod erat unum.

Quoniam DH ipsi FA parallela, per hypoth. & CG ad Superficiem BL perpendicularis (§. 38. Analys. infin.); erit BCE Angulo inclinationis DEG (§. 233. Geom. & §. 12. Dioptr.) & CFE Angulo refractionis HEN (§. cit. Geom. & §. 13. Dioptr.) æqualis. Erit itaque FC ad CE, ut Sinus Anguli refracti CEN ad Sinum Anguli refractionis CFE; & FC ad FE, ut Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis (§. 35. Trigon.). Quod erat alterum.

PROBLEMA VII.

97. Data distantia ME Puncti refractionis ab Axe Diaphani rarius Spherici, in quod incidit ex Medio densior. Radius DE Axi FA parallelus, una cum Semidiametro Diaphani CE; inveniri Punctum dispersus F.

RESOLUTIO.

1. Quoniam EM ad MC perpendicularis (§. 225. Geom.), in Triangulo ac M rectangulo, ex datis lateribus ME & CE, invenitur Angulus inclinationis BCE (§. 38. Trigon.).
2. Quia datur ratio Sinus Anguli inclinationis ad Sinum refracti (§. 2436); per Regulam trium porro reperitur Sinus Anguli refracti; & hinc vi Canonis Angulus refractus CEN.
3. Ab Angulo refracto CEN subducendus est Angulus inclinationis BCE & relinquetur Angulus refractionis CFE (§. 239. Geom.).
4. Quare tandem (§. 96) reperitur FC distantia Puncti dispersus à Centro unde subducta Semidiametro BC eju

ejus à Superficie refringente BEL distantia relinquitur.

E. gr. Sit $ME = 1''$, $EC = 12''$. Quoniam CE ad ME , ut Sinus totus ad Sinum Anguli inclinationis; reperietur hic $= \frac{10000000}{12} = 8333333$ & hinc, vi Canonis, $BCE = 4^\circ 46' 50''$. Quodsi am supponamus Refractionem fieri ex Vitro in Aërem, erit Siuus Anguli refracti $CEN = \frac{3.8333333}{2} = 12499999$, cui in Canone quam proxime respondent $10' 50''$. Unde $F = 2^\circ 24'$, tandemque

Log. Sin. F.	86219615
Sin. CEN	90968979
CE	10791812
	101760791

Log. $FC = 15541176$, cui in Canone quam proxime respondent $3' 5''$
 $2''$ seu $36''$. Est igitur $FB = 2382'''$
 $u 24''$.

THEOREMA XVIII.

98. Si Radius DE Axi AF parallelus in Superficiem Convexam BEL Diaphani Sphærici rarioris ex Medio densori incidit; distantia Puncti dispersus Centro FC ad distantiam ejus à Superficie FB rationem majorem habet, quam Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis. Quodsi tamen Radius DE fuerit Axi FA valde vicinus, ratio erit quam proxime ea, qua est index Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis.

DEMONSTRATIO.

FC ad FE habet rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis (§ 96). Sed $FE > FB$ (§ 302. leom.). Ergo FC ad FB rationem ajorem habet quam Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis (§ 205. Arithm.). Quod erat unum.

Quodsi Radius DE fuerit Axi FA Tab. II. ad inodum propinquus, differentia rectarum FE & FB evadet tandem parvitas contemnenda; consequenter FC ad FB & FE eandem quam proxime rationem habet (§. 168. Arithm.). Sed FC est ad FE ut Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis (§. 96). Ergo etiam FC ad FB eandem quam proxime rationem habet. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

99. Si Refractio ex Vitro in Aërem contingit, erit in casu Radiorum Axi vicinorum $FC : FB = 3 : 2$ (§. 41), consequenter $BC : FB = 1 : 2$ (§. 193. Arithm.). In casu Radiorum ab Axe remotiorum $FC : FB > 3 : 2$ (§. 41).

COROLLARIUM II.

100. Si Refractio ex Aqua in Aërem contingit erit in casu priore $FC : FB = 4 : 3$ (§. 41), consequenter $BC : FB = 1 : 3$ (§. 193. Arithm.). In casu posteriori $FC : FB > 4 : 3$ (§. 41).

COROLLARIUM III.

101. Cum adeo Punctum dispersus F à Superficie refringente KL longius distet si Radii ex Aqua, quam si ex Vitro in Aërem erumpunt; Radii paralleli in priore casu minus disperguntur, quam in posteriore.

SCHOLION.

102. Cum his consentit Calculus secundum Problema 7 institutus (§. 97).

THEOREMA XIX.

103. Si Radius DE Axi AF parallelus incidat in Superficiem Convexam BEL Diaphani Sphærici rarioris ex Medio densori; erit distantia Puncti dispersus à Centro FC ad Radium BC in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli refractionis.

Tab. II.

Fig. 13. DEMONSTRATIO.

Est enim FC ad CE, in ratione Sinus Anguli CEN ad Sinum Anguli CFE (§. 35. *Trigon.*). Cum refractio fiat ex Medio densiori in rarius, Radius incidentis DE refringitur ab Axe in EN (§. 38), eritque CEN Angulus refractus (§. 14) & NEH = EFC (§. 233. *Geom.*) ob parallelismum rectarum DH & AF, CFE Angulus refractionis (§. 13). Est itaque FC ad CE sive CB in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli refractionis. Q. e. d.

THEOREMA XX.

Tab. II. 104. Si Radius HE Axe FA parallellus in Superficiem Concavam Diaphani Sphaerici densioris ex Medio rario incidit; refractus EN dispergetur ex Puncto Axis F, ita ut IE habeat ad FC rationem Sinus Anguli inclinationis ad Sinum refracti.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Semidiameter CE secat BEL ad angulos rectos, (§. 38. *Analys. infin.*) & BF ipsi EH parallela, per hypoth. Radius refractus EF cum BF concurrere debet (§. 25), estque FE ad FC in ratione Sinus anguli BCE = CEF (§. 233. *Geom.*) ad Sinum anguli CEF (§. 35. *Trig.*), hoc est ut Sinus Anguli inclinationis ad Sinum refracti (§. 14. *Diopt.* & § 22. *Catoptr.*). Q. e. d.

PROBLEMA VIII.

105. Data distantia ME Puncti refractionis E ab Axe AF, una cum Semidiametro CE Diaphani Sphaerici densioris BEL, in cuius Cavam Superficiem Radius EH Axe parallelus ex Medio rario incidit; invenire distantiam

Puncti dispersus F à Superficie refringente FB.

RESOLUTIO.

1. Cum in Triangulo EMC Angulus M sit rectus (§. 225. *Geom.*) ex datis ME & CE reperietur Angulus inclinationis MCE (§. 38. *Trig.*).
2. Quia ratio Sinus Anguli inclinationis ad Sinum refracti datur (§. 24), per Regulam trium invenietur Sinus Anguli refracti, adeoque vi Canonis habetur ipse Angulus refractus CEF, qui
3. Ex Angulo inclinationis BCE subductus relinquuntur Angulum refracti CFE (§ 233. *Geom.*).
4. Datis itaque in Triangulo CEF omnibus Angulis & latere CE, inveniatur distantia Puncti dispersus FC à Centro (§. 36. *Trigon.*).

E. gr. Sit EM = 1", BC = 16"; erit Sinus Anguli inclinationis = 10000000 : 16 = 625000.

Est itaque BCE, vi Canonis, 3° 35'. Quare si ponamus Refractionem fieri ex Aere in Vitrum, erit Sinus Anguli refracti (§. 26) 625000. 2 : 3 = 4166666, adeoque, vi Canonis, CEF = 2° 23' 20" & hinc CFE = 1° 11' 40". Quare tandem

Log. Sin. CFE	8 3 1 9 0 1 1 8
CE	1 2 0 4 1 1 9 9
Sin. CEF	8 6 1 9 9 4 7 4
	9 8 2 4 0 6 7 3

Log. FC 1.5050555, cu in Tabulis quam proxime respondent 3° 1' 9" seu 32". Ergo FB = 48".

THEOREMA XXI.

106. Si Radius EH Axe FB parallellus in Diaphani Sphaerici densioris Superficiem Cavam BEL ex Medio rario incidit; distantia Puncti dispersus à Superficie

refringente FB est ad distantiam ejus à Centro FC, in ratione majore quam Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti. Quodsi tamen Radii fuerint Axi valde vicini, Angulo BCE parcorum graduum existente; erit BF ad CF quam proxime, in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti.

DEMONSTRATIO.

$BF > EF$ (§. 302. 303. Geom.). Sed FE est ad FC in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti (§. 104). Ergo FB ad FC rationem ista majorem habet (§. 203. Arithm.). *Quod erat unum.*

Quod si FE fuerit ipsi FB valde propinqua, differentia earum erit parvitas contemnenda, adeoque ratio rectarum FE & FB ad FC quam proxime eadem (§. 168. Arithm.). Sed FE est ad FC in ratione Sinus Anguli inclinationis, ad Sinum Anguli refracti (§. 104). Ergo FB ad FC, in hoc casu, quam proxime rationem eandem habet. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

107. Quodsi Refractio ex Aëre in Vitrum contingit, erit in casu Radiorum Axi vicinorum $FB : FC = 3 : 2$, in casu remotiorum ab Axe $FB : FC > 3 : 2$ (§. 26), consequenter in priore $CB : FC = 1 : 2$ (§. 193. Arithm.).

SCHOLION.

108. Consentit cum his Calculus in Problemate octavo (§. 105).

COROLLARIUM II.

109. Si Refractio ex Aëre in Aquam contingit, erit in casu Radiorum Axi vicinorum $FB : FC = 4 : 3$ (§. 28), in casu remotiorum ab Axe $FB : FC > 4 : 3$; consequenter in priore $BC : FC = 1 : 3$ (§. 193. Arithm.).

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

COROLLARIUM III.

110. Quia Punctum dispersus F à Centro C longius distat, si refractio in Aqua, Fig. 12. Tab. II. quam si in Vitro contingit (§. 107. 109); in posteriore casu Radii refracti minus disperguntur quam in priore.

THEOREMA XXII.

111. In Hypothesi Theorematis precedentis, erit Radius Concavitat is CE ad distantiam Puncti dispersus à Centro FC, in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli refracti.

DEMONSTRATIO.

Est enim CE ad FC, in ratione Sinus Anguli CFE ad Sinum Anguli CEF (§. 35. Trigon.). Enimvero CFE = FFH (§. 233. Geom.), ob parallelismum EH & BF, per hypoth. Angulus refractionis (§. 13) & CEF Angulus refractus (§. 14). Est igitur CE ad FC, ut Sinus Anguli refractionis ad Sinum Anguli refracti. *Q.e.d.*

THEOREMA XXIII.

112. Si Radius HE Axi AF parallelus ex Medio densiori in Superficiem Cavam KBL Diaphani Sphaericæ rarioris incidit; refractus in FE cum Axe AF in F concurrit, ita ut distantia Puncti concursus à Centro CF sit ad Radium refractum FE, in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis. Tab. II. Fig. 13.

DEMONSTRATIO.

Quoniam CG secat BFL ad Angulos rectos (§. 38. Analyt. infinit.) & ex Conducta CF est Radio incidenti parallela, per hypoth. refractus EB eidem occurrere debet in F (§. 41), estque FC ad FE, ut Sinus Anguli refracti ad

Bb

Si.

Tab. II. Sinum Anguli inclinationis (§. 35. *Trig.* 13. *gen.*). Q.e.d.

PROBLEMA IX.

113. *Data distantia Puncti refractionis ME ab Axe Diaphani Sphaericæ KBL rarioris, in cuius Superficiem Cavam Radius EH Axi AF parallelus ex Medio densiore incidit, una cum Semidiametro Diaphani CE; invenire distantiam Foci à Superficie refringente BE.*

RESOLUTIO.

1. Ex datis in Triangulo CME ad M rectangulo, (§. 225. *Geom.*) lateribus ME & CM, invenitur Angulus inclinationis MCE (§. 38. *Trig.*).
2. Et quia ratio Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis datur (§. 24. 36), ille quoque per Regulam trium facile invenitur.
3. Angulus inclinationis BCE ex refrausto CEN subductus relinquit Angulum refractionis, HEN seu CFE (§. 233. *Geom.*).
4. Tandem ex datis in Triangulo FCE præter latus CE, Angulis singulis reperitur FC (§. 36. *Trigon.*).

E. gr. Sit ME = 1'', CE = 10''; erit Sinus Anguli MCE = 10000000 : 10 = 1000000, cui in Canone quam proxime respondent $5^{\circ}44'20''$. Quare si ponamus Refractionem ex Vitro in Aërem fieri, reperietur Sinus Anguli CEN = 1000000. 3 : 2 = 1500000, cui in Canone quam proxime convenient $8^{\circ}37'40''$. Et hinc Angulus refractionis CFE $2^{\circ}53'20''$. Quare tandem

Log. Sin. F	87024241
CE	10000000
Sin. FEC	91761337
	—
Log. FC	101761337
	—
	1.4737096, cui in

Tabulis respondent quam proxime $1'9''7''$
 $7'''$ seu fere 30. Unde AB = $1'9''7''7'''$ F
 seu 20''.

THEOREMA XXIV.

114. *Si Radius HE Axe AB parallellus ex Medio densiore in Diaphani Sphaericæ rarioris Superficiem Cavam incidit; distantia Foci à Centro FC habet ad distantiam ejus à Superficie refringente FB, rationem majorem quam Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis; at si Radius fuerit Axe vicinus, erit FC ad FB, in ratione illorum Sinuum.*

DEMONSTRATIO.

FC est ad FE ut Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis (§. 112). Sed FB < FE (§. 302. *Geom.* Ergo FC ad FB rationem majorem habet quam Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis (§. 195. *Arithm.*). Quod erat unum.

Quodsi Radii Axe AB fuerint valde vicini, erit differentia rectarum FB & FE parvitatis contemnenda; unde FC rationem eandem habet ad FB & FE (§. 168. *Arithm.*); consequenter FC ad FB in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis (§. 112). Quod erat alterum.

COROLLARIUM I.

115. Si Refractio ex Vitro in Aërem contingit, in casu Radiorum Axe vicinorum erit FC ad FB ut 3 ad 2 (§. 41), in casu remotiorum FC : FB > 3 : 2. Unde BC : FB = 1 : 2 (§. 193. *Arithm.*), in casu priore.

COROLLARIUM II.

116. Si Refractio ex Aqua in Aërem contingit, in casu Radiorum Axe vicinorum

rum erit $FC : FB = 4 : 3$ (§. 41), in casu remotiorum $FC : FB > 4 : 3$. Unde $BC : FB = 1 : 3$ (§. 193. Arithm.) in casu priore.

THEOREMA XXV.

117. In Hypothesi Theorematis precedentis, erit Radii Concavitatis CE ad distantiam Puncti dispersus à Centro FC, in ratione Sinus Anguli refractionis CFE ad Sinum Anguli refracti CEN.

DEMONSTRATIO.

Eadem est, quæ Theorematis 22. (§. III).

LEMMA II.

118. Cosinus Anguli septem graduum, & multo magis Anguli minoris à Sinu toto in centesimis non differt. Cosinus vero viginti graduum nondum in decimis à Sinu toto diffidet. Et idem de Secantibus eorundem Angulorum valeat.

DEMONSTRATIO.

Quodsi enim Sinus totus fuerit 10000, Cosinus septem graduum est, vi Canonis, 9925. Differentia itaque $\frac{7}{10000}$ seu $\frac{7}{1000} < \frac{1}{100}$. Quod erat unum.

Similiter si Sinus totus fuerit 10000, Cosinus viginti graduum est, vi Canonis 9396. Differentia itaque $\frac{604}{10000}$ seu $\frac{6}{100} < \frac{1}{10}$. Quod erat alterum.

Nec absimili modo idem de Secantibus ostenditur. Quod erat tertium.

COROLLARIUM I.

119. Quoniam in Triangulo MFE ad M rectangulo, FEM est complementum Anguli F ad rectum (§. 241. Geom.), & hinc FE ad FM, ut Sinus totus ad Cosinum Anguli F (§. 33. & 11. Trigon.); quamdiu Angulus F septem gradus non excedit, differentia Hypotenusa FE & Catheti FM centesima istius parte minor; & quamdiu idem

Angulus F viginti gradus non superat, differentia rectarum FE & FM decima longe Tab. II. Fig. 13. minor.

COROLLARIUM II.

120. Quodsi ergo in Triangulo rectangulo FME Angulus F fuerit 7 graduum vel minor, & centesima Hypotenusa FE pars fuerit parvitatis contemnenda, Hypotenusa FE, & Cathetus FM ad sensum aequales sunt. Eodemque modo patet, fore ad sensum FE = FM, si F 20° vel minor, & $\frac{1}{10}$ EF parvitatis contemnenda.

THEOREMA XXVI.

121. Si Axis AF Diaphani Sphaerici LBM ita secetur in N, ut NB habeat ad NC rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis, & ex Puncto N incidat Radius ND per Medium rarius in Superficiem Convexam Diaphani densioris LM, Angulo N paucorum graduum existente; refractus DV erit Axi AF parallelus. Quodsi incidens AD ex Puncto remotiori A emanet, refractus DF cum Axe concurrit in F; si vero incidens QD ex Puncto viciniori Q adveniat, refractus DT ab Axe divergit Punctum dispersus in G habens.

DEMONSTRATIO.

Quoniam ND ipsi NB admodum vicinus, seu angulus BND paucorum graduum, per hypoth. erit ND ipsi NB proximum aequalis (§. 120). Quare cuncti NC ad NB habeant rationem Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti per hypoth. etiam NC ad ND eandem rationem habebit (§. 168. Arithm.). Sunt vero latera NC & ND, ut Sinus Angulorum CDS & NCD (§. 35. Trigon.). Quoniam ita que.

Tab. II. Quoniam itaque CDS est Angulus inclinationis (§. 12), erit NCD refracto CDV (§. 14.) æqualis; consequenter DV Axi AF parallela (§. 255. Geom.). *Quod erat primum.*

Si Radius AD ex Puncto remotiori incidit, erit CDX Angulus inclinationis (§. 12), CDF Angulus refractus (§. 14). Quare si ex Centro C demittantur perpendiculares CH & CO, itemque CI & CP; sumto CD pro Sinu toto, erit CO Sinus Anguli inclinationis CDX & CH Sinus refracti eidem respondentis CDF, similiterque CP Sinus Anguli inclinationis CDS Radii ex N emanantis & CI Sinus Anguli refracti CDV eidem respondentis (§. 2. Trigon.). Est vero $CP : CI = CO : CH$ (§. 26) adeoque $CP : CO = CI : CH$ (§. 173. Arithm.). Quare cum $CP > CO$, quia Angulus CDS $>$ CDX (§. 84. Arithm.); etiam $CI > CH$, consequenter Radius refractus DF à Puncto Axis C minus distat, quam parallela DV. Sed in Puncto D eadem erat utriusque ab Axe distantia. Ergo distantia ipsius DF ab Axe in progressu minuitur, adeoque DF cum eodem convergit (§. 83. Geom.), tandemque alicubi, veluti in F, concurrere debet. *Quod erat secundum.*

Si denique Radius QD ex Puncto viciniori incidit, erit CDR Angulus inclinationis & CDT refractionis (§. 12 & 14) demissæque ex C perpendiculares CZ & CK, sumto CD pro Sinu toto, eorundem Sinus (§. 2. Trigon.). Unde eodem, quo ante modo, ostenditur, refractum DT ab Axe divergere, adeoque Punctum dispersus in G habere. *Quod erat tertium.*

PROBLEMA X.

122. Si Axis AF Diaphani Sphericæ LM ita seetur in N, ut NB ad NC habeat rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis, & ex Puncto remotiori A per Medium rarius in Superficiem Convexam Diaphani densioris LBM Radius incidat, Angulo BCD exiguo existente; determinare distantiam Puncti concursus à Superficie refringente BF.

RESOLUTIO.

Ex Centro C demittantur perpendiculares CH & CI, quæ sumto CD pro Sinu toto, erunt Sinus Angulorum refracti CDF & inclinationis CDG (§. 2. Trigon. & §. 11 & 14. Diopir.). Demittatur etiam ex D ad Axem AF perpendicularis DK. Quoniam Angulus BCD exiguis existit, per hypoth. erit CK ipsi CB ad sensum æqualis (§. 120) & hinc etiam FK ipsi FB atque AK ipsi AB, immo etiam per eandem rationem perpendiculares ex C demissæ CH & CI æquales habentur perpendicularibus ex Punctis I & H ad Axem demissis.

Fiat itaque $AB = d$, $CB = a$, $CH = m$, $CI = n$, $FB = x$, erit $AC = a + d$, $FC = x - a$, consequenter (per demonstrata & §. 268 Geom.).

$$FC : FK = CH : KD$$

$$x - a : x = m : \frac{mx}{x - a}$$

$$AC : AK = CI : KD$$

$$a + d : d = n : \frac{nd}{a + d}$$

Habet

Habemus adeo

$$mx : (x - a) = nd : (a + d)$$

$$\frac{max}{max} + \frac{mdx}{max} = \frac{ndx}{max} - \frac{nad}{max}$$

$$\frac{nad}{max} = \frac{ndx}{max} - \frac{max}{max} - \frac{mdx}{max}$$

Quæ ultima æquatio in analogiam resoluta dabit.

$$(n-m)d - ma : na = d : x$$

hoc est $(n-m)AB - mCB : nCB = AB : FB$

Data adeo ratione refractionis $n : m$ (§. 24), in quolibet casu speciali per Regulam trium invenietur FB.

E. gr. Si Refractio ex Aëre in Vitrum contingit, $n : m = 3 : 2$ (§. 26). Sit CB = 6", AB = 150"; erit $n - m = 1$, $(n-m)AB - mCB = 150'' - 12'' = 138''$, $nCB = 18''$, consequenter $FB = 150. 18 : 138 = 19\frac{13}{23}'' \approx 195''$ fere.

COROLLARIUM I.

123. Ergo si Refractio ex Aëre in Vitrum contingit, erit $AB - 2CB : 3CB = AB : FB$ (§. 26) & hinc $AB - 2CB : AC = AB : AF$ (§. 190. Arithm.).

COROLLARIUM II.

124. Si Refractio ex Aëre in Aquam fit, erit $AB - 3CB : 4CB = AB : BF$ (§. 41) & hinc $AB - 3CB : AC = AB : AF$.

THEOREMA XXVII.

125. Si Axis Diaphani Spherici AF ita dividatur in N, ut NB ad NC habeat rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis, & ex Puncto A Radius AD Axi vicinus, (hoc est, Angulo A paucorum graduum existente) per Medium rarius in Superficiem Convexam Diaphani densioris LM incidat; erit AN : NC = AB : FB.

DEMONSTRATIO.

Sit ratio Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis = $m : n$; erit

NB : NC = $m : n$ vi hypoth. & hinc Tab. II.
BC: NB = $n - m : m$ (§. 193. Arith.), Fig. 15; consequenter NB = $mBC : (n - m)$, adeoque NC = BC + mBC : (n - m) & AN = AB - mBC : (n - m). Est itaque

$$AN : NC = AB - \frac{mBC}{n-m} : BC + \frac{mBC}{n-m}$$

hoc est AN : NC = $(n - m)AB - mBC : nBC$ (§. 178. Arithm.). Est vero $(n-m)AB - mBC : nBC = AB : FB$ (§. 122). Quare AN : NC = AB : BF (§. 167. Arithm.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

126. Erit igitur etiam AN : AC = AB : AF (§. 190. Arithm.) & ideo ulterius AN : AB = AC : AF (§. 173. Arithm.).

COROLLARIUM II.

127. Est adeo etiam AN : BN = AC : CF (§. 183. Arithm.).

PROBLEMA XI.

128. Si Axis FP ita fuerit divisus in N, ut NB ad NC habeat rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis & ex Puncto A in Superficie Convexam LM Diaphani Spherici densioris per Medium rarius incidat Radius AD Axi vicinus; Punctum dispersum F determinare.

RESOLUTIO.

Quoniam Radius AD Axi Diaphani AC vicinus, adeoque Angulus AC exiguis supponitur; si DK ad AC, CH ad FE, & CI ad AG perpendicularares demittantur, erit ad sensum AK = AB, FK = FB, & perpendicularares ex K ad AG, ex I & H ad AC demissæ à normalibus DK, CI & CH ad sensum non

Tab. II. different (§. 120). Quod si CD sumatur pro Sinu toto; erit CI Sinus Anguli inclinationis CDG (§. 2. Trig. & §. 12. Dioptr.) & CH Sinus Anguli refracti CDE (§. 2. Trigon. & §. 14. Dioptr.).

Fiat jam $AB = d$, $CB = a$, $CH = m$, $CI = n$, $FB = x$, erit $AC = a + d$, $FC = x + a$, consequenter (per demonstrata & §. 268. Geom.)

$$FC : FK = CH : KD$$

$$x+a : x = m : \frac{mx}{x+a}$$

$$AC : AK = CI : KD$$

$$a+d : d = n : \frac{nd}{d+a}$$

Habemus adeo

$$\frac{mx : (x+a) = nd : (a+d)}{max + mdx = ndx + nad}$$

$$\frac{max + mdx - ndx = nad}{max + mdx - ndx = nad}$$

Hæc æquatio in analogiam resoluta dabit

$$\frac{ma + (m-n)d : na = d : x}{mBC + (m-n)AB : nCB = AB : FB}$$

Data adeo ratione refractionis $m : n$ (§. 24), in dato quolibet casu speciali per Regulam trium invenitur FB.

E. gr. Si Refractio ex Aëre in Vitrum contingit; erit $n : m = 3 : 2$ (§. 26). Sit $CB = 6''$, $AB = 10''$, erit $mBC = 12$, $(m-n)AB = -10$, $nCB = 18$, consequenter $FB = 18. 10 : 2 = 90''$.

COROLLARIUM I.

129. Ergo si Refractio ex Aëre in Vitrum contingit, erit $2BC - AB : 3CB = AB : FB$ (§. 26) & hinc $2BC - AB : AC = AB : AF$ (§. 193. Arithm.).

COROLLARIUM II.

130. Si Refractio ex Aëre in Aquam fit, erit $3BC - AB : 4BC = AB : FB$ (§. 41) & hinc $2BC - AB : AC = AB : AF$ (§. 190. Arithm.).

THEOREMA XXVIII.

131. Si Axis Diaphani Spherici FP ita secetur in N, ut NB habeat ad NC rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis, & ex Puncto viciniori quam N per Medium rarius incidat Radius AD Axi vicinus (hoc est Angulo A paucorum graduum existente) in Superficiem Diaphani densioris convexam LM; erit AN : NC = AB : FB.

DEMONSTRATIO.

Sit ratio Sinus Anguli Refracti ad Sinum Anguli inclinationis $= m : n$; erit $NB : NC = m : n$ per hypoth. adeoque $BC : NC = n - m : n$ & $BC : NB = n - m : m$ (§. 193. Arithm.), adeoque $NC = nBC : (n - m)$, & $NB = mBC : (n - m)$, consequenter $AN = mBC : (n - m) - AB$. Est itaque $NA : NC = \frac{mBC}{n-m} - AB : \frac{nBC}{n-m} = mBC - (n-m)AB : nBC$ (§. 178. Arithm.) $= AB : FB$ (§. 128). Q. e. d.

COROLLARIUM.

132. Est itaque etiam $NA : AC = AB : AF$ (§. 190. Arithm.).

PROBLEMA XII.

133. Si Radius FC ex Puncto F Axis FP per Medium densius in Superficiem Convexam LBM Diaphani Spherici rarius incidit; determinare Punctum dispersus A.

RESOLUTIO.

Ex antecedentibus constat, demissis CH & CI ex Centro Diaphani C perpendicularibus ad Radium incidentem FE & refractum AG, fore CH sinum Anguli inclinationis CDE & CI Sinum Anguli refracti CDG, & si fiat $CH = m$, $CI = n$, $FB = d$, $BC = a$, $AB = x$ & hinc $AC = a + x$, $FC = a + d$, fore ulterius

$$AC : AB = CI : KD$$

$$a + x : x = n : \frac{nx}{a+x}$$

$$FC : FB = CH : KD$$

$$a + d : d = m : \frac{md}{a+d}$$

Habemus ergo

$$\frac{nx : (a+x)}{nax + ndx} = \frac{md : (a+d)}{mad + mdx}$$

$$nax + ndx - mdx = mad$$

Hæc æquatio in analogiam resoluta dabit

$$na + (n-m) d : ma = d : x$$

hoc est, $n BC + (n-m) FB : m BC = FB : AB$.

E. gr. Si Refractio ex Vitro in Aërem contingit, erit $n : m = 3 : 2$ (§. 41). Quare si $BC = 8''$, $FB = 20''$, erit $n BC + (n-m) FB = 24 + 20 = 44$, $m BC = 16$, consequenter $AB = 20. 16 : 44 = 7 \frac{3}{11}$.

COROLLARIUM I.

134. Si Refractio ex Vitro in Aërem contingit, erit $3 BC + FB : 2BC = FB : AB$ (§. 41), adeoque $FC : 2BC = FA : AB$ (§. 193. Arithm.).

COROLLARIUM II.

135. Si Refractio ex Aqua in Aërem fit, erit $4BC + FB : 3BC = FB : AB$ (§. 41.) & hinc $FC : 3BC = FA : AB$ (§. 193. Arithm.).

THEOREMA XXIX.

136. Si ex Puncto F Axis Diaphani Sphærici rarioris per Medium densius incidat Radius FD Axi vicinus, sitque A Punctum dispersus Radii refracti DG cum Axe FP ita diviso, ut PC habeat rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis; erit $FP : PC = FB : BA$.

DEMONSTRATIO.

Sit Sinus Anguli inclinationis ad refractum ut m ad n . Quoniam $BP : PC = n : m$ per hypoth. erit $BC : PC = n - m : m$ & $BC : BP = n - m : n$ (§. 193. Arithm.), adeoque $PC = m BC : (n - m)$ & $BP = n BC : (n - m)$, consequenter $FP = n BC : (n - m)$

+ FB. Est itaque $FP : PC = \frac{nBC}{n-m} + FB : \frac{mBC}{n-m} = nBC + (n-m)FB : mBC$ (§. 178. Arithm.) = $FB : AB$ (§. 133.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

137. Est igitur etiam $FP : FC = FB : FA$ (§. 193. Arithm.), & $FP : FB = FC : FA$ (§. 173. Arithm.).

COROLLARIUM II.

138. Si Refractio ex Vitro in Aërem contingit, erit $3 BC + FB : 2BC = FC : FA$ (§. 41); si vero ex Aqua in Aërem, $4BC + FB : FB = FC : FA$ (§. cit.). Est enim $FP = nBC : (n - m) + FB$.

PROBLEMA XIII.

139. Si Radius AD ex Puncto Axis A per Medium rarius in Cavam Superficiem Diaphani Sphærici densioris LM. incidat; determinare Punctum dispersus F.

Tab. II.
Fig. 16.

RE-

RESOLUTIO.

Tab II. Sit CI Sinus Anguli inclinationis
Fig. 17. CDA = n , CH Sinus Anguli refracti
 CDF = m , AB = d , FB = x , CB
 = a , erit FC = $x - a$, AC = $d - a$
 & ex antecedentibus constat fore
 $AC : AB = CI : KD$
 $d - a : d = n : \frac{nd}{d - a}$
 $FC : FB = CH : KD$
 $x - a : x = m : \frac{mx}{x - a}$

Habemus ergo

$$\frac{nd : (d - a)}{ndx - nda} = \frac{mx : (x - a)}{max - ndx + mdx - max}$$

$$max + ndx - mdx = nda$$

Hæc æquatio in analogiam sequentem resolvitur

$$\frac{am + (n - m)d : na}{mBC + (n - m)AB : nBC} = \frac{d : x}{AB : FB}$$

E. gr. Si Refractio fit ex Aëre in Vitrum, erit $n : m = 3 : 2$ (§. 26). Quare si BC = $20''$, AB = $80''$; erit $mBC + (n - m)AB = 40 + 80$, $nBC = 60$, adeoque FB = 80 . $60 : 120 = 40$.

COROLLARIUM. I.

140. Si Refractio ex Aëre in Vitrum contingit, erit $2BC + AB : 3BC = AB : FB$ (§. 26) & hinc $2BC + AB : AC = AB : AF$ (§. 193. Arithm.).

COROLLARIUM. II.

141. Si Refractio ex Aëre in Aquam fit, erit $3BC + AB : 4BC = AB : FB$ (§. 28) & hinc $3BC + AB : AC = AB : AF$ (§. 193. Arithm.).

THEOREMA XXX.

142. Si Radius AD ex Puncto Axis A per Medium rarius in Cavam Superficiem Diaphani Sphærici densioris LBM

incidit, & CQ ad QB habeat rationem Sinus Anguli inclinationis ad Sinum refracti; erit AQ : CQ = AB : FB.

DEMONSTRATIO.

Quoniam CQ : QB = $n : m$ per hypoth. erit CB : CQ = $n - m : n$ & CB : QB = $n - m : m$ (§. 193. Arithm.). atque hinc CQ = $nCB : (n - m)$ & QB = $mCB : (n - m)$, adeoque AQ = $mCB : (n - m) + AB$. Est itaque AQ : CQ = $\frac{mCB}{n - m} + AB : \frac{nCB}{n - m}$ = $mCB + (n - m)AB : nCB$ (§. 178. Arithm.) = AB : FB (§. 139). Q. e. d.

COROLLARIUM.

143. Est ergo AQ : AC = AB : AF (§. 193. Arithm.) & hinc AQ : AB = AC : AF (§. 173. Arithm.).

THEOREMA XXXI.

144. Si Axis AB Diaphani Sphærici Concavi DMBRL ita dividatur in N, ut BN ad NC habeat rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis & ex Puncto N incidat Radius ND Axi vicinus per Medium densius in rarius; erit refractus DL Axi AF parallelus. Quodsi ex Puncto ulteriori A incidat AD, refractus DF cum Axe AF in Puncto F concurret; si vero ex Puncto propiori I vel S adveniat Radius ID vel SR, refractus DO vel RZ ab Axe AF divergit habens Punctum dispersum in Q vel T. Si autem Radius incidat ex Centro C, nullam refractionem patitur.

DEMONSTRATIO.

Si Radius DL Axi parallelus & vici-nus per Medium rarius in Superficiem Convexam Diaphani Sphærici densioris DMBRL

DMBRL incidit, fueritque BN ad CN in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti; erit N Punctum concursus post refractionem (§. 90). Quare si refractus DN sumatur pro incidente, sitque adeo Angulus NDC Angulus inclinationis, qui ante erat refractus; erit nunc Radius DL refractus, qui ante erat incidens (§. 37); consequenter refractus DL Axi AF parallelus. *Quod erat primum.*

Demittantur jam ex Centro C rectæ Ca, Cb, Cd, Ce, Cf, Cg ad ND, DG, DA, DH, DI, DQ perpendiculares; erunt Ca, Cd, Cf Sinus Angulorum inclinationis CDN, CDA, CDI (§. 2. *Trigon.* & §. 12. *Dioptr.*) & Cb, Ce, Cg Sinus Angulorum refractorum CDG, CDH, CDQ (§. 2. *Trig.* & §. 14. *Dioptr.*). Quare cum sit Ca : Cb = Cd : Ce (§. 26. & 37) & Cd > Ca; erit etiam Ce > Cb; consequenter Centrum C à Radio refracto DH magis distat, quam à parallelo DG, & hinc DH ab Axe AB divergit, adeoque DF cum BF convergit (§. 263. *Geom.*). *Quod erat secundum.*

Similiter quia Ca : Cb = Cf : Cg (§. 26. 37) & Cf < Ca, erit quoque Cg < Cb, consequenter Centrum C à radio refracto DQ minus distat, quam à parallelo DG & hinc DQ cum Axe AB convergit, adeoque DO ab eodem divergit (§. 263. *Geom.*). Est itaque Punctum dispersus in Q (§. 23). Quod vero incidentis SR Punctum dispersus sit in T similiter patet (§. 38). *Quod erat tertium.*

Si Radius ex Centro incidit, est ad

Wolfi Oper. Mathm. Tom. III.

LBM perpendicularis (§. 38. *Analyt. infinit.*). Transit ergo irrefractus (§. 25). *Quod erat quartum.*

PROBLEMA XIV.

145. Si Axis Diaphani Sphaerici ita Tab. II. dividatur in O, ut BO sit ad OC in Fig. 15. ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis & ex Puncto F incident Radius FD Axi vicinus per Medium densius in Superficiem Cavam Diaphani rarioris LBM; determinare Punctum concursus A.

RESOLUTIO.

Ex Centro C demittantur in Radium incidentem DF & refractum DG (§. 38) perpendiculares CH & CI; sumto CD pro Sinu toto, erit CH Sinus Anguli inclinationis CDF (§. 2. *Trig.* & §. 12. *Dioptric.*) & CI Sinus Anguli refracti CDG (§. 2. *Trigon.* & §. 14. *Dioptr.*). Demittatur ex Puncto refractionis D perpendicularis ad Axem DK. Ex antecedentibus constat, fore ad sensum FK ipsi FB, & perpendiculares KD, CI & CH perpendicularibus ex Puncto K ad AG & ex Punctis I & H ad Axem BF demissis æquales. Quare si fiat CH = m, CI = n, FB = d, AB = x, CB = a erit FC = d - a, AC = x + a, adeoque (§. 268. *Geom.*).

$$AC : CI = AB : KD$$

$$x + a : n = x : \frac{nx}{x + a}$$

$$FC : CH = FB : KD$$

$$d - a : m = d : \frac{md}{d - a}$$

Tab. II. Habemus igitur

$$\text{Fig. 15.} \quad \begin{aligned} nx : (x+a) &= md : (d-a) \\ \hline ndx - nax &= mdx + mad \\ \hline ndx - m dx - nax &= mad \end{aligned}$$

Hæc æquatio in sequentem resolvitur analogiam

$$(n-m) d - na : ma = d : x \\ \text{hoc est, } (n-m) FB - nCB : mCB = FB : AB$$

E gr. Si Refractio ex Vitro in Aërem contingit, erit $n:m = 3:2$ (§. 41). Quare si $FB = 24''$, $BC = 6''$; erit $AB = 24.12 : (24-18) = 48$.

COROLLARIUM I.

146. Si Refractio ex Vitro in Aërem contingit, erit $FB - 3CB : 2CB = FB : AB$ (§. 41), adeoque, $FB - CB : 2CB = FA : AB$ (§. 190. Arithm.), hoc est, $FC : 2CB = FA : AB$.

COROLLARIUM II.

147. Si Refractio ex Aqua in Aërem contingit, erit $FB - 4CB : 3CB = FB : AB$ (§. 41) adeoque $FB - CB : 3CB = FA : AB$ (§. 190. Arithm.), hoc est, $FC : 3CB = FA : AB$.

THEOREMA XXXII.

148. Si Axis Diaphani Spherici FB ita dividatur in O, ut BO ad OC sit in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinus Anguli inclinationis, & ex Puncto F per Medium densius in Superficiem Concavam Diaphani rioris LBM incidat Radius FD; erit $FO : CO = FB : FA$.

DEMONSTRATIO.

Sit $BO : OC = n : m$; erit $BC : OC = n - m : m$ & $BC : BO = n - m : n$ (§. 193. Arithm.), adeoque $OC = mBC : (n - m)$ & $BO = nBC : (n - m)$,

atque $FO = FB - nBC : (n - m)$. Est ita igitur $FO : CO = FB - \frac{nBC}{n-m} : \frac{mBC}{n-m} = (n-m)FB - nBC : mBC$ (§. 178. Arithm.) $= FB : AB$ (§. 145). Q.e.d.

COROLLARIUM.

149. Ergo $FO : FC = FB : FA$ (§. 190. Arithm.), consequenter $FO : FB = FC : FA$ (§. 173. Arithm.).

PROBLEMA XV.

150. Si Axis Diaphani Spherici AB ita dividatur in N, ut BN ad NC habeat rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis, & ex Puncto I Diaphano viciniori quam N incidat per Medium densius in ejus Superficiem Cavam LBM Radius Axi vicinus ID; determinare Punctum dispersus Q.

RESOLUTIO.

Demittantur ex Centro C perpendiculares CH ad Radium incidentem ID & CK ad refractum DQ; erit CH Sinus Anguli inclinationis CDI (§. 2. Trigon. & §. 12. Dioptr.) & CK Sinus Anguli refracti CDK (§. 2. Trigon. & §. 14. Dioptr.). Demittatur etiam ex D recta DE ad Axem AB normalis; erit eadem ob Anguli Q parvitatem perpendiculari ex E ad QD demissæ æqualis: ob quam rationem etiam QE = QB. Quare si fiat $CH = m$, $CK = n$, $BC = a$, $IB = d$, $QB = x$, adeoque $IC = d - a$, $QC = x - a$; erit (§. 268. Geom.),

$$QC : QB = CK : ED$$

$$x - a : x = n : \frac{nx}{x - a}$$

$$IC : IB = CH : ED$$

$$d - a : d = m : \frac{md}{d - a}$$

Habemus adeo

$$nx : (x-a) = md : (d-a)$$

$$\frac{ndx}{ndx} = \frac{nax}{nax} = \frac{mdx}{mdx} = \frac{mad}{mad}$$

$$\frac{mad}{mad} = \frac{nax}{nax} + \frac{mdx}{mdx} = \frac{ndx}{ndx}$$

Hæc æquatio in sequentem abit analogiam:

$$\begin{aligned} na + (m-n)d : ma &= d : x \\ nBC + (m-n)IB : mBC &= IB : QB. \end{aligned}$$

E.gr. Si Refractio ex Vitro in Aërem contingit, erit $m : n = 2 : 3$ (§. 41). Quare si $BC = 6''$, $IB = 10''$; erit $QB = 10 \cdot 12 : (18 - 10) = 15''$.

Quodsi Radius ex Puncto S intra Centrum C & Superficiem Diaphani sito incidat; continuetur RS in / & RT in t: atque ex C demittantur perpendiculares Cf & Ct, qui erunt Sinus Anguli inclinationis CRS & refracti CRT. Quare cum, ob verticales ad S & T, $\Delta\Delta CSf$ & SRy , itemque CTt & RTy sint similia, & ob parvitudinem Angulorum S & T sit $Sy = SB$ & $Ty = TB$: repetietur eodem, quo ante modo, $nBC + (m-n)SB : mBC = SB : TB$.

COROLLARIUM I.

151. Si Refractio ex Vitro in Aërem contingit, erit $zBC - IB : zBC = IB : QB$ (§. 41), consequenter $IC : zBC = QI : QB$ (§. 193. Arithm.).

COROLLARIUM II.

152. Si Refractio ex Aqua in Aërem contingit, erit $4BC - IB : 3BC = IB : QB$ (§. 41), consequenter $IC : 3BC = QI : QB$ (§. 193. Arithm.).

THEOREMA XXXIII.

153. Si Axis Diaphani Sphærici AB a dividatur in N, ut BN ad NC habeat rationem Sinus Anguli refracti ad

Sinum Anguli inclinationis, & ex Tab. II. Puncto I Superficiei viciniori quam N, Fig. 19. per Medium rarius in Superficiem Cavam Diaphani Sphærici densioris LBM Radius incidat; erit IN : NC = IB : QB.

DEMONSTRATIO.

Si ratio refractionis ponatur ut supra $m : n$, erit $NC : NB = m : n$, vi hypoth. unde $NC : CB = m : n - m$ & $NB : CB = n : n - m$ (§. 193. Arithm.), adeoque $NC = mCB : (n-m)$ & $NB = nCB : (n-m)$ & $IN = nCB : (n-m) - IB$. Est itaque $IN : NC = \frac{nCB}{n-m} - IB : \frac{mCB}{n-m} = nCB - (n-m)IB : mCB = IB : QB$ (§. 150). Q.e.d.

COROLLARIUM.

154. Ergo $IN : IC = IB : IQ$ (§. 193. Arithm.).

PROBLEMA XVI.

155. Si Radius GA tendens ad Tab. Punctum A Axis BA Diaphani Sphærici densioris incidat per Medium rarius in ejus Superficiem Convexam LBM; determinare Punctum concursus F. Fig. 20.

RESOLUTIO.

Quia Radius GA frangitur ad Axem refractionis CD, est autem Angulus refractionis ADF minor Angulo inclinationis ADC (§. 25); evidens est, Punctum concursus F esse inter Centrum C & A. Quodsi ex Centro C demittantur perpendiculares CH & CI. notenturque ea, quibus in antecedentibus jam saepe usi fuimus, & fiat $CH = m$, $CI = n$, $BC = a$, $AB = d$, $FB = x$, erit $EC = x - a$, $AC = d - a$ atque

Tab.
III.
Fig.
20.

$$\begin{aligned} AC : AB &= CI : ED \\ d-a : d &= n : \frac{nd}{d-a} \\ FC : FB &= CH : ED \\ x-a : x &= m : \frac{mx}{x-a} \end{aligned}$$

Habemus adeo

$$\frac{mx : (x-a)}{mdx - max} = \frac{nd : (d-a)}{ndx - nad}$$

$$\frac{nad}{ndx - mx + max} = \frac{nd}{ndx - mxd + max}$$

Hæc æquatio in sequentem resolvitur analogiam :

$$(n-m) d + ma : na = d : x$$

hoc est, $(n-m) AB + mCB : nCB = AB : FB$.

E. gr. Si Refractio ex Aëre in Vitrum contingit, erit $m : n = 2 : 3$. Quare si $CB = 10''$, $BA = 25''$, erit $FB = 25 : 30 = (25+20) = 16\frac{2}{3}$.

Quodsi Punctum A, ad quod Radius GDA tendit, fuerit inter Centrum C & Superficiem Diaphani; tum quia Radius DA ad perpendicularum DC refringitur, Angulus tamen refractionis ADF minor est Angulo inclinationis A' C (§. 25); refractus DF Axi occurret inter A & C. Jam si DA & DF ultra Axem producantur & in eas perpendicularares CI & CH demittantur; sumta DC pro Sinu toto, erit CI Sinus Anguli inclinationis ADC (§. 2. Trigen. & §. 10. Dioptr.) & CH Sinus Anguli refracti FDC (§. 2. Trigon. & §. 14. Dioptr.) & ob parvitatem angulorum A & F (§. 120) $AD = AE = AB$; $FD = FE = FB$. Quare si fiat ut ante $CI = n$, $CH = m$, $CB = a$, $AB = d$, $FB = x$, erit $AC = a - d$, $FC = a - x$, & cum Verticales ad A & F sint æqua-

les (§. 156. Geom.), demissa ex D perpendiculari DE, erit (§ 267. Geom.)

$$AC : CI = AE : ED$$

$$a-d : n = d : \frac{nd}{a-d}$$

$$FC : CH = FB : ED$$

$$a-x : m = x : \frac{mx}{a-x}$$

Habemus itaque

$$\frac{nd : (a-d)}{nda - ndx} = \frac{mx : (a-x)}{ndx - mxd + max}$$

$$\frac{nda - ndx}{nda} = \frac{max - mxd}{max}$$

$$nda = ndx - mxd + max$$

Quæ æquatio cum superiori coincidit. Eadem igitur Regula satisfacit determinando Puncto concursus F, sive Radius incidens ad Punctum Axis intra Centrum & Superficiem, sive ad aliud ultra Centrum situm tendat.

COROLLARIUM I.

156. Si Refractio in Aëre in Vitrum contingit, erit $AB + 2 CB : 3 CB = AB : FB$ (§. 26), adeoque $AB + 2 CB : AC = AB : AF$ (§. 193. Arithm.).

COROLLARIUM II.

157. Si Refractio ex Aëre in Aquam contingit, erit $AB + 3 CB : 4 CB = AB : FB$ (§. 28), adeoque $AB + 3 CB : AC = AB : AF$ (§. 193. Arithm.).

THEOREMA XXXIV.

158. Si Radius GD tendens ad Punctum A Axis Diaphani Sphærici incidat per Medium rarius in ejus Superficie Convexam LBM & post refractionem eidem occurrat in F; Axe in N producto donec CN habeat ad NB rationem Si nus Anguli refracti ad Sinum Anguli in clinationis, erit $AN : CN = AB : FB$

D E M O N S T R A T I O.

Quoniam $CN : NB = n : m$, per hypoth. erit $CB : NB = n - m : m$ & $CB : CN = n - m : n$ (§. 193. Arithm.), adeoque $NB = mCB : (n - m)$, $CN = nCB : (n - m)$ & $AN = mCB : (n - m) + AB$. Est itaque $AN : CN = \frac{mCB}{n - m} + AB : \frac{nCB}{n - m}$
 $= mCB + (n - m)AB : nCB = AB : FB$ (155). Q. e. d.

C O R O L L A R I U M.

159. Est adeo $AN : AC = AB : AF$ (§. 193. Arithm.), consequenter $AN : AB = AC : AF$ (§. 173. Arithm.).

T H E O R E M A XXXV.

160. Si partes Axis Diaphani Sphærici OC & OB fuerint in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti, & Radius ED Axi vicinus ad Punctum F ultra O situm tendens per Medium densius in Diaphani rarioris Superficiem Convexam LM incidat; refractus DG dispergetur ex Puncto A , ita ut sit $FO : FB = FC : FA$.

D E M O N S T R A T I O.

Si Radius FD in Concavam Superficiem incidit & ab Axe CD refringitur in DG , ex Puncto A ita dispergitur, ut $FO : FB = FC : FA$ (§. 149). Sed si Radius ED incidit in Diaphani rarioris Convexam Superficiem, Angulus inclinationis idem, qui ante manet, & eadem quantitate ab Axe refractionis CD refringitur (§. 36). Ergo is quoque refractus ex Puncto A ita dispergi debet, ut sit $FO : FB = FC : FA$. Q. e. d.

T H E O R E M A XXXVI.

161. Si fuerit in Axe Diaphani NC

ad NB in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti, & Radius FD ad Punctum I inter Centrum C & Punctum N situm tendens per Medium densius in Superficiem Convexam Diaphani rarioris incidit; post refractionem is Axi occurret in Q , ita ut sit $NI : IB = IC : IQ$. Tab. II. Fig. 19.

D E M O N S T R A T I O.

Si Radius ID ex Medio densiori incidit in Cavam Superficiem, ab Axe refractionis CD refractus Axi Diaphani in Q occurrit, ita ut $NI : IB = IC : IQ$ (§. 154). Sed si Radius DF in Superficiem Convexam Diaphani ex Medio densiori incidit, idem manet Angulus inclinationis & Radius ibidem ab Axe CD eadem, qua ante, quantitate refringitur (§. 36). Ergo idem quoque post refractionem concurrevit cum Axe in Q , adeo ut $NI : IB = IC : IQ$. Q. e. d.

T H E O R E M A XXXVII.

162. Si fuerit NC ad NB in ratione Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti, & Radius PR Axi vicinus tendens ad Punctum S , inter Centrum C & Superficiem Diaphani Sphærici rarioris DR situm, per Medium densius in ejus Superficiem Convexam incidat; refractus RT cum Axe in T concurrit, ita ut sit $SN : SB = SC : ST$. Tab. II. Fig. 18.

D E M O N S T R A T I O.

Si Radius SR in Superficiem Cavam per Medium densius incidit, refractus ab Axe refractionis CR ex Puncto T dispergitur, ita ut sit $SN : SC = SB : ST$.

Tab. II. (§. 150. 153), consequenter SN: SB
Fig. 18. = SC: ST (§. 173. Arithm.).

Enim vero si Radius PR per Medium densius in Superficiem Convexam incidit, idem manet Angulus inclinationis & Radius ibidem ab Axe sub eodem Angulo refringitur (§. 36). Ergo refractus RT cum Axe concurrit, ita ut sit SN: SB = SC: ST. Q.e.d.

THEOREMA XXXVIII.

163. Si C sit Centrum Superficiei

Tab. II. Sphærice LBM, atque NB ad NC habeat
Fig. 15. rationem Sinus Anguli refracti ad Si-

nnum Anguli inclinationis, & Radius Axi vicinus GD tendens ad Punctum A per Medium rarius incidat in Superficiem Cavam Diaphani Spherici densoris LM; refractus dispergetur ex Puncto F, ita ut sit AN: AB = AC: AF.

DEMONSTRATIO.

Si ex Puncto A per Medium rarius in Superficiem Convexam incidit Radius AD, refractus ad Axem refractionis CD ita occurrit Axi Diaphani in F ut sit AN: AB = AC: AF (§. 126). Sed si DG fuerit Radius incidens, idem est Angulus inclinationis GDC & ad Axem refractionis CD eadem quantitate Anguli GDF refringitur (§. 25. 26). Ergo refractus DE itidem Axi in F occurrit, ita ut sit AN: AB = AC: AF, consequenter ex hoc Puncto dispergitur (§. 23). Q.e.d.

THEOREMA XXXIX.

164. Si fuerit NB ad NC in ratio-
ne Sinus Anguli refracti ad Sinum An-

guli inclinationis, & Radius DG ten-
dens ad Punctum A inter N & Super-
ficiem Diaphani situm, incidat per me-
dium rarius in Superficiem Cavam Dia-
phani densioris; refractus cum Axe in
F concurrit, ita ut sit NA : AB
= CA: AF.

DEMONSTRATIO.

Si ex Puncto A per Medium rarius in Superficiem Convexam incidit Ra-
dius AD, refractus DE ad Axem re-
fractionis CD ex Puncto F ita disper-
gitur, ut sit NA: AC = AB: AF (§.
132), adeoque NA: AB = CA: AF
(§. 173. Arithm.). Sed si DG per
Medium rarius in Superficiem Cavam
incidit, idem est, qui ante, Angulus
inclinationis GDC & Refractio sub eo-
dem Angulo GDE ad Axem refractionis
CD contingit (§. 25. 26). Ergo
Radius refractus DF Axi Diaphani in
F ita occurrit, ut sit NA: AB = CA: AF.
Q.e.d.

THEOREMA XL.

165. Si fuerit PB ad PC in ratione
Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli
inclinationis, & Radius EF Axi vici-
nus tendens ad Punctum F per Medium
densius incidat in Superficiem Cavam
Diaphani Spherici rorioris; refractus
AD Axi Diaphani ita occurrit in A ut
sit FP: FB = FC: FA.

DEMONSTRATIO.

Eadem est, quæ Demonstratio Theo-
rematis præcedentis (§. 137).

C A P U T I V.

De Refractione Luminis in Lentibus Convexitatis.

THEOREMA XLI.

166. *Radius EG Axi vicinus & parallelus incidentes in Superficiem Planam Lentis Plano-convexae Luminoso directe oppositae, post refractionem cum Axe concurrit in F & si C sit Centrum Convexitatis, CF ad FL habet rationem Refractionis seu Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis.*

DEMONSTRATIO.

Quia Superficies Plana Luminoso directe opponitur, per hypoth. Radius EH ad AB perpendicularis, adeoque irrefractus transit usque in H (§. 25). Incidit adeo in Superficiem Cavam AHB adhuc Axi parallelus. Quare cum ex Lente densiori in Medium rarius erumpat, Axe Lentis in F occurrit, estque CF ad FL in ratione Refractionis, hoc est, in ratione Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis (§. 114). Q. e. d.

SCHOOLION.

-167. Posthac constanter supponemus, Lentem esse densiorem Medio circumfuso & Rationem Sinus Anguli refracti ad Sinum Anguli inclinationis vocabimus Rationem Refractionis.

COROLLARIUM I.

168. Si itaque Refractio ex Lente Vitrea in Aërem contingit, erit CF : FL = 3 : 2 (§. 41) adeoque FL = 2 CL, hoc est Radii paralleli Axe vicini cum eodem uniuntur in distantia Diametri,

COROLLARIUM II.

169. Si Refractio ex Lente Aquea, hoc est, ex Vitro Plano-Convexo & Aqua Pleno contingit, erit CF : FL = 4 : 3 (§. 41) adeoque FL = 3 CL, hoc est, Radii paralleli Axe vicini cum eodem uniuntur in distantia sesquidiametri. Tab. III. Fig. 22.

COROLLARIUM III.

170. Ergo si in Foco Lentis Plano-Convexae, hoc est, in Puncto F, quod à Superficie Convexa Lentis Vitrea ALB distat intervallo Diametri, à Superficie vero Lentis Aquea intervallo sesquidiametri, collocetur Candela accensa, Radii post Refractionem erunt Paralleli (§. 37).

COROLLARIUM IV.

171. Ope Lentis Plano-convexae optime observari potest ratio refractionis ex Vitro in Aërem.

THEOREMA XLII.

172. Si Radius KI Axe Lentis Plano-convexae vicinus & parallelus incidat in Superficiem Convexam AHB, post duplimentum Refractionem Axe occurret in F, ita ut HG ad GC & GD ad FD habeat rationem Refractionis.

Tab.
III.
Fig.
23.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Radius KI Axe EG parallelus, vi prima Refractionis in I tendit ad Punctum G, ita ut GH ad GC habeat rationem Sinus Anguli inclinationis ad Sinum Anguli refracti (§. 90). Ergo, vi secundæ Refractionis in L factæ, cum Axe

- Tab. Axe in F concurrit, ita ut GD ad FD rationem Sinus Anguli refracti ad Simum Anguli inclinationis habeat (§. 80).
 III. Fig. 23. Q. e. d.

PROBLEMA XVII.

173. Data Semidiametro HC, crassitie DH Lentis Piano-convexæ AB, & Ratione Refractionis; determinare Focum F, Radiorum Axi parallelorum & vicinorum, in Superficiem Convexam AHB incidentium.

RESOLUTIO.

1. Sit brevitatis gratia Ratio Refraktionis $= n : m$. Quoniam $n : m = HG : GC$ (§. 172); erit $n - m : n = HC : GH$ (§. 193. Arithm.), adeoque Ratione Refractionis & Semidiametro datis, inveniri potest GH. Est nempe generaliter $GH = nHC : (n - m)$.
2. Inde si subducatur crassities Lentis DH, relinquetur $GD = nHC : (n - m) - HD$.
3. Quare cum porro sit $n : m = GD : FD$ (§. 172); ob datam Rationem Refractionis $n : m$, reperitur quoque FD, nempe universaliter $FD = \frac{nCH}{n - m} - \frac{mHD}{n} = (\text{si } \frac{mHD}{n} \text{ parvitis contemnenda}) \frac{m}{n - m} CH$.

COROLLARIUM I.

174. Si Lens Vitrea fuerit, erit $FD = 2CH - \frac{2}{3}HD$ (§. 26). Quare si duæ tertię crassitiei Lentis fuerint parvitis contemnenda (quod in praxi plerumque accedit); Radii paralleli Axi uniuntur in distantia Diametri à Lente, etiam cum in Superficiem Convexam incident.

COROLLARIUM II.

175. Perinde igitur est, si Superficiem Planam, si Convexam Luminoso Radiorum parallelorum obvertas (§. 168).

SCHOLION.

176. Constat tamen cum Experientia, tum Calculo Trigonometrico juxta Caput præcedens instituto, plures Radios in spatio minori uniri si Superficies Convexa, quam si Plana Luminoso obvertatur.

COROLLARIUM III.

177. Si Lens Aquea fuerit, erit $FD = 3CH - \frac{3}{4}HD$ (§. 26). Quare si $\frac{3}{4}HD$ parvitis contemnenda, erit $FD = 3CH$, aut si mavis $\frac{1}{4}HD$ contemnere, $FH = 3CH$. Uniuntur adeo Radii Axi paralleli & vicini in distantia sesquidiametri, si Refractio in Aqua fiat, etiam cum Superficies Convexa Luminoso obvertitur.

THEOREMA XLIII.

178. Si Radius DE Axi AB parallelus & vicinus in Sphaeram incidat; post duplē Refractionem Axi continuato in F occurrit, ita ut, semidiametro CB bifariam in I divisa, CF ad FI sit in Ratione Refractionis.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Radius DE Axi AB vicinus & parallelus, per hypoth. post Refractionem in ingressu factam ad Punctum G tendit, ita ut GA ad GC habeat rationem refractionis $n : m$ (§. 90). Quare cum etiam sit $n - m : n = AC : GA$ & $n - m : m = AC : GC$ (§. 193. Arithm.); erit $GA = nAC : (n - m)$, & $GC = mAC : (n - m)$. Quod si jam Radius alteram patitur Refractionem in egressu, fiatque $BL : LC = n : m$: cum Axe in F concurrit, ut sit $GL : GB = GC : GF$ (§. 165), adeoque $BL : GB = FC$

$=FC:GF$ (*§. 193. Arithm.*). Est vero $CB:BL=n-m:m:n$ (*§. cit.*), adeoque $BL=nCB:(n-m)=GA$, per demonstrata.

Ergo si fiat

$$AC=CB=a, FC=x, \text{ erit}$$

$$GA: GB = FC : GF$$

$$\frac{na}{n-m} : \frac{na}{n-m} - 2a = x : \frac{ma}{n-m} - x$$

hoc est, $n:2m-n=nx-mx:ma-nx+mx$ (*§. 178. 181. Arithm.*).

$$2m:n=ma:nx-mx$$
 (*§. 190. Arithm.*)

$$1:n=\frac{1}{2}a:(n-m)x$$
 (*§. 181. Arithm.*)

$$n-m:n=\frac{1}{2}a:x$$
 (*§. 181. 178. Arithm.*)

$$m:n=x-\frac{1}{2}a:x$$
 (*§. 193. Arithm.*).

Quoniam $FC=x$ & $CI=\frac{1}{2}CB$ per hypoth. $=\frac{1}{2}a$; erit $x-\frac{1}{2}a=IF$, adeoque

$$m:n=IF:CF. \quad Q.e.d.$$

COROLLARIUM I.

179. Quoniam Circulus est Sectio Cylindri pariter ac Sphæræ, immo omnis Solidi per rotationem Figuræ Curvilineæ circa Axem geniti; si Radii paralleli Diametro sectionis Basi Solidi parallelæ post duplē Refractionem in F concurrunt, IF ad CF Rationem Refractionis habebit.

COROLLARIUM II.

180. Facile adeo observatur Ratio Refractionis in omnis generis Fluido, si Radiis Solaribus, qui pro parallelis haberi possunt (*§. 94. Optic.*) directe opponatur Cylindrus AH liquore quocunque dato plenus & in Charta opposita notetur Punctum F, ubi Radii concurrunt. Quodsi enim Radium CB bifariam seces in I, exibebit IF ad CF rationem refractionis desideratam (*§. præc.*).

COROLLARIUM III.

181. Quoniam $n-m:n=\frac{1}{2}a:x$ (*§. 178*); erit $x=na:(2n-2m)=FC$.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

Data itaque Ratione Refractionis & Semidiametris Sphæræ refringentis CB, inveniri potest Foci à Centro distantia CF.

Tab. III.
Fig. 24.

COROLLARIUM IV.

182. Si Sphæra Vitrea, erit $CF=\frac{1}{2}a$ $=\frac{1}{2}CB$ (*§. 26*), adeoque $BF=\frac{1}{2}BC$ $=\frac{1}{4}AB$. Focus adeo à Sphæra Vitrea quartæ Diametri parte distat.

COROLLARIUM V.

183. Si Sphæra Aquea, erit $CF=\frac{4}{3}a$ $=2CB$ (*§. 28*), adeoque $BF=CB$ $=\frac{1}{2}AB$. Focus adeo à Sphæra Aquea dimidia Diametri parte distat, consequenter Sphæra Aquea Focum duplo remotiorem habet quam Vitrea.

THEOREMA XLIV.

184. Si Radius HI Axi DG parallelus & vicinus incidit in Lentem utrinque Convexam, post duplē Refractionem eidem occurret in F, sive tum GE ad GC. tum DK ad DO habuerit Rationem Refractionis; erit $GD:GK=GO:GF$.

Tab. III.
Fig. 26.

DEMONSTRATIO.

Si EG ad GC habuerit rationem Refractionis, Radius HI Axi Lentis vicus & parallelus tendit ad Punctum G (*§. 90.*). Quare si porro DK ad DO Rationem Refractionis habuerit, post alteram Refractionem in egressu factam Axi in F occurret, estque $GD:GK=GO:GF$ (*§. 165.*) *Q.e.d.*

COROLLARIUM.

185. Ergo etiam $GK:DK=GO:FO$ (*§. 193. Arithm.*).

PROBLEMA XVIII.

186. Datis Semidiametris CE & OK Lentis utrinque Convexa, una cum cras-

Dd sitie

Tab. sitie ejus EK : determinare Focum F
 III. Radiorum Axi parallelorum & vicinorum.
 Fig. 26.

RESOLUTIO.

1. Si Ratio Refractionis fuerit $= n:m$, erit $GE:GC = n:m$ & $DK:DO = n:m$ (§. 184), adeoque $n-m:n = CE:GE$ & $n-m:n = KO:DK$ (§. 193. Arithm.). Quare si Ratio Refractionis, & Semidiametri CE atque KO dentur, inveniri possunt GE & DK.
2. Quare cum $GD = DK + EG - EK$ & $GK = GE - EK$, denique $GO = GE + KO - EK$, sitque $GD \cdot GK = GO:GF$ (§. 184); GF quoque inveniri potest.
3. Quodsi vero GF ex GE subducas, relinquetur FE.

COROLLARIUM I.

187. Si EK fuerit parvitas contemnen-
 dæ (quod plerumque accidit); erit $GD = DK + EG$, $GK = GE$ & $GO = GE + KO$, adeoque $DK + EG:GE = GE + KO:GF$ (§. 184).

COROLLARIUM II.

188. Ergo si Refractio in Lente Vitrea contingit, cum sit $GE = 3CE$ & $DK = 3KO$ (§. 91); erit $3KO + 3CE:3CE = 3CE + KO:GF$ (§. 187), consequenter $KO + CE:CE = 3CE + KO:GF$ (§. 178. Arithm.).

COROLLARIUM III.

189. Quare si fiat $KO = a$, $CE = b$, $GF = x$; erit $x = (3bb + ab):(a + b)$, adeoque ob $GE = 3CE$ (§. 91) FE vel FK (in Hypothesi nempe crassitie EK contemnendæ)
 $= 3b - \frac{3bb + ab}{a + b} = \frac{3ab + 3bb - 3bb - ab}{a + b} = \frac{2ab}{a + b}$.

Est nempe summa Semidiametrorum KO & CE ad unius duplum 2CE, ut altera KO ad distantiam Foci à Lente FK.

COROLLARIUM IV.

190. Si Refractio in Lente Aquea contin-
 git, cum sit $GE = 4CE$ & $DK = 4KO$ (§. 93); erit $4KO + 4CE:4CE = 4CE + KO:GF$ (§. 187), consequenter $KO + CE:CE = 4CE + KO:GF$ (§. 178. Arithm.).

COROLLARIUM V.

191. Quare si fiat $KO = a$, $CE = b$, $GF = x$; erit $x = (4bb + ab):(a + b)$, adeoque ob $GE = 4CE$ (§. 93) in Hypothesi præsenti cras-
 sitiei Lentis contemnendæ, FE vel $FK = 4b - \frac{4bb + ab}{a + b} = \frac{4ab + 4bb - 4bb - ab}{a + b} = \frac{3ab}{a + b}$.

Est neinpe summa Semidiametrorum KO & CE ad alterutrius triplum 3CE, ut altera KO ad distantiam Foci à Lente FK.

COROLLARIUM VI.

192. Si Lens Vitrea fuerit utrinque æqualiter Convexa; erit $KO = CE$, adeoque $2CE:CE = 4CE:GF$ (§. 179); consequenter $CE:CE = 2CE:GF$ (§. 183. Arithm.). Est itaque $GF = 2CE$.

COROLLARIUM VII.

193. Immo in eadem Hypothesi $FK = 2a:2a = a = EC$ (§. 189), hoc est, Focus à Lente Semidiametri intervallo distat.

COROLLARIUM VIII.

194. Si Lens Aquea utrinque æqualiter Convexa, erit ob $KO = CE$, $2CE:CE = 5CE:GF$ (§. 190). Ergo $GF = \frac{5}{2}CE$ (§. 183. Arithm.).

COROLLARIUM IX.

195. In eadem Hypothesi $FK = 3aa:2a = \frac{3}{2}a$ (§. 191), hoc est distantia Foci à Lente est ad Semidiametrum in ratione sesquialtera.

COROLLARIUM X.

196. Cum in ratione, per quam Foci distantia à Lente utrinque inæqualiter Convexa, neglecta crassitie, determinatur, termini tres priores maneant iidem, quæcunque Convexitas Luminoso obvertatur; Foci quoque distantia eadem manere debet (§. 177. Arithm.).

THEOREMA XLV.

197. *Lumen Solare in Foco Lentis Convexæ, sive Plano-convexæ, sive Convexo-convexæ, valde intenditur.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam Radii Solares sunt paralleli (§. 94. Optic.), Axi vicini in Foco Lentium Plano-convexarum atque Convexo-convexarum, itemque Sphærarum, uniuntur (§. 172. 184. 178.) Radii igitur per integrum Lentem dispersi in spatium minus rediguntur, consequenter Lumen Solare in Foco valde intenditur (§. 84. Optic.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

198. Non igitur mirum, quod Radii Solares ope Lentis Convexæ aut Sphæræ pellucidæ collecti Ignem suscitent & liquabilia liquefaciant, aliosque effectus edant, quæ Igni vehementiori debentur.

SCHOLION I.

199. Nemo Lentes Causticas majores inquam paravit Illustri Dn. DE TSCHIRNHAUSEN, quarum inter alios sequentes prædicat effectus in Eruditorum Actis (a). Lignum durum, inimico aqua humectatum, momento flammarum concepit; Aqua in vase parvo statim effervescente cœpit; Metalla liquefacta sunt, Lateres, Pumex, Porcellana Hollandica, Asbestus in Vitrum conversi; Sulphur, Colophonis, Pix & id genus alia sub

Aqua colliquata; Lignum rarius Estate sub eadem in carbonem conversum; Cineres vegetabilium, Lignorum aliarumque materiarum in Vitrum transmutati. Verbo quæ Foco admovit, vel fundi, vel in calcem verti, vel in auras abire deprehendit. Notat autem, omnia melius succedere, si carbonibus durioribus probeque excoctis materia vi Ignis probanda imponantur, & non modo Gemmas, sed omnia etiam alia Corpora præter Metalla suis privari coloribus. Lentium Diameter fuit trium & quatuor pedum Lentique majori AB addita est minor CD, que Radios ad Punctum G tendentes in viciniori F colligit, adeoque magis unitorum vires intendit.

SCHOLION II.

200. Quamvis vero Radiorum Solarium vires adeo stupendas expertus est; Lunæ tamen plenæ Radii per eadem Vitra Caustica collecti nullum caloris incrementum præbuere.

SCHOLION III.

201. Ceterum cum vis Caustica Lentium à Convexitate earundem unice pendeat; mirum sane non est, quod etiam ex Glacie parata Ignem excitent. Parantur autem istiusmodi Lentes, si frustum Glaciei cavitati scutella immittatur, ut Carbonum calore ad liquefactionem dispositum figuram ejus induat.

SCHOLION IV.

202. Nec minus attoniti flammam flammæque effectus contûentur Dioptrices ignari, quæ ope Refractionis Luminis in Bulla Vitrea Aqua repleta factæ excitatur, propterea quod Ignis Aquæ auxilio excitatur.

THEOREMA XLVI.

203. Si post Spheram Diaphanam, aut Lentem sive Plano-convexam, sive Convexo-convexam vel aequaliter, vel inæqualiter, in Foco collocetur Luminosum; Radii post Refractionem evadunt paralleli.

(a) Ann. 1697. p. 415. & seqq.

DEMONSTRATIO.

Radii enim paralleli post Refractio-
nem in Sphæra Diaphana aut Lente
Convexa factam in Foco uniuntur (§.
197). Quare si Luminosum fuerit in
Foco & ex eo radiet in Lentem per Ra-
dios inde divergentes, qui antea erant
Radii refracti, nunc fiunt incidentes,
adeoque refracti evadunt, qui antea
erant incidentes; consequenter refracti
sunt paralleli. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

204. Hinc ope Lentis Convexæ aut Bul-
læ Vitreæ aqua repletæ Lumen valde in-
tensum ad magnam distantiam projicitur
(§. 84. *Optic.*).

COROLLARIUM II.

205. Quoniam tamen Luminis per Ra-
dios parallelos in Aëre propagati intensi-
tas continuo minuitur, ope Refractionis
in Lente Convexa factæ ad datam quam-
eunque distantiam propagari nequit.

COROLLARIUM III.

206. Si Luminosum in Foco collocatum
fuerit majoris amplitudinis, à Punctis sen-
sibiliter à se invicem distantibus incidentes
Radii inter se paralleli esse nequeunt, sed
plures constituunt tramites Radiorum in-
ter se parallelorum.

SCHOLION.

207. *Hac quoque aliqua ratio est, cur Lumen per Refractionem propagatum sensim sensimque languescat, dum non per tramites Luminosi à se invicem discedunt.*

PROBLEMA XIX.

208. *Lucernam construere, qua Lumen valde intensem ad insignem distantiam projiciat.*

DEMONSTRATIO.

1. Lucernæ AB afferruminetur Tubus CD, cui aliis ductius EF immittatur.
2. Huic inferatur Lens Vitrea utrinque Convexa FE, Diametro Convexitatis unius circiter pedis, vel etiam majore, aut minore existente, pro magnitudine scilicet Lucernæ.
3. Ex opposito Tubi CD intus aptetur ad parietem Lucernæ Speculum Concavum HI Diametro Concavitatis quinque circiter digitorum, vel etiam majore aut minore existente, pro magnitudine nimirum Lucernæ. Ita autem aptandum est Speculum, ut, si opus fuerit, remota Capsa K, eximi possit.
4. In Foco Speculi constituantur Ellychnium L & Tubus ductius cum Lente extrahatur, donec Lumen satis intensem ad distantiam desideratam projiciatur.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Ellychnium L in Foco Speculi Concavi HI collocatur *per hypoth.* Radii post reflexionem sunt paralleli (§. 224. *Catoptr.*). Lumen itaque intensem in Lentem FE reflexum (§. 84. *Optic.*) post refractionem constat Radiis ad Focum Lentis in distantia Semidiametri convergentibus (§. 193) & inde rursus divergentibus. Quodsi vero Ellychnium L fuerit quoque in Foco Lentis FE Radii post Refractionem sunt itidem paralleli (§. 203). Quare cum Lumen hoc per se satis intensem cum altero non minus intenso concurrat, per intervallum Diametri à Lente Lumen inten-

intensissimum (§. 84. *Optic.*). Et licet postea decrescat, quia tamen diversi trahentes Radiorum parallelorum cum divergentibus procul admodum progressiuntur (§. 206), Lumen satis intensum ad insignem distantiam propagatur. *Q. e. d.*

SCHOLION.

209. *Lucernarum istiusmodi usus est, si nocturno tempore Objecta procul diffusa detegenda. Profund item, si Cancri & Pisces de nocte congregandi, ut captentur.*

COROLLARIUM.

210 Quodsi ad diversa loca, e. gr. per plures plateas, Lumen una transmittendum, pluribus opus est Tubis cum Lentibus Vitreis pluribusque Speculis Concavis iisdem oppositis.

THEOREMA XLVII.

211. *Si H fuerit Centrum Convexitatis superioris, & I Centrum Convexitatis inferioris Lentis utrinque Convexa, CH ad CD in Ratione Refractionis; Radii ex C in Lentem incidentes post Refractionem in E concurrunt, ita ut EI ad EF sit in ratione Refractionis.*

DEMONSTRATIO.

Etenim post primam Refractionem intra Lentem propagantur paralleli (§. 121): ergo post alteram uniuntur in E, ita ut EI ad EF sit in Ratione Refractionis (§. 121). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

212. *Si Lens Vitrea fuerit; erit CD = 2DH (§. 26) & EF = 2IF (§. 41). Quare si Punctum radians C à Lente Convexa AB distet intervallo Diametri Convexitatis ADB; Punctum concursus E ab eadem distat intervallo Diametri Convexitatis alterius AFB.*

THEOREMA XLVIII.

213. *Si C sit Centrum Lentis Plano-convexe LM, fueritque NB ad NC in Ratione Refractionis & ex Puncto ulteriori A incidat Radius AD Axi vicinus; post duplificem Refractionem eidem occurreti in F, ita ut posita Ratione Refractionis = m sit (n-m)AB — mBC : AB = mBC : EF.*

DEMONSTRATIO.

Si enim fiat $AB = d$, $BC = a$; erit, $GE = nad : [(n-m)d - ma]$ (§. 122). Sed $GE : FE = n : m$ (§. 80). Ergo $EF = mad : [(n-m)d - ma]$, consequenter.

$(n-m)d - ma : ma = d : EF$
hoc est, $(n-m)AB - mBC : mBC = AB : EF$. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

214. Ergo si Lens Vitrea, erit $AB - 2BC : 2BC = AB : EF$ (§. 26), adeoque cum $2BC$ sit distantia Foci principalis, hoc est, Radiorum parallelorum (§. 174), erit ut differentia distantiarum Foci principalis à distantia Puncti radiantis ad priorem, ita distantia posterior ad distantiam Foci minus principalis seu Radiorum convergencium.

COROLLARIUM II.

215. Si Lens Aquea fuerit, erit $AB - 3BC : 3BC = AB : EF$ (§. 28). Quare cum $3BC$ sit distantia Foci principalis (§. 177); eadem Regula Lentibus Vitreis & Aqueis satisfacit.

THEOREMA XLIX.

216. *Si C fuerit Centrum Convexitatis inferioris IB & H superioris DE, PE ad PH habeat rationem refractionis, sitque præterea AP : PH = AE : EF & FP : PC = FB : BG;*

Tab.
IV.
Fig.
31. erit G Punctum concursus Radiorum Axi vicinorum & ex Puncto A oblique incidentium.

DEMONSTRATIO.

Est enim $AP:PH = AE:EF$, vi Refractionis in D factæ, (§. 125). Cum adeo Radius DI in inferiorem Superficiem incidens ad Punctum F tendat, & ex Medio densiore in rarius egrediatur per hypoth. erit $FP:FB = FC:FG$ (§. 165). Est igitur etiam $FP:FC = FB:FG$ (§. 173. Arithm.); consequenter $FP:PC = FB:BG$ (§. 193. Arithm.). Q. e. d.

PROBLEMA XX.

217. Data Ratione Refractionis $PC:PB$, Semidiametris Convexitatum CB & EH, atque distantia Puncti radiantis A ultra Centrum C; invenire Punctum G, ubi Radius AD Axi vicinus & oblique incidens post Refractionem cum eodem concurrit.

RESOLUTIO.

1. Quæratur Punctum concursus F, ad quod, vi primæ Refractionis, tendit Radius AD (§. 122).
2. Hinc investigetur Punctum G, ad quod, vi secundæ, cum Axe concurrit (§. 165).

Idem Problema resolvitur utendo Analogiis Theorematis præcedentis, quamvis paulo prolixius, si Calculo uti, non Geometrica constructione contentus esse volueris. In hoc altero vero casu Solutio posterior priori præfertur.

THEOREMA L.

218. Si C fuerit Centrum Convexitatis superioris DB & H Centrum inferio-

ris EI Lentis utrinque Convexæ sive equaliter, sive inæqualiter, & NB habeat ad NC itemque OI ad OH Rationem Refractionis, sitque præterea AN:NC = AB:FB & FO:OH = FI:GI; erit G Punctum, ubi Radius AD oblique ex A incidens cum Axe post Refractionem concurrit.

DEMONSTRATIO.

Quoniam NB ad NC Rationem Refractionis habet, & AN:NC = AB:FB, per hypoth. Radius AD, vi primæ Refractionis, ex Puncto F dispergitur (§. 131). Quare cum porro sit OI ad OH in Ratione Refractionis & FO:OH = FI:GI, per hypoth. erit G Focus Radiorum Axi vicinorum ex A incidentium (§. 148). Q. e. d.

PROBLEMA XXI.

219. Datis Ratione Refractionis Semidiametris Convexitatum BC & IH, atque distantia Puncti radiantis A inter Centrum H & Lentem; invenire Focum G.

RESOLUTIO.

1. Quæratur Punctum F, unde Radius, vi primæ Refractionis in D factæ, dispergitur (§. 128).
2. Hinc ulterius investigetur Punctum G, ubi Radius, post alteram Refractionem, cum Axe concurrit (§. 145).

Si Geometrica constructione contentus sis, per Theorema præcedens optimè absolvetur.

SCHOLION

220. Ex his abunde patet, quomodo in omni casu reliquo, vi Principiorum in Capite præcedenti. expositorum, Focus determinari possit; si nempe Radius in Lentem quamcunque Con-

Convexam incidentis ad Punctum aliquod tendere supponatur; ea igitur ut prolixe hic per se quanum superfluum esse videtur. Nimurum non alio fine Refractionem indagavimus in Superficiebus Sphaericis & Planis pro diversitate Radiorum incidentium & densitatis Mediorum, per quae ante & post Refractionem propagatur, quam ut inde Refractio in Lentibus determinari possit. Consideremus itaque potius, quid accidat Radiis à Punctis extra Axem Lentium sitis incidentibus vel etiam ad Puncta extra Axem Lentium sita tendentibus.

PROBLEMA X.

221. Invenire Focum Radiorum ex Puncto K extra Axem AF suo in Lentem utcunque Convexam incidentium.

RESOLUTIO.

Illud satis patet, si Refractio in unica tantum superficie fiat, Punctum radians K semper esse in Axe, qui est recta ex Puncto dato K per Centrum Superficiei, in quam incidit, ducta (§. 21). Unde, per Principia in Capitibus præcedentibus tradita, in omni casu haud difficulter Focus Radiorum inde incidentium determinabitur: quod adeo unico in casu demonstrasse sufficerit.

1. Sit itaque Lens utrinque Convexa ML, Axis Lentis AF, Punctum extra Axem K & Kf ducatur per Centrum C Convexitatis superioris, Radius KD irrefractus transibit & Punctum f, ad quod, vi primæ Refractionis, tendit Radius KE, determinabitur (§. 122).

2. Ex f ducatur ad Centrum H Convexitatis inferioris LIM recta Hf, quæ erit Axis aliquis Diaphani, cuius Superficies LIM (§. 21). Cum adeo Radius Ef ad Punctum f tendat

& in Cavitate ex Diaphano densiori in rarius refringatur; Punctum IV. concursus g determinabitur (§. 165): Fig. 33. quod esse Focum, in quo colliguntur Radii ex K venientes, per se patet.

THEOREMA LI.

222. Foci g & G Radiorum ex Punctis A & K à Centro ad sensum equaliter distantibus in Lentem quomodounque Convexam incidentium ab ea equaliter ad sensum distant.

DEMONSTRATIO.

Quoniam CA=CK per hypoth. & CE=CD (§. 40. Geom.); erit EA=DK (§. 91. Arithm.). Est vero $(n-m)$ AE=mCE : mCE=AE : FE & $(n-m)$ KD=mDC : mDC=KD : Df (§. 122). Quamobrem cum sit $(n-m)$ AE=mCE : nCE=(n-m)KD = mDC : nDC (§. 168. Arithm.); erit AE : FE=KD : Df (§. 167. Arithm.), consequenter EF=Df (§. 177. Arithm.) & ob CE=CD (§. 40. Geom.) CF=Cf (§. 91. Arithm.). Jam cum Angulus ACK exiguus supponatur; erunt Anguli fHC & CfH multo magis exigui (§. 239. Geom.), consequenter Hf ipsis HC & Cf simul sumtis ad sensum æqualis, & hinc Hf=HF (§. 88. Arithm.). Quare etiam Hg ipsis HG (§. 165) & inde ob HI=HB (§. 40. Geom.) porro Bg ipsis IG ad sensum æqualis (§. 91. Arithm.). Q. d. d.

THEOREMA LII.

223. Focus Radiorum divergentium à Lente longius distat Foco Radiorum Tab. IV. pa- Fig. 30.

- Tab. parallelorum, & distantia Foci in priori
 IV. casu major aut minor est pro distantia
 Fig. 30. Puncti radiantis majore aut minore.

DEMONSTRATIO.

Ponamus Refractionem fieri in Lente Plano-convexa, distantia Foci Radiorum parallelorum HE erit $2BC$, si C sit Centrum Convexitatis (§. 168. 174.). Sed distantia Foci Radiorum divergentium FE est $2BC$. $AB : (AB - 2BC) = 2CB : 2BC$ (§. 214.). Est itaque $HE : FE = AB : (AB - 2BC)$.

(§. 178. 181. Arithm.). Quare cum $AB - 2BC < AB$; erit $HE < FE$. *Quod erat unum.*

Sit $2BC = b$, AB in casu uno $= a$, in altero $= ea$; erit $a - b : a = ea - eb : ea$ (§. 178. Arithm.). Est vero $ea - eb < ea - b$ (§ 92. Arithm.). Ergo $ea - eb : ea (= a - b : a) < ea - b : ea$ (§. 182. Arithm.) adeoque HE ad FE in priori casu Rationem majorem habet quam in posteriori (§. 203. Arithm.). Ergo distantia Foci Radiorum divergentium in casu priori minor, quam in posteriori (§. 206. Arithm.). *Quod erat alterum.*

Eodem modo ostenditur utrumque in quocunque casu alio. *Q.e.d.*

THEOREMA LIII.

224. Objectorum Lenti quomodo cumque Convexæ oppositorum Imagines in Fo-
 Tab. que Convexæ oppositorum Imagines in Fo-
 IV. co ejus inverso situ depinguntur.
 Fig. 33.

DEMONSTRATIO.

Omnes enim Radii à Puncto A venientes in Foco G concurrunt (§. 218);

Radii vero ex Puncto K emanantes in Foco g, & Radii à Punctis intermediis inter A & K adventantes in Punctis intermediis inter g & G uniuntur (§. 222). Radii igitur ex Puncto K propagati post Refractionem, quasi ex g radiant, & à Puncto A propagati quasi ex G emittuntur, consequenter Punctum K in g, Punctum A in G videri debet (§. 348. Optic.). Objecti adeo Imago in Foco situ inverso delineatur. *Q.e.d.*

COROLLARIUM I.

225. Hinc si Charta, in loco præsertim obscuro, Lenti Convexæ in distantia Foci obiciatur; Imagines Objectorum in eam radiantium situ inverso quam distinctissime suisque nativis coloribus delineantur.

COROLLARIUM II.

226. Imagines Objectorum vicinorum in majori distantia distincte delineantur Imagines vero remotorum in minore (§ 223).

COROLLARIUM III.

227. Neque Focus adeo Radiorum Solarium aliud est, quam Imago Solis.

COROLLARIUM IV.

228. Hinc in Ecclipsibus Solaribus Imago Solis deficientis jucundo spectaculo Lentibus grandioribus Ligno inuritur.

COROLLARIUM V.

229. Quodsi ergo Lentem quamcunqu Convexam Objectis tam vicinis quam remotis obvertas & Chartam eidem subjicias in qua Imago distincte representatur; Foci ab ea distantiam dimetiri & inde semidiametrum Convexitatis (§. 168. 193) concicre licebit.

SCHOLION I.

230. Hoc modo explicari possunt, quæ supra de Focis demonstrata sunt.

COROLLARIUM VI.

231. Quodsi Speculum Concavum ita constitutas, ut Imago universa per refractionem formata sit inter Centrum & Focum, vel etiam ultra Centrum; per reflexionem rursus invertetur, adeoque erecta apparet, in priori casu ultra Centrum (§. 253. *Catoptr.*), in posteriori intra Centrum (§. 24. *Catoptr.*)

SCHOLION II.

232. Hoc Artificium debetur JOHANNI BAPTISTÆ PORTÆ (a).

COROLLARIUM VII.

233. Si post Lentem HI Speculum Planum CD sub Angulo semirecto ad Planum Horizonti parallelum inclines atque Planum Horizontale FG ita substernas, ut $D_a = D_b$ & $C_b = C^b$: Imago, quæ remoto Speculo inversa videretur in $\beta\alpha$ nunc situ erecta videbitur in ab , quia Punctum A à Puncto Speculi D in a & B à Puncto Speculi C in b reflectitur (§. 24. *Catoptr.*).

COROLLARIUM VIII.

234. Si post Imaginem $\alpha\beta$ per Refractionem in Lente CD factam constituatur Lens altera Convexa EF, ita ut Imago inversa $\alpha\beta$ sit extra Focum ejus; Imago hæc perinde ac Objectum aliquod in eam radiabit (§. 348. *Optic.*). Per Refractionem itaque in altera Lente formabitur Imago inversa ba Imaginis inversæ $\alpha\beta$ (§. 224), hoc est, erecta Objecti AB. Unde patet novum Artificium Imagines erigendi, si duæ Lentes utrinque Convexæ Tubo ductio inserantur.

SCHOLION III.

235. Lentes vel ejusdem sunt Sphæricitatis, vel (quod præstat) anterior majoris Sphæra segmentum existit. Sed cum non quavis Vitrorum proportio commoda deprehendatur (Lens enim interior si Sphæra exiguae segmen-

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

tum, Imagines obscuræ evadunt); ideo ex ZAHNIO (b) proportionem Diametrorum in particulis centesimis pedis huic apponere libet.

Vitrum anterius utrinque Convexum.	50	25	40. 45. 50
	55	27 $\frac{1}{2}$	40. 45. 50. 55
	60	30	40. 45. 50. 55. 60
	65	32 $\frac{1}{2}$	45. 50. 55. 60. 65
	70	35	50. 55. 60. 65. 70
	75	37 $\frac{1}{2}$	55. 60. 65. 70. 75
	80	40	60. 65. 70. 75. 80
	85	42 $\frac{1}{2}$	65. 70. 75. 80. 85
	90	45	70. 75. 80. 85. 90
	95	47 $\frac{1}{2}$	75. 80. 85. 90. 95
	100	50	80. 85. 90. 95. 100
	110	55	90. 95. usque ad 110
	120	60	& ita porro.
	130	65	
	140	70	
	150	75	
	200	100	
Vitrum interius utrinque Convexum			

Nimirum si Lentis prioris Diameter fuerit $\frac{5}{100}$ seu dimidii pedis; erit commode Lentis posterioris Diameter $\frac{4}{100}$, vel $\frac{45}{100}$, vel $\frac{5}{100}$. Et eadem manebit Lentis posterioris Diameter, si anterior fuerit Plano-convexa & Diameter ejus $\frac{25}{100}$ pedis.

PROBLEMA XXIV.

236. Cameram Obscuram construere; in qua Imagines Objectorum exterritorum distinctissimæ suisque nativis coloribus situ vel inverso, vel si mavis erecto represententur.

RESOLUTIO.

I. Cubiculum quocunque, ex quo fenestra patet in locum multis Objectis obseratum, totum obscuretur, nonnisi exiguo in fenestra Foramine relicto.

E e 2.Fo-

(a) Magiae Natural. Lib. XVII. Cap. 6.

(b) Oculi artific. fund. i. Synt. 3. Cap. 4. f.m. 170.

2. Foramen muniatur Lente vel Plano-convexa , vel utrinque Convexa , quæ sit majoris Sphæræ segmentum.
 3. In distantia debita, per Experienciam facile definienda , collocetur Charta vel Volum expansum.
- In hac enim Objectorum Imagines desideratae delineabuntur inversæ (§.224).
4. Quodsi vero easdem situ erecto comparere malueris; id vel ope Speculi Concavi (§.231), vel ope Speculi Plani (§.233), vel ope duarum Lentium Tubo ductitio inclusarum (§.214) efficies.

Aliter.

Quodsi Cameram obscuram portat Tab.V. lem aut Cistulam Parastaticam desideres. Fig.36.

- I. Ex Ligno arido paretur Cistula ABCD figuram parallelepipedii habens , cuius latitudo 9 circiter dicatorum , longitudo duorum vel plurium pedum , pro diversa magnitudine Diametrorum Lentium.
2. In Plano AC applicetur Tubus ductius EF cum duabus Lentibus , aut , ut Imago minori à Tubo intervallo distet , tribus utrinque Convexitatis. Diametri anteriorum æquales e. gr. $\frac{60}{100}$ pedis , Diameter interioris minor e. gr. $\frac{40}{100}$ (§.235).
3. Intra Cistulam perpendiculariter in debita à Tubo distantia erigatur Charta Oleo imbuta & subscudibus agglutinata GH , ut Imagines in eam trajectæ transpareant.
4. Denique in I fiat Foramen rotundum , ut ambobus Oculis commode introspicere possis.

Quodsi Tubum Objectis obvertas ; Lentibus rite collocatis , quarum distantiam Experientia optime definit ; in Charta GH Objecta ut ante delineabuntur , situ erecto.

Aliter.

1. In medio Cistulæ erigatur Turricula T rotunda vel quadrata HI versus F Objectum AB aperta.
2. Pone aperturam inclinetur sub Angulo 45 gradum Speculum Planum exiguum ab , quod
3. Radios Aa & Bb reflectat in Lentem utrinque Convexam G Tubulo GL inclusam.
4. In distantia Foci substernatur Tabula Charta munda obducta EF Imaginem βα exceptura.
5. Denique in NM fiat Foramen oblongum , per quod introspicere possis.

SCHOLION.

237. *Uſus Camerae obscuræ multiplex.* Naturam Visionis optime declarat , ita ut non immerito *Oculus Camera obscura naturalis & viciſſim Camera obscura Oculus artificialis* appelletur. *Jucundissima spectacula exhibet* , tum quod Imagines objectis suis simillimas suisque nativis coloribus tinctas representet , tum quod motus quoſcunq; una exprimat , quod posterius præſertim Ars nulla imitari potest. *Artis Pittoriæ peritus ex contemplatione harum Imaginum multa annotabit* , quæ ad perfectionem illius tendunt : *Artis vero imperitus Objecta quævis accurate delineabit* , si præſertim tertiam ſtructuram à nobis expositam ſibi elegerit. *Tum vero Camera obscura eti portabilis tantæ amplitudinis conſtrui debet* , ut homo tuto ingredi & commode juxta Tabulam , in quam projectetur *Imago* , ſedere possit.

LEMMA III.

238. Si fuerint due Lineæ parallelæ AB & CD & eas secent due alia EF & HI, ita ut Angulus HKB sit ipsi CLF æqualis; erit FL ipsi KH parallela.

DEMONSTRATIO.

Est enim $o = x$ (§. 233. Geom.) & $o = y$ per hypoth. Ergo $y = x$ (§. 87. Arithm.) Quare cum sit $y = u$ (§. 156. Geom.); erit $u = x$ (§. cit. Arithm.), adeoque KH ipsi LF parallela (§. 255. Geom.). Q. e. d.

THEOREMA LIV.

239. Si Angulus inclinationis SDE in egressu Lentis fuerit æqualis Angulo refracto DEM in ingressu; erit Angulus refractus in egressu KDN Angulo inclinationis in ingressu HEG æqualis.

DEMONSTRATIO.

Sit ratio Sinus Anguli MED ad Sinum Anguli HEG = $m : n$; erit Sinus Anguli SDE ad Sinum Anguli KDN itidem = $m : n$ (§. 37). Sed Sinus Anguli SDE æqualis est Sinui Anguli MED per hypoth. Ergo Sinus Anguli HEG Sinui anguli KDN æqualis est (§. 177. Arithm.); consequenter Anguli HEG & KDN æquales sunt, Q. e. d.

THEOREMA LV.

240. In Vitro utrinque Plano parallelarum Basium AB & PQ, Radius KD post duplē Refractionem fit incidenti GE parallelus.

DEMONSTRATIO.

Sint CN & HM Axes refractionis. Quoniam AB ipsi PQ parallela per hypoth. & CN ad PQ atque HM ad AB perpendicularis (§. 10); erit quoque HM

ad PQ perpendicularis (§. 230. Geom.), adeoque HM ipsi CM parallela (§. 256. Geom.). Cum adeo MED = SDE (§. 233. Geom.); erit etiam HEG = KDN (§. 239), & hinc KO ipsi IG parallela (§. 238). Q. e. d.

Tab.
IV.
Fig.
39.

COROLLARIUM I.

241. Quodsi PQ tangat Arcum ADB in D, cujus Centrum in C; erit QD ad CD perpendicularis (§. 308. Geom.). Quare cum etiam CN ad AB perpendicularis supponatur; erit PQ ipsi AB parallela. Radius igitur ED incidens in Superficiem Concavam BDA perinde refringitur ac si in Planam QP incideret (§. 48) & hinc Radius refractus DK incidenti GI parallellus (§. 240).

COROLLARIUM II.

242. Eodem modo patet, si Radius KD sit incidens, fore refractum EG eidem parallelum.

THEOREMA LVI.

243. Si C fuerit Centrum Convexitatis inferioris, M vero superioris, & crassities Lentis IH ita divisa in S, ut MI : CH = IS : SH; Radius DK post duplē Refractionem in Lente utrinque Convexa factam, erit incidenti GE parallelus.

Tab.
IV.
Fig.
40.

DEMONSTRATIO.

Quia MI : CH = IS : SH per hypoth. erit etiam MI : IS = CH : SH (§. 173. Arithm.), & hinc MI : MS = CH : CS (§. 193. Arithm.), hoc est, ob MI = ME & CH = CD (§. 40. Geom.), ME : MS = CD : CS (§. 168. Arithm.). Quare cum Verticales ad S sint æquales (§. 156. Geom.), erit CDS = MES (§. 237. Geom.). Tangat jam recta AB Lentem in Puncto incidentiæ E in ingressu,

Tab. V. & PQ in Puncto incidentiæ D in egreſſu : Radius in GE in Superficie Convexa perinde refrangetur, ac in Plana, quæ in E Lentem tangit, & Radius KD in Superficie Concava perinde refractus ac si incidisset in Planam, quæ in Puncto D Lentem tangit (§. 48), eruntque MEA & CDQ Anguli recti (§. 308. Geom.), consequenter AED = EDQ (§. 91. Arithm.). Est igitur AB ipsi PQ parallelia (§. 255. Geom.), & hinc si DE sit Radius per Lentem transiens, erit, post alteram Refractionem, Radius DK incidenti GE parallelus (§. 240). Q. e. d.

THEOREMA LVII.

Tab V. 244. *Imago ab Objecti AB post Lentem Convexam FE delineata est ad ipsum Objectum AB quoad Diametrum, in ratione distantia imaginis Cd ad distantiam Objecti CD.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam quodlibet Objecti Punctum per totam Lentem FE radiat; necessario Radius unus ex A proveniens per Punctum C transit, quod refractum Ca facit incidenti AC parallelum (§. 241. 242. 243). Eodem modo patet, Radius aliquem Cb esse incidenti BC parallelum. Quodsi Lentis crassities contènnatur, AC & Ca, itemque BC & Cb pro una recta haberi possunt. Quare cum ob parallelismum AB & ab, $a = x$ (§. 233. Geom.) & verticales ad C sint æquales (§. 156. Geom.), Triangulum acb alteri ACB simile est (§. 267. Geom.), adeoque $b:a:AB = Cd:CD$ (§. 396. Geom.). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

245. Quia Imago Objecti remotioris minus distat à Lente quam vicinioris (§. 226), Imago remotioris minor est quam vicinioris.

COROLLARIUM II.

246. Quoniam distantia Imaginis à Lente major est, si Lens FE fuerit majoris Sphæræ segmentum, quam si minoris extiterit (§. 168. 193); Imago quoque in casu priore major est, in posteriore minor.

COROLLARIUM III.

247. Imago igitur ab tantæ magnitudinis est, quantæ foret, si Objectum AB radiaret in locum obscurum per exiguum Foramen in parietem eodem intervallo remotum, quo Focus à Lente distat (§. 120. Optic.).

COROLLARIUM IV.

248. Quando Objectum minus distat à Lente Foco Radiorum parallelorum, Imaginis distantia major est quam Objecti (§. 224. 219); alias vero distantia Imaginis minor, quam Objecti existit (§. 214). In casu itaque priore Imago major est Objecto, in posteriore minor (§. 246).

COROLLARIUM V.

249. Quia omnes Radii ab Axe non nimis remoti in eodem Puncto uniuntur per Refractionem, si ab eodem inciderint; si pars aliqua Lentis prope Axem tegatur, aut Bullæ quædam, vel Arenulæ, vel denique Nævi quidam polituræ in Lente observentur; nihil tamen horum in unam Imaginis partem magis redundat, quam in reliquam.

SCHOLION I.

250. Si Imagines Objecto maiores sunt; non satis distincte apparent, quia tum pauciores sunt Radii, qui in eodem Puncto post Refractionem concurrunt, unde contingit Radios

lios à diversis Punctis Objecti emanantes in eodem Imaginis Puncto terminari. Sed hæc causa confusionis (§. 76. Optic.).

SCHOLION II.

251. Hinc apparet, non eandem in quovis casu admitti Lentis aperturam, si arcere volueris Radios distinctioni nocituros. Quamvis autem tum Imago maxime distincta, si Radiis tantum prope Axem concedatur ingressus; ob Radiorum tamen defectum obscurior est: obscuritas vero etiam obstat, quo minus Imago satis distincta appareat.

THEOREMA LVIII.

252. Si Oculus fuerit in Foco F Lentis unicunque Convexæ; Objectum AB situ videt erecto & auctum in ratione distantia ejus ab Oculo FM ad Oculi à Lente distantiam FL, si vicinum fuerit: in infinitum, si fuerit remotum.

DEMONSTRATIO.

Sit Radius ML in Axe Lentis: erit ergo ad utramque Superficiem perpendicularis (§ 21) adeoque per utramque irrefractus transit (§. 25). Ducatur BN Axi ML parallelus. Quia in F Focus est Radiorum parallelorum per hypoth. Radius BN refringetur in F (§. 22). Objectum igitur MB videtur per Radios refractos sub Angulo LFN. Sed per irrefractos videtur sub Angulo MFB: in priore itaque casu auctum apparet (§. 209. Optic.), situ tamen erecto, quia Punctum dextrum B per Radium FN videtur versus dextram; sinistrum vero M per Radium FL versus sinistram. *Quod erat unum.*

Quoniam Arcus LN exiguus, ut pro recta haberi possit & ob Angulos ad L & M rectos per hypoth. BM ipsi LN pa-

rallela (§ 256. Geom.); erit FM: FL Tab.V. = MB: LE (§. 268. Geom.). Sed ob Fig. 42. parallelismum rectarum ML & BN, per hypoth. MB = LN (§. 226. Geom.) & Objectum apparet ad verum, ut LN ad LE, tantæ nimirum magnitudinis videntur verum & apparet, quantæ LE & LN in distantia FL videntur (§. 209. Optic.). Est igitur Diameter apparentis ad Diametrum veræ, ut FM ad FL (§. 168. Arithm.). *Quod erat alterum.*

Si distantia Objecti nimis longinqua, ratio FL & FM quavis data tandem major evadit, adeoque Imago in infinitum augetur.

THEOREMA LIX.

253. Si Oculus G fuerit in Axe Lentis Convexe MF, sed inter Focum O & Fig. 43. Lentem DE; Objectum videtur situ erecto, sed auctum quoad Diametrum in Ratione composita distantie Puncti F, ad quod Radius BE irrefractus tendit, à Lente FL ad distantiam Oculi ab eadem GL, & distantia Objecti ab Oculo GM ad distantiam ejusdem Objecti à Puncto, ad quod Radii irrefracti tendunt, FM, hoc est, ut FL. GM ad GL. FM.

DEMONSTRATIO.

Coincidit cum Demonstratione Theorematis 13. (§. 83).

COROLLARIUM.

254. Si Objectum AB fuerit longinquum, GF respectu ipsius GM tandem evanescit, adeoque FM ipsi GM redditur Physice æqualis, consequenter magnitudo apparet ad veram quoad Diametrum, in ratione FL ad GL.

SCHOLION.

Tab. V. 255. *Punctum F, an quod Radius BE ir-*
Fig. 43. *refractus tendit per superiora determinari
 potest. Immo data latitudine Objecti MB,
 una cum Angulo MBE, qui ob parallelismum
 rectarum LI & MB ipsi LIB æqualis, si
 nempe LI sit normalis ad GM; in Triangulo
 ad M rectangulo reperietur FM (§. 36.
 Trigon.).*

THEOREMA LX.

Tab. V. 256. *Si Oculus G, ultra Focum O*
Fig. 44. *constitutus, per Lentem utcunque Con-
 vexam videat Objectum AB, sitque F
 Punctum, unde Radius ab extremitate B
 incidentis BE divergit remotius à Lente
 ipso Objecto AB; Objectum videbitur situ
 erecto, & auctum in ratione composita
 FL ad FM & GM ad GL.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam Objectum MB per Radios refractos sub Angulo LGE, per irrefractos vero sub Angulo LGN videtur; in priore casu auctum videri debet (§. 209. Optic.). Et quia Punctum extrellum B per Radium GE videtur, M vero per Radium GM; dextrum extrellum videtur versus dexteram, sinistrum vero versus sinistram, hoc est, Objectum situ erecto videtur. *Quod erat unum.*

Patet vero ex Theorematis 58. Demonstratione (§. 252); magnitudinem veram esse ad apparentem quoad Diameterum ut LN ad LE & LE haberri posse pro recta ipsi MB parallela. Est itaque (§. 268. Geom.).

$$FM : FL = MB : LE$$

$$GM : GL = MB : LN$$

Ergo

$$LE = MB \cdot FL : FM \quad \& \quad LN = MB \cdot GL : GM,$$

consequenter

$$LE : LN = \frac{MB \cdot FL}{FM} : \frac{MB \cdot GL}{GM}$$

hoc est, $LE : LN = GM \cdot FL : FM \cdot GL$ (§. 178. 181. Arithm.). *Q. e. d.*

THEOREMA LXI.

257. *Si Objectum AB à Lente Con-
 vexa adeo distet, ut Radius BE, qui in
 Oculum G refringitur ex Puncto Axis F
 inter Lentem & Objectum sito ab eo di-
 vergat; situ videbitur inverso, estque
 magnitudo apparentis LE ad veram LN,
 in Ratione composita FL ad EM & GM
 ad GL.*

DEMONSTRATIO.

Quia Objectum AB ita situm est, ut Radius BE in Oculum G refractus Axem fecet in F; Punctum B videbitur per Radium GE, adeoque versus sinistram. Et quia M per Radium GM videtur, idem versus dexteram apparet. Ergo BM situ inverso videtur. *Quod erat unum.*

Ex antecedentibus vero constat, magnitudinem veram ad apparentem, esse, in Ratione LN ad LE. Quare cum FN, vi antecedentium Demonstrationum, haberi possit pro recta ad FL perpendiculari & ipsi AB parallela; erit $GM : GL = MB : LN$ (§. 268. Geom.), adeoque $LN = MB \cdot GL : GM$, & cum Anguli ad L & M recti, verticales ad F æquales (§. 156. Geom.), $FM : FL = MB : EL$ (§. 267. Geom.), adeoque $LE = FL \cdot MB : FM$. Quare

$$LE : LN = \frac{FL \cdot MB}{FM} : \frac{GL \cdot MB}{GM}$$

hoc est, $LE : LN = FL \cdot GM : GL \cdot FM$ (§. 178. 181. Arithm.). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

258. Si fiat $GM = a$, $GL = b$, $FM = c$, $FL = d$, fueritque $\frac{a}{b} > \frac{c}{d}$; erit $\frac{ad}{bd} > \frac{cb}{bd}$.

§. 235. Arithm.). consequenter $ad > cb$ (§. 182. Arithm.). In hoc itaque casu, in quo GM ad GL rationem majorem habet, quam FM ad FL , $LE > LN$ (§. 257), hoc est, Objectum MB videtur auctum.

COROLLARIUM II.

259. Si fuerit $\frac{a}{b} < \frac{c}{d}$; erit $\frac{ad}{bd} < \frac{cb}{bd}$ (§. 235. Arithm.), consequenter $ad < cb$ (§. 182. Arithm.). In hoc igitur casu, in quo GM ad GL rationem minorem habet, quam FM ad FL , $LE < LN$ (§. 257), hoc est, Objectum MB videtur minutum.

COROLLARIUM III.

260. Si fuerit $\frac{a}{b} = \frac{c}{d}$; erit $\frac{ad}{bd} = \frac{bc}{bd}$ (§. 235. Arithm.); consequenter $ad = bc$ (§. 93. Arithm.). In hoc igitur casu, in quo GM ad GL rationem eandem habet, quam FM ad FL , $LE = LN$ (§. 257), hoc est, Objectum MB tantæ magnitudinis Oculo annato apparet, quantæ à nudo videtur.

THEOREMA LXII.

261. Si Oculus fuerit in Foco F; Visibile AB ejusdem constanter magnitudinis apparet, quocunque intervallo; Lente removeatur.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Radius BN Axi MF parallelus, in Focum F refringitur (§. 22), & distantia LF constans supponitur; Angulus visorius LFN semper idem manet. Objectum igitur MB ad quamcumque distantiam LM ejusdem semper magnitudinis apparet (§. 209. Optic.). Q.e.d.

DEFINITIO XXIII.

262. Polyedrum est Lens ex Superficiebus Planis in Convexitatem dispositis composita.

THEOREMA LXIII.

263. Si Radii EF, AB, CD paralleli incident in Superficiem Polyedri; Fig. 46. post Refractionem etiam sunt paralleli. Tab.V.

DEMONSTRATIO.

Quia Superficies Polyedri componitur ex Planis in Convexitatem dispositis (§. 262) & Radii paralleli incident, post Refractionem in ingressu factam etiam sunt paralleli (§. 49). Cum adeo in Superficie Planam LM paralleli incident; post alteram itidem Refractionem paralleli sint necesse est (§. cit.). Q.e.d.

COROLLARIUM I.

264. Quodsi Polyedrum fuerit regulare, LH, HI, IM sunt veluti tangentes Lentem Sphaericam Convexam in F, B & D, consequenter Radii in Puncta contactus incidentes Axem intersecant (§. 166). Quare cum reliqui sint iidem paralleli (§. 263); iidem quoque prope G se mutuo intersecare debent.

COROLLARIUM II.

265. Quodsi ergo Oculus ibi constituitur, ubi Radii paralleli decussantur, à singulis Hedris Radii paralleli ab eodem Objecto promanantes in eum propagantur. Quare cum Humor Chrystallinus, utpote Lenticula Convexa (§. 34. Optic.), Radios parallelos uniat (§. 178); in totidem diversis Retinæ Punctis a, b, c uniuntur Radii, quot sunt Vitri LBM Hedræ; consequenter Oculus per Vitrum Polyedrum tories videre potest Objectum, quot sunt Hedræ, si debito loco constituatur (§. 70. Optic.). Co-

COROLLARIUM III.

266. Quoniam Radii ab Objectis longinquis venientes sunt paralleli (*§. 93. Optic.*); Objectum remotum per Vitrum Polyedrum toties videtur, quot sunt Hedræ ipsius (*§. 265.*).

THEOREMA LXIV.

Tab.V. 267. Si à Puncto radiente A in diversa Polyedri regularis Plana incident Radii AB, AC, AD; post Refractionem in G decussantur & à singulis Planis venientes ad singulas plagas tendunt nonnihil divergentes.
Fig.47.

DEMONSTRATIO.

Quoniam HI ipsi KL parallela & AB ad HI perpendicularis per hypoth. erit etiam eadem ad KL normalis (*§. 130. Geom.*), adeoque Radius Ab irrefractus transit (*§. 25.*). Cum vero KH, HI, IL considerari possint instar tangentium Lentem Convexam, Radii in Puncta contactus incidentes Axem Ab post refractionem secant (*§. 213.*). Incidat

Tab.V. jam Radius AK in idem Planum, in quod incidere supponitur AC ad Punctum contactus, sintque PQ & RS ad Planum perpendicularares, hoc est, Axes refractionis (*§. 10.*). Quoniam $o > x$ (*§. 188. Geom.*); cum sit $o + u = y + x$ (*§. 233. Geom.*), erit $y > u$ (*§. 92. Arithm.*), consequenter $n > m$ (*§. 26.*). Quamobrem cum Anguli QCK & SKC simul sumti sint duo recti per demonstr. erunt TCK & OKC simul sumti duabus rectis majoribus (*§. 90. Arithm.*), & ideo Radii KO & CT post primam Refractionem divergunt (*§. 261. Geom.*): non tamen multum divergunt, quia, ob parvitudinem Anguli A, $o & x$ non multum

differunt (*§. 239. Geom.*). adeoque & u atque y tanquam complementa ad rectos, consequenter m atque n ab aequalitate parum absunt (*§. 26.*). Radius itaque KO etiam post alteram Refractionem à Radio CT nonnihil divergit (*§. 68.*). Cum adeo Radii per Puncta contactus transeuntes Axem secant per demonstrata; reliqui ipsis vicini post Refractionem parum divergentes similiter sese in vicinia interfecare debent & ideo post Refractionem, qui ab uno Plano veniunt, ad eandem quoque plagam tendunt; qui veniunt ab alio, ad aliam progrediuntur. Q. e. d.

COROLLARIUM

265. Quodsi Oculus ibi constituantur, ubi Radii à diversis Planis advenientes decussantur; à singulis Planis propagantur in eum Radii nonnihil divergentes, hoc est, veluti ex diversis Punctis emanantes Quare cum Humor Chrystallinus, ut pote Lenticula Convexa (*§. 34. Optic.*), Radios à Puncto emanantes in uno Puncto iterum colligat (*§. 216.*); in totidem diversis Retinæ Punctis a , b , c uniuntur Radii, quot sunt Vitri LBK Hedræ; consequenter Oculus in Foco G constitutus per Polyedrum toties videt Objectum etiam vicinum, quot sunt Hedræ (*§. 70. Optic.*).

SCHOLION I.

269. Cum in Demonstratione usi simus Theorematibus, in quibus Objecta ultra Focum remota supponuntur; Objectum quoque multiplicandum ultra Focum distare debet, ejus nempe Lentis, que est segmentum Sphaeræ, cui Polyedrum inscribi potest.

SCHOLION II.

270. Me non monente statim apparet, Imagines quoque Objectorum in Camera obscura multiplicari, si foramina apponatur Lens Polyedra

Polyedra & ei in debita distantia jungatur
Convexa.

SCHOLION III.

271. Illud quoque pratereundum non est, quod Radii Solares in Superficiem LM incidentes post refractionem per singulas Hedras colorati dispergantur, ita ut in Parietem praesertim album illapsi aut Charta munda excepti, totidem Maculas coloratas exhibeant, quot sunt Hedrae Polyedri, tanto quidem splendidiores, quo obscurior fuerit locus, ubi Experimentum capit. Sapissime id expertus sum ope Polyedri LNM Tubo LMIH inclusi, ita ut HI esset Planum, in quo Radiorum per Lentem propagatorum decussatio juxta superiora contingit, tanta adeo amplitudinis, ut omnes Radios per Polyedrum refractos caperet. Radios autem Solares per aperturam Tubi HI in casu praesenti immisi.

SCHOLION IV.

272. Magis jucunda Spectacula exhibere poteris in Camera Obscura, si Radios à Refractione in Prismate Trigono facta coloratos (§. 183. Optic.) Polyedro paulo maiore, h. e. latitudinis 3 aut 4 digitorum excipias. Quodsi Lens à Prismate trium vel quatuor pedum intervallo removeatur, in Pariete aut Charta vicina macula, de quibus dixi, colorata multo illustriores apparebunt, Gemmarum quemvis splendorem longe superantes. In Foco autem Polyedri, hoc est, ubi Radii decussantur (in hoc enim Experimento Radii excipiuntur à Superficie Convexa Polyedri) Stella quedam splendoris prorsus admirandi conspicitur. Non tamen in Radiorum concursu colores ita confunduntur, ut in Lumen abeant, sed ubi Rursus divergent, distincti denuo observantur.

SCHOLION V.

273. Ceterum quamvis in Demonstratione supposuerimus, Vitrum Polyedrum esse regulare & habere Planum unum HI alteri LM parallelum, haud difficulter tamen appetat, eas quoque a iis Polyedris Sphærae circumscrip-

tilibus applicari posse, modo Radius unus AG supponatur Axis Sphærae. Quodsi Platum unum fuerit ipsi LM parallelum, Radii per ipsum refracti non erunt colorati.

Tab.
V.
Fig.
46.

SCHOLION VI.

274. Ut Objectum verum digito attinere possis, ita quidem dirigendus, ut ad singulas Imagines digitii singuli tendere videatur: ita nimurum verus quoque digitus ad Objectum tendet. Hoc qui non observant, frustra Objectum attingere conantur. Nennulli Polyedrum movent in gyrum observantes, quodnam Visibilium maneat immotum: id enim Objectum verum est, apparentibus loca mutantibus, si Plana refringentia loca mutent.

SCHOLION VII.

275. Quodsi duas Lentes Polyedras in Conspicilla aptes, ut instar aliorum Conspicillorum naso imponi possint; gemino Oculo aperito Objecta multiplicata videntur: quod gratius accidit, quam si Oculo uno per Polyedrum transpiente alter claudi debet.

SCHOLION VIII.

276. Si in Plainis Polyedri in Convexitatem dispositis pingantur Imagines coloribus aqua dilutis & Lens ad Foramen Cameræ obscuræ aptetur; Radii Solares per eam transcurrentes secum ferent species istarum Imaginum easque in Parietem oppositum projicient, multo quidem ritidiores, si Lente Convexa in Foco Polyedri posita denuo Refractio fiat (§. 268.). Hoc artificium simile est alteri, quo Candela pariter ac Solis Lumine Imago in Charta depicta in Cameram obscuram projectatur. Scilicet Charta, in qua Imago depicta, Oleo perungitur &, ne rugas contrahat, Tigillii ligneis agglutinatur: quo facto ante Foramen Cameræ obscuræ constituitur, Candela accensa pone illam collocata, nisi Solis Lumine illustretur. Radii nimurum Luminis per Chartam pellucidam transentes speciem Imaginis cum suis coloribus in Cameram obscuram secum ferent:

PROBLEMA XXV.

Tab.V. 277. *Imaginem deformare, quæ per Fig. 49. Vitrum Polyedrum adspecta formosa appareat.*

RESOLUTIO.

1. Super Tabula Horizontali ABCD erigatur alia AFED ad Angulos rectos.
2. Tabula tam Horizontalis, quam Verticalis habeat incisuras juxta longitudinem dispositas, ita ut intra incisuras Horizontalis AB & DC Fulcrum BHC huc illucque moveri, intra incisuras vero Verticalis ED & FA Charta munda alii compactiori agglutinata demitti & denuo extrahi possit.
3. Ad Fulcrum BHC aptetur Tubus ductius IK, Lente Polyedra Plano-convexa, ex 24. Planis Triangularibus non nimis magnis in Parabolæ fere Convexitatem dispositis constante, in I instruetus. In K Tubus sit obturatus & exiguo tantum Foramine præditus, quod paulo ultra Focum à Lente remotum.
4. Fulcrum BHC à Tabula Verticali removeatur, ut ultra Foci intervallum ab ea distet, eo quidem magis, quo major Imago dissipata per Lentem recolligenda.
5. Ante foramen Tubi K Lampas col-

locetur (non Candela, quia hujus flamma non constanter eadem) & Areolæ Luminosæ in Tabula Verticale seu Charta eidem applicata Plumbagineotentur. Ne tamen facile aberres, in iis designandis, Oculari continuo opus est Observatione, ut nimis appareat, utrum per Lentem conspectæ unum continuum exhibeant, necne.

6. In Areolis istis pingantur partes, quæ conjunctæ totius cuiusdam Imaginem exhibeant, Oculari semper adhibita Observatione, ut per Lentem singulæ bene ordinatæ compareant. Interjecta vero spatia alia Pictura repleantur, opera in primis data, ut libero etiam Oculo conspecta Pictura Imaginem rei cuiusdam ab ea, quæ per Polyedrum videtur, diversæ exhibeat.

Quodsi per Foramen K Picturam contuearis, partes per Areolas dispersæ unam continuam exhibebunt Imaginem, quæ vero in spatiis intermediis depicta sunt, plane non videntur.

SCHOLION.

278. *Si Basis Tubi K amplior fiat & pluribus Foraminibus pertundatur, in eadem Tabula EFDA plures Imagines dissipari possunt, ita ut per singula foramina insipienti singula diversæ appareant Imagines: Sed majori Artificio opus est ad plurium, quam ad unius dissipationem.*

C A P U T V.

*De Refractione Luminis in Lentibus Concavis
& Meniscis.*

THEOREMA LXV.

279. Si Radii paralleli in Lentem Plano-concavam KL incidentur & FC ad FB fuerit in ratione Refractionis; erit F Focus virtualis.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Radius HI Axi FB parallelus, per hypoth. Axis vero FB ad KL perpendicularis (§. 21. Dioptr.); erit etiam Radius HI ad KL perpendicularis (§. 230. Geom.), adeoque irrefractus transit usque ad E (§. 25). Quare cum FC ad FB sit in Ratione Refractionis per hypoth. erit F Focus virtualis (§. 98). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

280. Si Lens fuerit Vitrea, erit FB = 2BC (§. 99), hoc est, Focus virtualis F à Lente KL Diametri intervallo 2BC distat.

COROLLARIUM II.

281. Si Refractio in Aqua contingit, erit FB = 3CB (§. 100), hoc est, Focus virtualis F à Lente KL intervallo sesquidiametri 3BC distat.

THEOREMA LXVI.

282. Si Radius AE Axi FP parallelus incidat in Lentem utrinque Concavam, & tam FC ad FB quam IP ad PH Rationem Refractionis habeat; atque FP:PH = FB:BG; erit G Punctum dispersus seu Focus virtualis.

DEMONSTRATIO.

Quia Radius AE per Medium rarius in Superficiem Cavam Diaphani densioris incidit, & FC ad FB Rationem Refractionis habet, per hypoth. Radius refractus DE ex Puncto F dispergitur (§. 104). Cum itaque in Superficie Convexa ex Diaphano densiori in Medium rarius refringatur, & IP ad PH in ratione Refractionis, atque FP:PH = FB:BG, per hypoth. erit G Punctum, unde post alteram Refractionem DN dispergitur (§. 136). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

283. Si ergo Ratio Refractionis = $n:m$, CB = a , IH = b ; erit FB = $na:(n-m)$ & PI = $nb:(n-m)$ (§. 190. Arithm.), consequenter neglecta Lentis crassitie FP = FB + IP = $(na+nb):(n-m)$ & PH = PI - IH = $nb:(n-m) - b = (nb-nb+mb):(n-m) = mb:(n-m)$. Quare

$$(\text{§. 282}) \quad \frac{n(a+b)}{n-m} \cdot \frac{mb}{n-m} = \frac{na}{n-m} : BG$$

$$\text{h. e. } a+b : \frac{mb}{n-m} = a : BG \quad (\text{§. 183. 184. Arithm.})$$

seu $(n-m)(a+b):mb = a:BG$ (§. 178. Arithm.), hoc est, $(n-m)(CB+IH):mIH = CB:BG$.

COROLLARIUM II.

284. Si Refractio in Lente Vitrea contingit, erit $m=2, n=3$ (§. 26), adeoque $a+b:2b = a:BG$, hoc est, summa Semidiametrorum CB & HI ad Diametrum Concavitatis alterius 2 HI, ita Semidiametrum

Tab V. ter alterius CB ad distantiam Foci virtua-
Fig. 52. lis à Lente BG.

COROLLARIUM III.

285. Quodsi $a = b$, hoc est, si Semidiametri HI & CB æquales, erit $BG = 2a^2 : 2a = a$, seu distantia Foci virtualis à Lente BG Semidiametro CB vel HI æqualis.

COROLLARIUM IV.

286. Si Refractio in Lente Aquea contingit, erit $m = 3$, $n = 4$ (§. 28), adeoque $a + b : 3b = a : BG$, hoc est, summa Semidiærrorum CB & HI ad sesquidiametrum Concavitatis alterutrius 3HI, ita Semidiæmeter alterius CB ad Foci virtualis à Lente distantiam BG.

COROLLARIUM V.

287. Si $a = b$, hoc est, $HI = CB$, erit $BG = 3a^2 : 2a = \frac{3}{2}a = \frac{3}{2}CB$, hoc est, distantia Foci virtualis à Lente BG est ad Semidiæmetrum BC in ratione sesquialtera.

THEOREMA LXVII.

288. Si Radii Solares in Lentem Concavam incident, Lumen post Refractionem debilitatur.

DEMONSTRATIO.

Cum enim Radii Solares ad sensum sint paralleli (§. 94. Optic.), post refractionem in Lente Concava factam divergunt (§. 279). Lumen igitur debilitatur (§. 87. Optic.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

289. Effectus igitur Lentium Concavarum effectui Convexarum contrarius est (§. 197).

PROBLEMA XXVI.

Tab. VI. 290. Invenire Punctum dispersus F
Radii CD ex Puncto Axis C in Len-
Fig. 53. tem Plano-concavam AB incidentis, Su-
perficie Plana Puncto Cobversa.

RESOLUTIO.

1. Quia Radius CD ex Puncto C in Superficiem Planam Diaphani densioris per Medium rarius incidit; Punctum G, ex quo post primam Refractionem dispergitur, invenitur per Theor. 8. (§. 62).
2. Quare cum Radius simplicem Refractionem passus DI veluti ex Puncto Axis G in Superficiem Convexam incidat & ex Medio densiori in rarius refringatur; Punctum F, ex quo Radius IK, post alteram Refractionem, dispergitur; seu Focus virtualis invenietur per Probl. 12. (§. 133) aut per Theor. 29. (§. 136).

COROLLARIUM.

291. Quoniam per ea, quæ Cap. 2 & 3. tradita sunt, semper determinari potest Punctum dispersus vel Concursus Radii in Superficie Plana, Convexa & Concava ex Medio rario in densius & ex densiori in rarius refracti, & ante Refractionem vel ex Puncto quodam Axis divergentis, vel ad id convergentis; eodem prorsus modo Focum Lentium Concavarum in omni casu reliquo invenire licet, sive Radii ex Puncto quodam Axis ante primam Refractionem emanent, sive ad Punctum quoddam Axis tendant.

SCHOLION.

292. Ne igitur præter necessitatem prolixius, cum speciales Regulae de Refractione Radiorum divergentium & convergentium in Lentibus Concavis non tam frequenter usu sint, quam quæ de Lentibus Convexis Capitali superiori habentur; eas eruat, qui opus illud habuerit.

THEOREMA LXVIII.

293. Objectum AB per Lentem Ca-
vam videtur sin erecto, & imminutum i-

atione composita FL ad FM & GL ad GM,
i nempe F sit Punctum, ad quod Radius
BE irrefractus tendit, G vero Oculus.

DEMONSTRATIO.

Quia Radius refractus GI, per quem
Punctum B videtur, post Refractionem
in I ad Punctum G tendit, *per hypoth.*
ncidens EI ante Refractionem in I fac-
tam ad Punctum Lenti vicinus K tende-
bat (§. 161. 162). Similiter cum Ra-
dius EI post refractionem in E ad Punc-
tum K tendat, *per demonstrata* BE ante
Refractionem in E factam ad Punctum
F Axi vicinus quam K, consequenter
nullo vicinus quam G, tendebat (§. 77).
Ergo Radius BG, qui irrefractus ad G
perveniret, Lente remota, secabit Len-
tem in Puncto N ab Axe LM remotio-
ri, quam BE; consequenter Angulus
LGE, sub quo refracte videtur MB, mi-
nor est Angulo LGN, sub quo eadem
MB directe in G videtur. Nec absimi-
li modo idem in aliis casibus ostendit-
tur, si Lens utrinque Concava, vel Plano-
Concavæ Superficies Cava Objecto ob-
vertatur. Quare Objectum per Lentem
Cavam imminutum videtur (§. 209.
Optic.). *Quod erat primum.*

Et quia Punctum M videtur per Ra-
diuum GM utpote irrefractum (§. 25); B
vero per Radium dexteriorem GI: Ob-
jecti extremum superius loco superiore,
inferius inferiore videtur. Objectum
itaque situ erecto appareat. *Quod erat
secundum.*

Quoniam LE videtur sub eodem An-
gulo, quo MB refracte; & LN sub e-
odem, quo MB directe; Diameter Ob-
jecti apparet erit ad Diametrum veram

ut LE ad LN (§. 209. *Optic.*). Est ve-
ro LN perpendicularis ad MG (§. 21): Tab.
quare cum etiam MB ad MG normalis
ponatur, erit MB ipsi LN parallela (§.
256. *Geom.*), & hinc GM: GL = MB: LN
& FM: FL = MB: LE (§. 268. *Geom.*),
adeoque LN = GL. MB: GM & LE
= FL. MB: FM. Ergo

$$\text{LE : LN} = \frac{\text{FL. MB}}{\text{FM}} : \frac{\text{GL. MB}}{\text{GM}}$$

h. e. LE : LN = FL. GM : GL. FM
(§. 178. 181. *Arithm.*). *Quod erat ter-
tium.*

COROLLARIUM.

294. Quodsi Objectum MB adeo procul
distet, ut GF respectu ipsius FM fiat parvi-
tatis contempnenda; erit GM ipsi FM ad
fensem æqualis, adeoque LE: LN = FL: GL
(§. 181. *Arithm.*)

THEOREMA LXIX.

295. Si Radius EH Axi AF paralle-
lus in Menisco LM refringatur, atque
Diameter Convexitatis CB Diametro
Concavitatis OD æqualis; refractus GI
erit Axi AF itidem parallelus.

DEMONSTRATIO.

Quia Radius EH Axi parallelus inci-
dit in Superficiem Convexam Diaphani
densioris per Medium rarius, post Re-
fractionem in H factam ad aliquod Axis
Punctum veluti F tendet (§. 87). Sed
quia OD = CB *per hypoth.* & crassities
Lentis BD supponitur parvitatis contem-
pndenda; ad idem Punctum F Radius EH
tenderet, si in Puncto I ex Medio rario
in densius refringeretur (§. 90). Quare
cum Radius HF contraria ratione refrac-
tus cum incidente coincidat (§. 37); erit
GI axi AF parallelus. *Q. e. d.*

Tab.
VI.
Fig. 54.

Tab.
VI.
Fig.
55.

COROLLARIUM I.

296. Cum adeo Menisci, quarum Diameter Concavitatis Diametro Convexitatis æqualis est, Radios nec colligant, nec dispergant; earum in Dioptrica nullus est usus.

COROLLARIUM II.

297. Quoniam Radii paralleli in Vitro utrinque Plano refracti post refractionem itidem sunt paralleli (§. 49); Menisci, quarum Diameter Convexitatis æqualis est Diametro Concavitatis, Vitrīs utrinque Planis æquipollent.

PROBLEMA XXVII.

- Tab. 298. Invenire Focum Q, ubi Radius KO Axi Menisci Semidiametrum VI. dicitur
 Fig. 56. Concavitatis HE Semidiametro Convexitatis CB majorem habentis parallelus & vicinus cum Axe concurrit.

RESOLUTIO.

1. Sit Ratio Refractionis $= m : n$, HE $= b$, CB $= a$. Quoniam Radius KO post primam Refractionem in O ad Punctum I tendit, ita ut $n : m = IB : IC$ (§. 88), erit quoque $n - m : n = CB : IB$ (§. 193. Arithm.), adeoque $IB = na : (n - m)$.

2. Quodsi KO in Superficiem Convexam PE incideret, distantia Foci à Lente NE foret $nb : (n - m)$, vi demonstratorum, atque hinc Focus N longiori intervallo à Superficie PE distat, quam I, adeoque ob NI: IH $= IB: IQ$ (§. 161. Dioptr. & §. 173. Arithm.), erit (§. 190. Arithm.) neglecta Lentis crassitie NI: NH $= IB : EQ$. Habemus itaque

$$\frac{nb - na}{n - m} : \frac{nb}{n - m} - b = \frac{na}{n - m} : EQ$$

$$h. e. b - a : \frac{mb}{n - m} = a : EQ \quad (\$. 183.)$$

$$184. 235. Arithm.). Est itaque EQ = mab : (n - m) (b - a).$$

COROLLARIUM I.

299. Si Meniscus ex Vitro constet, erit $m : n = 2 : 3$ (§. 26), adeoque $EQ = 2ab : (b - a)$; consequenter $b - a : a = 2b : EQ$, hoc est, ut differentia Semidiametrorum Convexitatis CB & Concavitatis HE ac Semidiametrum Convexitatis CB, ita Diameter Convavitatis 2HE ad Foci à Menisco distantiam EQ.

COROLLARIUM II.

300. Aquea si fuerit Meniscus, erit $m : n = 3 : 4$ (§. 28), adeoque $EQ = 3ab : (b - a)$; consequenter $b - a : a = 3b : EQ$ hoc est, neglecta Lentis crassitie, HC : CI $= 3HE : EQ$, seu ut differentia semidiametrorum Convexitatis & Concavitatis ac Semidiametrum Convexitatis, ita sesquidiameter Convavitatis ad distantiam Foci à Menisco.

COROLLARIUM III.

301. Si Semidiameter Convavitatis HE tripla fuerit Semidiametri Convexitatis CB, hoc est, $b = 3a$; erit distantia Foci à Menisco Vitrea EQ $= 6aa : 2a = 3a = HE$, hoc est Semidiametro æqualis (§. 299), adeoque Meniscus æquipolleter Lenti utrinque æqualiter Convexæ (§. 193).

COROLLARIUM IV.

302. Eodem modo, si Meniscus Aquea fuerit, in eadem Hypothesi reperitur $QE = 9aa : 2a = \frac{9}{2}a = \frac{5}{2}a + \frac{3}{2}a = HE + \frac{1}{2}HE$ (§. 300), hoc est, distantia Foci à Menisco EQ est ad Semidiametrum Convavitatis HE in ratione sesquialtera, adeoque Meniscus Lenti utrinque æqualiter Convexæ æquipolleter (§. 195).

S C H O L I O N.

303. Hand obscurum est Artificium quomodo inveniatur, quando Meniscus Lenti utrinque æqualiter Convexæ æquipolleat. Tum enim in præsenti casu $QE = \frac{3}{2} HE$ (§. 195), hoc est, $3ab : (b - a) = \frac{3}{2} b$. Hæc æquatio reducta dat $b = 3a$. Eodem modo in Lente Vitrea $QE = HE$ (§. 193), hoc est, $2ab : (b - a) = b$. Unde reperitur $b = 3a$, ut int̄. Et hoc Artificio utendum quoque est, ubi reperire volueris, quando Meniscus Lenti Plano-convexæ, quando Sphæræ, quando Lenti quomodocunque Cavæ æquipolleat.

C O R O L L A R I U M V.

304. Si Semidiameter Concavitatis HE dupla fuerit Semidiametri Convexitatis CB , hoc est $b = 2a$; erit distantia Foci à Menisco Vitrea $EQ = 4aa : a = 4a = 2 HE$, hoc est Diametro æqualis (§. 299), adeoque Meniscus æquipolleat Lenti Plano-convexæ (§. 168).

C O R O L L A R I U M VI.

305. Eodem modo, si Meniscus Aquea uerit, in eadem Hypothesi $EQ = 6aa : a = 6a = 3HE$ (§. 300), adeoque Meniscus lenuo æquipolleat Lenti Plano-convexæ §. 169).

C O R O L L A R I U M VII.

306. Si Diameter Concavitatis HE quinupla fuerit Semidiametri Convexitatis CB , hoc est, si $b = 5a$; erit distantia Foci à Menisco Vitrea $= 2.5aa : 4a = \frac{5}{2}a = \frac{1}{2}HE$ (§. 298) adeoque Meniscus Sphæræ Vitrea æquipolleat (§. 182).

C O R O L L A R I U M VIII.

307. Eodem modo si Meniscus Aquea uerit & Semidiameter Concavitatis HE uadupla Semidiametri Convexitatis CB , hoc est, si $b = 4a$, erit distantia Foci $= 3.4aa : 3a = 4a = HE$, adeoque Meniscus Sphæræ Aqueæ æquipolleat (§. 183).

C O R O L L A R I U M IX.

308. Quodsi distantia Foci fuerit ad Semidiametrum Concavitatis in ratione data $m : 1$; erit in Menisco Vitrea $2ab : (b - a) = mb$ (§. 298), adeoque $b = \frac{(2+m)}{m}a$, seu $b : a = m + 2 : m$. E. gr. Si Focus distare debet à Menisco triplo Semidiametri Concavitatis intervallo; erit $m = 3$, consequenter semidiameter Concavitatis in ratione 5 ad 3 existit.

C O R O L L A R I U M X.

309. Similiter si distantia Foci à Menisco Vitrea fuerit ad semidiametrum Convexitatis in ratione data $m : 1$; erit $2ab : (b - a) = ma$ (§. 298), adeoque $b = ma : (m - 2)$, seu $b : a = m : m - 2$: E. gr. si Focus distare debet triplo Semidiametri Convexitatis intervallo, erit Semidiameter Concavitatis illius tripla.

C O R O L L A R I U M XI.

310. Data igitur Semidiametro Convexitatis inveniri potest Semidiameter Concavitatis, quæ Focum à Menisco removeat dato intervallo.

S C H O L I O N.

311. Eadem omnia inveniuntur, si ponamus Menisci Superficiem Cavam Lumini obverti.

P R O B L E M A XXVIII.

312. Invenire Punctum dispersus Radiorum Axi parallelorum in Meniscum incidentium, quæ habet Semidiametrum Concavitatis KI minorem Semidiametro Convexitatis BC .

R E S O L U T I O.

I. Quoniam Radius DE Axi AB vicinus & parallelus in Superficiem Convexam Diaphani densioris per Medium rarius incidit, posita Ratione Refractionis $= n : m$, Axi AF in F post

Tab.
VI.
Fig.
56.

Tab.
VI.
Fig.
57.

Tab.
VI.
Fig. 57.

- post Refractionem occurret, ita ut sit $n:m = FB:FC$ (§. 88), consequenter $n-m:n = BC:FB$ (§. 183. *Arithm.*). Quare si fiat $BC = a$; erit $FB = na : (n-m)$.
2. Quia Semidiameter Concavitatis IK minor Semidiametro Convexitatis CB, per hypoth. si Radius DE in Convexitatem Superficiei LIM incideret ac inde in Medium densius refrigeretur, Focus O ab ea minori intervallo distaret quam F, foretque (si $KI = b$) $OI = nb : (n-m)$ per modo demonstrata. Quare Radius EH tendens ad Punctum F ex Diaphano densiori in rarius refractus dispergetur ex A, ita ut sit $FO:FI = FK:FA$ (§. 160) seu $FO:FK = FI:FA$ (§. 173. *Arithm.*), consequenter (§. 190. *Arithm.*).

$$\frac{FO:OK = FI:BA}{\frac{na-nb}{n-m} : \frac{nb}{n-m} - b = \frac{na}{n-m} : BA}$$

$$a-b : \frac{mb}{n-m} = a : BA \quad (\S. 178.181).$$

Arithm., quia nempe neglecta Lentis crassitie $FI = FB$ & $FO = FI - OI$, atque $OK = OI = IK$.

Habemus igitur $BA = mab : (n-m)(a-b)$.

COROLLARIUM I.

313. Quodsi Meniscus fuerit Vitrea, erit $BA = 2ab : (a-b)$, hoc est, ut differentia Semidiametrorum Convexitatis & Concavitatis ad Semidiametrum Convexitatis, ita Diameter Concavitatis ad distantiam Foci virtualis (§. 26).

COROLLARIUM II.

314. Quodsi Meniscus Aquea fuerit, erit $BA = 3ab : (a-b)$ hoc est, ut diffe-

rentia Semidiametrorum Concavitatis & Convexitatis ad Semidiametrum Convexitatis, ita sesquidiameter Concavitatis ad distantiam Foci virtualis (§. 28).

COROLLARIUM III.

315. Si Meniscus fuerit Vitrea & Semidiameter Concavitatis IK Semidiametri Convexitatis BC subtripla; erit $a = 3b$, consequenter $AB = 6bb : 2b = 3b = 3IK = CB$, hoc est, distantia Foci virtualis à Menisco est Semidiametro Convexitatis æqualis (§. 313.). Äquipollet adeo Meniscus Lenti utrinque Concavæ (§. 285).

COROLLARIUM IV.

316. Si Meniscus Aquea fuerit, erit, in eadem Hypothesi, $9bb : 2b = \frac{9}{2}b = \frac{3}{2}a = \frac{3}{2}CI$ (§. 313.), adeoque Meniscus denuo æquipollet Lenti Aqueæ utrinque Concava (§. 286).

COROLLARIUM V.

317. Si Meniscus Vitrea fuerit & Semidiameter Concavitatis Semidiametro Convexitatis subdupla, hoc est, $a = 2b$, eri $AB = 4bb : b = 4b = 2a = CB$ (§. 313.), hoc est, distantia Foci virtualis à Menisco el Diametro Convexitatis æqualis. Äquipolle adeo Meniscus Lenti Vitreæ Plano-Concavæ (§. 280).

COROLLARIUM VI.

318. Si Meniscus Aquea fuerit, erit, in eadem Hypothesi, $6b : b = 6b = 3a = 3CB$ (§. 313.), adeoque Meniscus æquipollet Lenti Aqueæ Plano-concavæ (§. 281).

COROLLARIUM VII.

319. Si distantia Foci virtualis à Menisco Vitrea ad Semidiametrum Concavitatis in ratione data $m:1$; erit $2ab:(a-b) = ma$ (§. 313.). Unde elicitur $b = \frac{ma}{m+2}$. E. gr. si Focu virtualis distare debet triplo Semidiametru Convexitatis intervallo; erit $b = \frac{3}{5}a$.

COROLLARIUM VIII.

320. Data igitur Semidiametro Convexitatis inveniri potest Semidiameter Con-

cavatis, quæ Focum virtualem à Menisco removeat dato intervallo.

SCHOLION I.

321. Eadem omnia inveniuntur, si ponamus Menisci Superficiem Cavam Lumini obverti.

SCHOLION II.

322. Solent autem Menisci, quæ Diameter Convexitatis minorem habent Diametro Concavitatis, à nonnullis dici Menisci propriae: quæ vero Diameter Convexitatis majorem habent Diametro Concavitatis, Menisci impropriae appellantur.

SCHOLION III.

323. Ceterum qua Methodo Focum Radiorum parallelorum in Meniscis investigavimus; eadem quoque investigantur Foci Radiorum divergentium & convergentium; ut adeo iis expressius docendis merito supersedeamus.

SCHOLION IV.

324. Quia Menisci propriæ Lentibus Convexis equipollent (§. 301. & seqq.), in numero Vitrorum Causticorum locum habent &

in Cameris quoque obscuris adhiberi possunt.

SCHOLION V.

325. CARTESIUS Lentes Hyperbolicas Plano-convexas & Convexo-convexas, itemque Meniscos Ellipticas & Hyperbolicas commendat (a), quia Radios Axi parallelos vel ab aliquo ejus Puncto emanantes in eodem precise Puncto unirent. Enimvero cum non modo difficillimum sit Lentes istiusmodi satis exactas parare, verum etiam Radios à Puncto extra Axem Lentis sito emanantes minus accurate colligant quam Lentes Sphaericæ; Vitra Objectiva Sphaerica iis præferuntur, non refragante Viro summo NEWTONO (b) & Experientia id comprobante MILLIETO DECHALES (c). Supervacaneum igitur ducimus de hoc Lentium genere in his Elementis agere. Alias enim haud difficile foret Theoriam Refractionis in Superficiebus Sphaericis ope Algebrae extendere ad quamlibet Curvam & inde Lentiumistarum proprietates demonstrare. Dedit jam istiusmodi Theoriam generalem GUISENE'E (d) & aliam ab ea diversam JOHANNES CRAIGE (e).

C A P U T VI.

De Tubis seu Telescopiis.

DEFINITIO XXIV.

326. *T*elescopium seu *Tubus* est Instrumentum Dioptricum ex Lentibus compositum, per quod remota tanquam vicina spectantur.

SCHOLION.

327. Telescopiorum inventum longe utilissimum portenta Universi nobis revelavit & eam Astronomie perfectionem conciliavit, quam antea sperare nefat erat. Casui autem

debetur, non meditationi, ut adeo in inventore felicitatem magis praedicent, quam ingenium admirentur, qui ultra vulgi captum sapiunt. Hinc parum interest nosse, cuinam primum contigerit esse tam felici, ut in inventum nunquam pro dignitate depraedicandum primus

Gg inci-

(a) In Dioptr. Cap. 8. p. m. 111.

(b) In Princip. Phil. Nat. Mathem. Lib. I. Prop. 98. Schol. p. 229. Edit. tert. Londin.

(c) Dioptr. Lib. II. Prop. 69. fol. 686. Tom. III. Mund. Math.

(d) In Comment. Acad. Reg. Scient. Paris. Ann. 1704. p. 31. Edit. Amstelod.

(e) In Optica Analytica. Lib. II.

inciderit. Primus dubio procul Tubum Opticum construxit JOANNES BAPTISTA PORTA Neapolitanus, ita enim (a): Si utrumque, inquit, (Vitrum nempe Concavum & Convexum) recte conjugere noveris, & longinqua, & proxima majora & clara videbis: Non parum multis amicis auxiliis præstimus, qui & longinqua obsoleta, proxima turbida conspiciebant, ut omnia perfectissime contuerentur. *Enimvero PORTA inventum suum, quod casui acceptum ferebat, non satis intellexit, adeoque nec magis id industria perfecit, nec ad Observationes Cœlestes transtulit.* Quindecim ad hinc annis, postquam liber PORTÆ prodierat, in quo illa scriperat, HUGENIO Autore (b) circa annum 1609. Artifex quidam Medioburgensis apud Selanos Tubum construxit & MAURITIO Principi Nassoviæ obtulit quem JOANNEM LIPPERSEIN fuisse, SIRTURUS (c) contendit, PETRO BORELLO (d) hanc gloriam vindicante ZACHARIAE HANSEN Artifici itidem Middelburgensi. Post eos quoque Telescopia confecit JACOBUS METIUS Alcmariensis, cui ADRIANUS METIUS Matheos Professor Franekeranus frater JACOBI laudem inventio- nis tribuit. Sed cum Tubos sesquipedalibus non majores conficerent Artifices isti, mox in Germania SIMON MARIUS, in Italia GALILÆUS majores paravere ac meliores & ad contemplanda Phænomena Cœlestia iisdem usi sunt: quorum Observationes inexpectatae in- vento tam egregio magis perficiendo ansam dedere.

DEFINITIO XXV.

328. *Vitrum Objectivum est Lens, quæ Objecto obvertitur.*

DEFINITIO XXVI.

329. *Vitrum Oculare est Lens, quæ Oculo vicinior.*

(a) Magia Natur. Lib. XVII. Cap. 10.

(b) In Dioptrica, p. 163. 164.

(c) In Telescopio An. 16 8. edito Part. II. C. I.

(d) In Tractatu de vero Telescopiorum inven- torie An. 1655. Editio C. 12.

SCHOLION.

330. *Quod si Telescopium ex pluribus quam duabus Lentibus componatur, nonnisi una dicatur Objectiva, reliquæ omnes dicuntur Ocu- lares.*

DEFINITIO XXVII.

331. *Tubus Hollandicus seu Galila- annus est Telescopium ex Lente Objec- tiva Convexa & Oculari Concava com- positum.*

SCHOLION.

332. *Nomen inde est, quod in Batavia primum constructus (§. 327); GALILÆUS autem primus fuit, qui Observationes Telescopicas publici juris fecit ac plurima in Cœlo antea nobis ignota revelavit (e).*

DEFINITIO XXVIII.

333. *Tubus Astronomicus est Teles- copium ex Lente Objectiva Convexa & Oculati itidem Convexa composi- tum.*

SCHOLION.

334. *Nomen Astronomici inde est, quia hoc Tuborum genus ad contemplationem rerum Cœlestium seu Observationes Astronomicas adhibetur, propterea quod majorem Visionis campum admittat, quam Telescopium Galilæanum, et si Objecta inverse repræsentet.*

DEFINITIO XXIX.

335. *Tubus Terrestris est Telesco- piump ex pluribus, quam duabus Len- tibus, communiter ex Objectiva Con- vexa & tribus Ocularibus itidem Con- vexis, compositum, seu Telescopium Objecta situ erecto spectanda exhibens ab Hollandico tamen diversum.*

SCHO-

(e) In Nuncio Sidereo.

SCHOLION.

336. Nomen inde est, quod ad spectanda Corpora Terrestria remota adhibetur, quia Objecta situ erecto repræsentat.

PROBLEMA XXIX.

237. Tubum ductitium in usum Telescopii construere.

RESOLUTIO.

In constructione horum Tuborum sollicite cavendum est, ne pondere fiant molesti & ne facile distorqueantur fistum Lentium eversuri. Unde non quilibet Tubi in quolibet casu commendantur.

I. Si Tubi fuerint minores, ex Laminis Ferreis Stanno obductis parantur, fistulis pluribus pro longitudine Telescopii sibi invicem immisis, ita ut, nec nimis facile, nec difficulter nimis diduci possint.

II. Quodsi Tubi fuerint longiores, minime consultum est, ut ex Laminis Ferreis parentur: ponderosiores evadunt, nec commode de loco in locum transportari, nec ad Visibile diriguntur. Unde aliqui eos ex Charta confidere solent hunc in modum.

1. Ex ligno tornetur Cylindrus Ligneus ejus longitudinis, quanta est Charta, ex qua Tubus fieri debet. Diameter vero tanta sit, quanta esse debet Cavitatis Fistulæ minimæ.

2. Cylindro circumducatur Charta nigra & huic agglutinetur alia, donec Fistula censeatur satis firma: quæ tandem Charta Turcico more colorata obducatur. Ut citius at-

que commodius istiusmodi Fistulas parare possis; duo aut tria folia in usum futurum super Tabula conglomerantur & sub prelo compressa siccentur.

3. Fistula una exsiccata, eodem artificio parentur aliæ, & una super aliam compingatur, donec diductæ exhibeant Tubum longitudinis desideratæ.
4. Denique Annuli Lignei Tornatoris arte parati Fistularum extremis exterioribus agglutinentur, ut Tubus extrahi possit.

III. Cum Tubi Chartacei id incommodi habeant, ut, si ductus fuerint angusti, tempestate humida adeo coarctentur, ut vix ac ne vix quidem extrahi possint; si vero ductus fiant satis laxi, tempestate sicca nimis amplientur, consequenter in utroque casu situs Lentium facile depravetur; præterea iidem facile distorqueantur damnumque patiantur; optimam Tuborum constructuorum rationem hanc ego judico.

1. Cylindro Ligno Membrana tenuis (Pergamenam vulgo vocant), circumducatur & conglomeretur, ne pulvisculis detritis Lentes maculentur. Sitque Membrana ista nigredine infecta, ne Radii reflexi confusionem aliquam pariant.
2. Ex Ligno Fagino parentur asserculi admodum tenues & in Cylindrum curvati Membranæ cum cura agglutinentur.

Tab.
VI.
Fig. 58.

3. Fistula hæc Lignea vestiatur Membrana Pergamena alba & circa extreum exterius fiat Annulus exiguum AB ex duplice Membrana Pergamena conglutinatus, ut Tubus commode diduci possit.
 4. Eodem artificio fiat Fistula alia super priore & ita porro, donec ductæ exhibeant Tubum longitinis desideratæ.
 5. Singularum Fistularum extremis interioribus aptetur Annulus ligneus, ut Radii spurii ad latera Tubi allisi arceantur: id quod majoris momenti deprehenditur in Telescopiorum usu, quam Experientia nondum convictis videri poterat. Jurat autem Annulos istos Cochleis foeminis instrui iis in locis, ubi Lentes aptandæ.
 6. Denique ex Ligno rariori Tornatoris manu paretur Operculum CD, quo Vitrum Objectivum contra pulverem tegi possit, ipsumque Vitrum Annulo ligneo inclusum mediante Cochlea ad Tubum firmiter.
 7. Ejusdem Tornatoris industria ex eodem Ligno fiat Tubulus EFG tantæ longitudinis, quanta esse debet Oculi à Lente Oculari distantia, & alteri Tubi extremo decenter appetetur.
- IV. HEVELIUS** (a) commendat Tubos ex Ligno sicco tornatos, nec è multis partibus ductibusque compactos, ut parallela Lentium Linea non turbetur.

(a) Selenogr. Proleg. f. 16.

SCHOLION I.

338. Si ductus Tubi juxta tertium Artificium parati commode extrahi nequeant, Sapone Veneto africari debent.

SCHOLION II.

* 339. Gluten, quo ad Tubos ex Charta conficiendos opus est, ita preparatur. Aquæ calidæ, sed nondum ferventi, immittatur farina triticea & Cochleari agitetur, donec ab eodem extracta instar fili defluat. Hinc igni admotum coquatur & continuo Cochleari agitetur, donec satis spissum evaserit.

PROBLEMA XXX.

340. Telescopium Batavum construere.

RESOLUTIO.

1. Tubo constructo (§. 337) inseratur Lens Objectiva Convexa, sive Plano-Convexa, sive utrinque Convexa, modo sit majoris Sphæræ segmentum.
2. Eidem inseratur Lens Ocularis utrinque Concava quæ sit minoris Sphæræ segmentum, ita ut ante Imaginem Lentis Objectivæ in distantia Foci virtualis collocetur.

Dico, Oculo valentes & Presbytas per Telescopium visuros Objectum distincte, situ erecto & auctum in ratione distantiae Foci virtualis Lentis Ocularis ad distantiam Foci Lentis Objectivæ: ut vero Myopes videant Objectum distincte, Lentem Ocularem Objectivæ proprius admovendam esse.

DEMONSTRATIO.

Quoniam per Telescopium Objecta valde remota spectantur (§. 327), Radii ab eodem Puncto in Lentem Objectivam

tivam incidentes sunt paralleli (§. 94. *Optic.*), consequenter cum Lens Objectiva sit vel Plano Convexa, vel utrinque Convexa, per *construc.* post Lentem concurrunt (§. 166. 172. 184). Jam cum Focus virtualis Radiorum parallelorum in Lente Oculari utrinque Concava, per *construc.* Semidiametri intervallo distet (§. 285), Radii in eam incidentes, vi *construc.* ad Centrum Concavatis inferioris A tendunt. Quodsi ergo fiat $AN = AB = BC$; habebit NC ad NB rationem Refractionis 3 : 2 (§. 26), consequenter Radius G D ad Punctum A tendens post refractionem Axi occurrit in F, ita ut $NA : AB = CA : AF$ (§. 164), hoc est, ob $NA = AB$, per demonstrata, adeoque $CA = AF = 2BA$. In Foco virtuali Radiorum parallelorum in Cavitatem inferiorem incidentium (§. 280). Refractus ergo in egressu ML erit Axi CF parallelus (§. 37). Quamobrem cum Oculi valentes atque Presbytae distincte videant Objecta per Radios parallelos (§. 94. 379. 380. *Optic.*); per Telescopium ita dispositum distincte vident Objecta valde remota. *Quod erat unum.*

Ponamus in A esse Focum Lentis Objectivae BC. Quoniam illorum Radiorum, qui ab extreto dextro Objecti per Tubum visi ad Lentem pertingunt, unus per A transire debet; sit Radius iste AC. Erit ergo refractus CE Axi BI parallelus (§. 203), consequenter post Refractionem in Cava factam, ex Foco virtuali F, hoc est, Centro Concauitatis superioris dispergetur (§. 285). Quare cum omnes Radii ab eodem ex-

tremo ad Oculum post Lentem Cavam constitutum pertingentes sint ipsi EL, qui vero à Puncto medio adveniunt, Axi FG paralleli, per ea, quæ primo loco demonstrata sunt, Punctum medium videbitur in directum Axi GA, dextrum vero extreum versus dextram, in directum Lineæ LN vel ipsi parallelæ, hoc est, situ erecto. *Quod erat secundum.*

Quoniam vero rectæ ipsi LN parallelæ Axem sub eodem Angulo secant (§ 233. *Geom.*), Semidiameter Objecti per Telescopium sub Angulo AFN, seu EFI (§. 156. *Geom.*), videtur: Radii nimurum LE & GI Oculum perinde ingrediuntur, ac si Pupilla in F constituereatur. Quodsi Oculus nudus esset in A, Semidiametrum Objecti videret sub Angulo CAB, seu CAB (§. 156. *Geom.*). Quoniam vero Objectum valde remotum supponitur, distantia AF ejus respectu evanescit, adeoque Oculus nudus etiam in F sub Angulo ipsi A æquali, hoc est, ducta FM ipsi AC parallela, sub Angulo IFM (§. 233. *Geom.*), Objecti Semidiametrum videt. Est itaque Semidiameter Objecti nudo Oculo visa ad eam, quæ armato videtur, ut IM ad IE. Ducatur KE ipsi FM parallela: erit IM : IE = IF : IK (§. 268. *Geom.*). Quare cum EK etiam ipsi AC parallela existat (§. 232. *Geom.*); & CE sit ipsi AK parallela per demonstr. n. I. erit AK = CE (§. 257. *Geom.*). Sed quia situs Lentium supponitur parallelus, EC = BI (§. cit.). Ergo IB = AK (§. 87. *Arithm.*), consequenter IK = AB (§. 88. *Arithm.*). Quamobrem IM : IE = IF : AB, per

Tab. VII.
Fig. 60.
demonstr. hoc est, Semidiameter nudo Oculo visa est ad Semidiametrum per Telescopium visam, in ratione distantiae Foci virtualis Lentis Ocularis FI ad distantiam Foci Lentis Objectivæ AB.
Quod erat tertium.

Quoniam Myopes habent Retinam ab humore Chrystallino nimis remotam (§. 401. *Optic.*), Radii vero divergentes ad majorem distantiam colliguntur, quam paralleli (§. 223), qui denique paralleli erant, divergentes evadunt, si Lens Ocularis Objectivæ propius admovereatur (§. 164): ut Myopes per Telescopium Objecta distinete videant, Lens Ocularis Objectivæ propius admoveri debet. *Quod erat quartum.*

COROLLARIUM I.

341. Ut Objectum integrum videatur, Semidiameter Pupillæ non minor esse debet distantia Radiorum LE & GI, alias enim ab extremo dextro Objecti Radios non excipiet, adeoque nec illud videbit (§. 42. *Optic.*).

COROLLARIUM II.

342. Quo magis itaque Pupilla fuerit ampliata, eo major Area per Telescopium uno obtutu comprehenditur & contra.

SCHOLION I.

343. *Hinc si Oculum claudas, antequam eundem Telescopio admoveas, ut Pupilla in tenebris multum dilatetur, intuitu primo latiorem Campum comprehendes, quam ubi ob Lucis fulgorem rursus coarctatur.*

COROLLARIUM III.

344. Quia Radiorum EL & IG major distantia in loco à Lente remoto; major quoque erit Area uno obtutu comprehensa, si Oculus fuerit propior Lentis Concavæ.

COROLLARIUM IV.

345. Quia Focus Lentis Objectivæ Pla-

no-convexæ & Focus virtualis Lentis Ocularis Plano-concavæ est in distantia Diametri (§. 168. 280), Focus vero Lentis Objectivæ utrinque Convexæ & Focus virtualis Lentis Ocularis utrinque Concavæ in distantia semidiametri (§. 193. 285); si Lens Objectiva fuerit Plano-convexa & Ocularis Plano-concava, Telescopium augeri Diametrum Objecti in ratione Diametri Concavitatis ad Diametrum Convexitatis: si Lens Objectiva utrinque Convexa & Ocularis utrinque Concava, amplificatio contingit in ratione Semidiametri Concavitatis ad Semidiametrum Convexitatis: si Lens Objectiva Plano-convexa & Ocularis utrinque Concava, Semidiameter Objecti crescit in ratione Diametri Convexitatis ad Semidiametrum Concavitatis: si denique Lens Objectiva utrinque Convexa, Ocularis Plano-concava, augmentum fit in ratione Diametri Concavitatis ad Semidiametrum Convexitatis (§. 340).

COROLLARIUM V.

346. Quoniam Semidiametrorum eadem est ratio, quæ Diametrorum (§. 181 *Arithm.*), Telescopia eodem modo Diametrum Objecti amplificant, sive fueri Lens Objectiva Plano-convexa & Ocularis Plano-concava; sive illa utrinque Convexa, hæc utrinque Concava (§. 345).

COROLLARIUM VI.

347. Quia Semidiameter Concavitatis ad Diametrum Convexitatis minorem rationem habet, quam ejus Diameter (§. 203 *Arithm.*), Telescopium magis amplificat si Lens Ocularis utrinque Concava quam si Plano-concava (§. 345. *Dioptr.* & §. 205 *Arithm.*).

COROLLARIUM VII.

348. Quia Semidiameter pariter atque Diameter Concavitatis ad Diametrum Convexitatis minorem rationem habet, quam ad ejus Semidiametrum (§. 203. *Arithm.*) Telescopium magis amplificat, si Lens Objectiva Plano-convexa, quam si utrinque Con-

Convexa (§. 345. Dioptr. & §. 205. Arithm.).

COROLLARIUM VIII.

349. Quo major fuerit Diameter Lenti Objectivæ & quo minor Semidiameter Lentis Ocularis; eo minorem rationem habet Diameter Objecti nudo Oculo visa id Semidiametrum armato visam (§. 345), consequenter eo major videtur Diameter Objecti per Telescopium (§. 205. Arithm.).

COROLLARIUM IX.

350. Quia Objecti Semidiameter amplificatur pro ratione Anguli EFI (§. 340.), quo major vero Angulus EFI, eo minorem Objecti partem Oculus uno obtutu comprehendit (§. 341); Telescopium eo minorem Objecti partem Oculo spectandam exhibet, quo magis ejus Diametrum ampliatur.

SCHOLION II.

351. Atque hæc est ratio, cur de alio Telescopio inveniendo cogitaverint Mathematici, oſquam imperfectionem ejus, quod casu intentum fuerat, distinſte cognoverunt: nec accessu caruit eventus, quemadmodum ex subsequentibus plenius conſtabit.

SCHOLION III.

352. Quodsi rationem nimis parvam haberit Semidiameter Vitri Ocularis ad Semidiametrum Objectivi; Objectum per Telescopium non satis clarum appetet, quia nimia fit ladiorum distractio, ut Penicilli quotlibet Objecti Puncta in Retina depingentes ex nimis auncis Radiis conſtent. Defectu vero claritatis infunditur Visio. Illud quoque compertum est, Lentes Objectivas aequales non eadem ferent Lentem Ocularem, si vel Diaphaneitatis fuerint diversæ, vel non eadem industria elaborata. Certe Lens Objectiva minus Diaphana, et etiam minus accurate elaborata, Lentem Ocularem requirit Sphæricitatis majoris quam magis Diaphana, vel etiam accuratius elaborata. Neque difficulter Ratio reddi potest. Itenim si Lens Objectiva fuerit minus Diaphana, pauciores Radii transmittuntur. Quam-

obrem cum conſtet, Lentes Oculares acutiores obscurius exhibere Objectum, quia pauciores Radios ab eodem Objecti Puncto ad Oculum refringunt, & easdem magis dispergere Radios, quam minus acutas, consequenter Radios à diversis Objecti Punctis venientes & per Lentem Objectivam non satis à ſe invicem separatos facile confundere; Lentes Oculares nimis acutæ nocent Visioni distinctæ. Et quoniam ſi Lens Ocularis fuerit acutior, manente eadem Objectiva, Objectum magis amplificatur, quam ubi minus acuta fuerit (§. 349), ſi vero magis amplificatur, navi ex irregulari Refractione orti magis fiunt conspicui; patet Lentem Ocularem minus acutam esse debere, ſi Lens Objectiva non fuerit adeo perfecte elaborata.

SCHOLION IV.

353. Quamvis adeo per Experientiam conſtet [quemodmodum obſervat DECHALES] (a), Telescopium bonum haberri, ſi diſtantia Foci Lentis Objectivæ fuerit ſex digitorum, Diameter Lentis Ocularis Plano Concavæ diti unius & linea unius, vel utrinque aequaliter Concavæ diti unius cum dimidio; non tamen ſuadendum eſt Artifici, ut huic vel alteri cuiunque combinationi, quæ Experientiæ fide laudatur, nimis fidat. Praefat igitur cum eadem Lente Objectiva conjungere Oculares & maiores, & minores data, & ex iis eam eligere, per quam Objectum maxime clarum atque diſtinctum videtur. Ita demum obtinentur Tubi praefantes, ut adeo errent praefantiam ex ſola longitudine aſtimantes.

SCHOLION V.

354. HEVELIUS (b) commendat Lentem Objectivam utrinque Convexam, cuius Diameter 4 pedum Gedanensium, Lentem Ocularem utrinque Concavam, cuius Diameter $4\frac{1}{2}$ digitorum. Ait autem pedem Gedanensem eſſe ad Parisiensem Regium ut 914 ad 1055, ad Rhenanum ut 914 ad 1000. Juxta eundem Vitro Objectivo utrinque aequaliter Convexo, cuius Diameter 5 circiter pedum, conuenit Oculare, cuius Diameter $5\frac{1}{2}$ digi-

(a) Dioptr. Lib. II. Prop. 54. fol. 711. Tom. III. Mund. Math.

(b) In Proleg. Selenograph. f. 12 & 13.

digitorum. Idem Oculare satisfacere obseruat Objectivo utrinque convexo, cuius Diameter 8 pedum, immo majori, cuius nempe Diameter 10 pedum. Egregium prorsus Telescopium haberi & quod Siderum Observatio-nibus perquam idoneum sit, monet, si eidem Oculari jungatur Vitrum Objectivum 12 pe-dum vel utrinque Convexum, vel Plano-Convexum. Enimvero cum nimis angusta sit Area, quam istiusmodi Telescopia uno obtutu spectandam exhibent, si ultra tres aut qua-tuor pedes extendantur; nunc quidem nullus eorum amplius est in Observationibus Astro-nomicis usus: nec ad Objecta Terrestria spec-tanda adhibentur, nisi quæ 4 aut 5 digitorum longitudinem non excedunt. Et ad tam exi-gua Telescopia HUGENIUS (a) commendat Rationem Semidiametri Lentis Objectivæ ad Semidiametrum Ocularis quadruplam, immo dupla non majorem.

COROLLARIUM X.

355. Quoniam distantia Lentis Objectivæ & Ocularis est differentia inter distan-tiam Foci virtualis Ocularis & distanciam Foci Objectivæ (§. 340); longitudo Telesco-pii habetur, si illam ab hac subtrahas: nem-pe longitudo Telescopii est differentia in-ter Diametros Lentium Objectivæ & Ocu-laris, si illa Plano-convexa, hæc Plano-concava (§. 168. 280); differentia inter Se-midiametros Lentis Objectivæ & Oculari-s, si illa utrinque Convexa, hæc utrinque Concava, (§. 193. 285); dif-ferentia inter Semidiametrum Objectivæ & Diametrum Ocularis, si illa utrinque Convexa, hæc Plano-concava (§. 193. 280); differentia denique inter Dia-meterum Objectivæ & Semidiametrum Oculari-s, si illa Plano-convexa, hæc utrinque Concava (§. 168. 285).

SCHOLION. VI.

356. E. gr. Si Lentis Objectivæ utrinque Convexæ Diameter 4 pedum, Ocularis utrinque Concavæ Diameter $4\frac{1}{2}$ digitorum; longi-tudo Telescopii erit 1 pedis & $7\frac{1}{2}$ digitorum seu 1'. 7". 6¹¹⁴.

(a) Dioptr. Prop. 49. p. 178.

COROLLARIUM XI.

357. Quoniam denique per hoc Tele-copium Objectum videtur magnum, clau-ri atque distinctum (§. 340); vicinum quoque apparere debet (§. 21. 314 Optic.)

PROBLEMA XXXI.

258. *Telescopium Astronomicum con-ju-trere.*

RESOLUTIO.

I Tubo constructo (§. 337) inseratu Lens Objectiva Convexa, sive Pla-no-convexa, sive utrinque Conve-xa, modo sit majoris Sphæræ seg-mentum.

2. Eidem inseratur Lens Ocularis utri-que Convexa, quæ sit minori Sphæræ segmentum, in distanti communi Focorum.

Dico Oculum prope Focum Lentis Ocularis constitutum visurum Objectum distincte, situ everso & auctum in ra-tione distantiae Foci Lentis Ocularis a distantiam Foci Lentis Objectivæ.

DEMONSTRATIO.

Quoniam per Telescopium Objectum valde remota spectantur (§. 326), Ra-dii ab eodem Puncto in Lentem Ob-jectivam incidentes sunt paralleli (§. 94 Optic.); consequenter post Lentem cor-currunt (§. 166. 172. 184). Jam cui concutus fiat in Foco Lentis Ocularis per construct. iudicem Radii Refractione hac facta evident paralleli (§. 203). Quamobrem tum Oculi valentes atq[ue] Presbytæ distincte videant Objecta ri-mota (§. 379. 381. Optic.), adeoque per Radios parallelos (§. 94. Optic.) per Telescopium ita dispositum distinc-tident Objecta valde remota. Qu-erat unum.

Sit jam Focus communis Lentium in F, fiatque AB=BF. Quia Radiorum minus AC, qui à dextro Objecti latere emanant, per A transire debet; erit Radius CE Axi AI parallelus (§. 203), ideoque à Lente Oculari refractus concurret in ejus Foco G. Quare cum Oculus prope eum constituatur per hypoth. & omnes Radii reliqui ab eodem Puncto Objecti egressi, ad quod pertinet Radius EG, huic paralleli restringantur, per modo demonstrata; Punctum in latere dextro Objecti videbitur in recta EG. Et eodem modo patet, unctum medium videri in Axe GB. Objectum ergo situ everso appetat. *Quod erat secundum.*

Constat vero ex hactenus demonstratis, Semidiametrum Objecti per Telescopium videri sub Angulo EGI, quæmodo Oculo in A, hoc est, quia Objectum valde remotum supponitur, etiam in G sub Angulo bAc, seu BAC (§. 156. Geom.), spectatur. Fiat jam IF distancæ Foci IG æqualis. Quoniam Anguli recti ad I æquales (§. 145. Geom.); erit GF=EFI (§. 179. Geom.). Ducatur M ipsi AC parallela: erit IFM=BAC (§. 233. Geom.). Est igitur Semidiameter nudo Oculo visa ad Semidiametrum armato visam, ut IM ad IE. Ducatur E ipsi FM parallela: erit IM: IE=IF: IK (§. 264. Geom.). Sed ob Lentium parallelismum CE=BI (§. 230. 226. Geom.)=BF+FI=AB+FI (§. 91. Arithm.) ob AB=BF per construct. et ob parallelismum rectarum CA & IK per construct. CE=AK (§. 257. Geom.). Ergo BI=AK (§. 87. Arithm.).

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

consequenter ob AK+KI=AB+BI Tab. (§. 87. Arithm.) AB=KI (§. 91. Arithm.). VII. Quare IM: IE=IF: AB, hoc est, Semidiameter nudo Oculo visa est ad Semidiametrum armato visam, in ratione distantiae Foci Lentis Ocularis IF ad distantiam Foci Lentis Objectivæ AB. *Quod erat tertium.* Fig. 61.

COROLLARIUM I.

359. Quia Telescopium Astronomicum situ everso Objecta exhibet (§. 358); ad contemplanda Sidera commode quidem eodem utimur (quæ an situ erecto contemplamur, an inverso parum interest), sed non æque ad spectanda Objecta Terrestria, quia situs eversus sæpe non permittit, ut Objectum agnoscat.

COROLLARIUM II.

360. Quodsi inter Lentem Ocularem & ejus Focum G Speculum Planum LN, ex Metallo paratum probeque politum (§. 201. Catoptr.), longitudinis pollicaris, Figuræ Ovalis, sub Angulo semirecto ad Axem inclinetur; Radii EP & MQ ita reflectentur, ut in g concurrentes efficiant Angulum ipsi PGQ æqualem. Est enim LPE=gPQ (§. 24. Catoptr.)=GPQ (§. 156. Geom.) & IQP=GQN (§. 156. Geom.)=gQN (§. 24. Catoptr.), adeoque PQG=PQg (§. 147. Geom.) consequenter PGQ=PQg (§. 246. Geom.). Oculus itaque in g ejusdem magnitudinis Objectum videt, quantæ ipsi appetat in G (§. 209. Optic.), situ tamen erecto (§. 71. Catoptr.). Addito igitur Speculo, Telescopium ad spectanda Objecta Terrestria commode adhibetur.

SCHOLION I.

361. *Speculum Metallicum esse debet, non Vitreum, quia multiplex refractio in Speculis Vitreis confusionem parit* (§. 89. Catoptr.).

COROLLARIUM III.

362. Quia Focus Vitri utrinque Convexi Semidiametri (§. 193), Plano-Convexi Hh Dia-

Diametri intervallo à Lente distat (§. 168. 174); si Lens Objectiva utrinque Convexa, Telescopium Semidiametrum Objecti amplificat in ratione Semidiametri Lentis Ocularis ad Semidiametrum Lentis Objectivæ; si vero Lens Objectiva Plano-convexa, in ratione Semidiametri Lentis Ocularis ad Diametrum Lentis Objectivæ (§. 358).

COROLLARIUM IV.

363. Quare cum Semidiameter Lentis Ocularis ad Semidiametrum Objectivæ maiorem rationem habeat, quam ad ejus Diametrum (§. 205. Arithm.); Telescopium Semidiametrum Objecti magis amplificat, si Lens Objectiva fuerit Plano-convexa, quam si utrinque Convexa existat (§. 206. Arith.).

COROLLARIUM V.

364. Ratio Semidiametri Lentis Ocularis ad Diametrum vel Semidiametrum Objectivæ eo minor, quo minoris Sphæræ segmentum fuerit Vitrum Oculare & quo majoris Objectivum: Telescopium itaque eo magis amplificat Diametrum Objecti, quo Lens Objectiva majoris, Ocularis vero minoris Sphæræ segmentum fuerit.

SCHOLION II.

365. Necesse tamen est, ne ratio Semidiametri Lentis Ocularis ad Semidiametrum Objectivæ sit justa minor; alias enim pauciores Radios ab eodem Objecti Puncto ad Oculum refringet, nec à diversis Punctis emanantes probe separabit, sicque Visio evadet obscura & confusa. Præterea hic quoque valent, quæ de Telescopio Batavo Schol. 3 & 4. Probl. 30 (§. 352. 353) monuimus. DECHALES (a) observavit, Lenti Objectivæ $2\frac{1}{4}$ pedum convenire Ocularem $1\frac{1}{2}$ digitū; Lenti Objectivæ 8, imo 10 pedum, Ocularem 4 digitorum. Lenti Objectivæ 8 pedum Ocularem 4 digitorum junxit EUSTACHIUS DE DIVINIS, qui in elaborandis propria manu Perspicillis excelluit. HUGENII Telescopium, quo veram Saturni faciem & unum e Comitibus ipsius primus detexit,

(a) Dioptr. Lib. II. Prop. 21. Cor. 1. f. 699. Togm. III. Mund. Mathem.

constat ex Vitro Objectivo 12 pedum & Oculari paulo minori, quam 3 digitorum: mox tamen ad eadem Phænomena observanda usus est Telescopio 23 pedum, quod duo habebat Vitra Ocularia $1\frac{1}{2}$ digitum Diametro æquanta juncta invicem, ut equipollerent uni Radios parallelos ad intervallum 3 circiter digitorum cogenti (b). Idem observavit (c) Lenti Objectivæ 30 pedum convenire Ocularem $3\frac{3}{5}$ digitorum & Tabulam sequentem à nobis contractam pro Telescopiis Astronomicis construendis exhibet:

Foci distantia Vitri Objectivi.	Diameter aperturæ.	Foci distantia Vitri Ocularis.	Amplific. sec. Diam.
Pedes Rhenani.	Decim. & cent. dig.	Dec. & centef. digit.	
1	0. 55	0. 61	20
2	0. 77	0. 85	28
3	0. 95	1. 05	34
4	1. 09	1. 20	40
5	1. 23	1. 35	44
6	1. 34	1. 47	49
7	1. 45	1. 60	53
8	1. 55	1. 71	56
9	1. 64	1. 80	60
10	1. 73	1. 90	63
15	2. 12	2. 33	72
20	2. 45	2. 70	89
25	2. 74	3. 01	100
30	3. 00	3. 30	109
40	3. 46	3. 56	126
50	3. 87	4. 26	141
60	4. 24	4. 66	154
70	4. 58	5. 04	166
80	4. 90	5. 39	178
90	5. 05	5. 56	183
100	5. 48	6. 03	199

Construxit autem hanc Tabulam per Regulam sequentem: Foci distantia Lentis exterioris, quem numerum pedum habebit, is numerus ducatur in 3000; facti Radix erit

(b) System. Saturnin. p. 3. & 4.

(c) Dioptr. Prop. 56. p. 212.

erit Diameter aperturæ quæsitæ in centesimis pollicum (seu digitorum). Eadem si augeatur decima sui parte, dabit Foci distantiam Lentis Ocularis iisdem centesimis expressam. Apparentes vero rei visæ latitudines sunt sicut Diametri apertura rum. Demonstrationem vide apud Inventorem HUGENIUM.

COROLLARIUM VI.

366. Si in duobus vel pluribus Telescopiis eadem fuerit ratio Lentis Ocularis ad Objectivam; Objectum eodem modo amplificatur (§. 358).

SCHOLION III.

367. Forte hinc concludent nonnulli, in elaborandis Perspicillis majoribus inanem operam sumi. Enimvero probe tenendum ex Scholis superioribus, quod Lens Ocularis ad Objectivam majorem in ratione minore esse possit quam ad Objectivam minorem. E. gr. In Telescopio HUGENIANO 25 pedum Vitrum Oculare est trium digitorum. Servata hac proportione, in Telescopio 50 pedum idem foret 6 digitorum: sed Tabula inspectio docet, sufficere Vitrum Oculare $4\frac{1}{2}$ digitorum: Hinc vi ejusdem Tabula Telescopium pedum 50 amplificat in ratione 1:141; Telescopium pedum 25 non nisi in ratione 1:100. Negandum tamen non est, Lentem Objectivam minorem exacte elaboratam preferendam esse majori minus exacte elaborata. Cum enim illa non modo rectiorem Lentem Ocularem ferat, verum etiam aperturam majorem, Radiosque satis accurate colligat; fieri sane potest, ut Telescopium minus, si non magis amplificet Objectum, quam majus, idem tamen & clarissimum, & magis distinctum exhibeat: quod utrumque facit, ut rectius agnoscatur. Sane non apparet, quid tandem HEVELIUS (a) pregrandi suo 140 pedum Telescopio Lente, ut appareret, non satis exacte elaborata instructo, fuerit asscutus, cum non modo HUGENIUS Telescopio 23 pedum veram Saturni figuram & ejus Satellitum quartum; verum etiam

(a) Vid. Machin. Cœlest. Tom. I. C. 21. f. 403. & seqq.

CASSINUS Telescopiis 35, 40 & 70 pedum reliquas Saturni Lunas aliaque Phænomena detexerit (b). Enimvero si Lentes prægrandes accurate fuerint elaboratae, qualis est illa 123 pedum, quam HUGENIUS Societati Regiæ Anglicanæ donavit, & illa CAMPANI centum palmorum, qua maculas Veneris contemplatus FRANCISCUS BLANCHINUS (c), ipsa Experientia loquitur, iisdem patere, quæ aliis minoribus latent.

COROLLARIUM VII.

368. Quia Lentium distantia aggregato ex distantiis Focorum Lentis Objectivæ & Ocularis æqualis (§. 358), Focus vero Vi tri utrinque convexi Semidiametri (§. 193), Plano-convexi Diametri intervallo à Lente distat (§. 168. 174); Longitudo Telescopii æquatur aggregato Semidiametrorum Lentium, si Objectiva utrinque Convexa; summa Semidiametri Lentis Ocularis & Diametri Objectivæ, si Objectiva Plano-convexa.

SCHOLION IV.

369. Quoniam Semidiameter Lentis Ocularis respectu Diametri vel Semidiametri Objectivæ admodum exigua (§. 365); longitudo Telescopii ex distantia Lentis Objectivæ ordinarie censetur, hoc est, ex ejus Diametro, si fuerit Plano-convexa, ex ejus Semidiametro si utrinque Convexa. Ita dicimus Telescopium 12 pedum, si Lentis Objectivæ utrinque Convexæ Semidiameter 12 pedum, aut Lentis Plano-convexæ Diameter itidem 12 pedum, Semidiameter 6 pedum.

COROLLARIUM VIII.

370. Cum Myopes probe videant Objecta vicina (§. 384 Optic.), per Radios divergentes radiantia (§. 337. Optic.); Lentem Ocularem Objectivæ proprius admove re debent, ut Radii per eam refracti fiant magis divergentes.

Hh 2

SCHO.

(b) Vid. Du Hamel in Philos. Vet. & Nov. Tom. V. Phys. Part. 2. Tract. 1. Diff. 3. C. 9. p. m. 109. & seqq.

(c) Vid. Hesperi & Phosphori nova Phænomena.

SCHOLION V.

371. Ut majorem Campum uno obtutu comprehendere liceat, quidam Lentem Ocularem geminant, ita tamen ut prior sit majoris Sphæræ segmentum, quam posterior. Neque tamen eadem ratione Lentes Oculares collocant. Quidam nimurum Tubo Astronomico juxta Problema præsens constructo addunt Lentem Ocularem alteram acutiorem, ita ut intra Focum prioris constituantur: alii contra Lentem Ocularem priorem ita collocant, ut sit intra Focum Objectivæ. Sed de his fusi agere non attinet, quia Tubi ex binis Vitris ordinarie adhibentur.

SCHOLION VI.

372. Illud tamen notatu dignum est, si duæ Lentes inmediate jungantur, ita ut una alteram contingat, Focum ad duplam distantiam ejus removeri, ad quam Focus unius pertingit. Hinc & HUGENIUS, ut supra notatum est, loco Vitri Convexi Ocularis unius duo adhibuit Contigua & acutiora.

COROLLARIUM IX.

373. Quia Tubus Astronomicus Objecta clara, distincta & aucta exhibet (§. 358), ideo etiam vicina apparere debent.

COROLLARIUM X.

374. Cum Objectum veluti ex Foco Objectivæ, ubi Imago ejus consistit, in Lentem Objectivam radiet; si in Foco communis Lentium Objectivæ atque Ocularis collocetur Objectum aliquod, illud cum altero per Tubum visum eodem in loco apparere debet (§. 348. Optic.).

SCHOLION VII.

375. Non difficultate caret Fulcrorum constructio, quibus Tubi majores imponendi, ne pandare possint, nec nimia difficultate hoc illucire moveantur. Multum ea in re desudavit HEVELIUS (a), & P. CHERUEIN (b) duplex excogitavit istiusmodi Fulerorum genus: quorum minus postea describemus. Si enim Lentes Objectivæ fuerint maximarum Sphæræ

(a) In Machina Cœlesti, Tom. I. C. 19. 20. 21. 22. f. 379. &c seqq.

(b) Dioptrique Oculaire. Part. 3.

rum segmenta; Telescopia à Tubi molimine liberari præstat ex HUGENIANO invento, paulo post distinctius exponendo. Aliam adhuc Machinam erigendi & dirigendi Telescopia majora à CAMPANO inventam repræsentat BLANCHINUS (c). Quidam Telescopia in brevitatem contrahere allaborarunt: quemadmodum sequenti Problemate docetur.

PROBLEMA XXXIII.

376. Telescopium Astronomicum contrahere, hoc est, Tubum Astronomicum construere, qui minoris sit longitudinis communi, visibilis tamen Diametrum aque amplificet.

RESOLUTIO.

1. Tubo ductilio constructo (§. 337) inseratur Lens Objectiva EG, mediocris Sphæræ segmentum.
2. Lens Ocularis prima BD sit utrinque Concava & ita collocetur in Tubo, ut Focus Objectivæ A sit pone ipsam, Centro tamen Concavitatis G propior. Dico Imaginem jam fore in Q, ita ut sit GA: GI = AB: QI.
3. Denique Lens Ocularis altera utrinque Convexa, Sphæræ minoris segmentum, ita collocetur, ut ejus Focus sit in Q.

Dico, hunc Tubum magis amplificatum Diametrum Objecti, quam si Lens Objectiva Convexa ad eandem distantiam EQ Imaginem exprimeret; consequenter breviorem hac ratione constructum æquipollere longiori communi.

DEMONSTRATIO.

Fiat NC: NB = 3: 2, ut nempe NC ad NB habeat Rationem Refractionis (§. 26); erit NC: BC = 3: 1 (§. 193 Arithm.), consequenter si fiat BC

= G

(c) In Libro paulo ante laudato Tab. VIII.

$=GI=a$ & $AB=d$, erit $NC=3a$, $NA=2a-d$, & $NA:AB=AC:AF$ (§. 164). Quamobrem $NA:AC=AB:AF$ (§. 173. *Arithm.*) & ideo (§. 100. *Arithm.*).

$NA : NC = AB : FB$

$$2a-d : 3a = d : \frac{3ad}{2a-d}$$

Quodsi esset $d=a$, tum foret $FB=3aa : a = 3a$. Sed quia $d < a$, nempe $AB < GB$ per *construct.* (supponimus enim $GB=GI$, quia crassities Lentis censetur parvitas contempnenda): erit $FB < 3a$ (§. 180. 182. *Arithm.*). Quare si fiat $LI=3a$, Punctum L ultra F cadet, cumque sit $LG: LI=2:3$, hoc est, in ratione Refractionis (§. 26); post alteram Refractionem Radius Axi occurret in Q, ita ut sit $LF: FI=FG: FQ$ (§. 161), hoc est, $LF: FI=FQ: FQ$ (§. 173. *Arithm.*), & hinc (§. 190. *Arithm.*) $LF: LG=FI: QI$.

Est vero LF minor quam LG : ergo etiam FI , hoc est (neglecta crassitie Lentis BI) FB minor quam QI aut QB .

Patet adeo Focum per Lentem Concavam removeri ex F in Q, atque adeo Imaginem objecti in Q existere. *Quod erat unum.*

Ponamus jam Lentem aliquam Convexam OE ad eandem distantiam QE Imaginem Objecti exprimere Qm, ita ut Radius ab altero ejus extremo adveniens sit Em, Axem intersecans intra Lentem E & incidenti in directum jacens (§. 241). Jam Radius EH in ingressu in Lentem Concavam frangitur ad perpendicularum HC (§. 25) & hinc refractus HK ab Axe EQ magis diver-

git, quam Em. Porro HK in egressu à perpendiculari KG refrangitur, (§. 37), adeoque refractus KM ab Axe magis divergit quam KH, consequenter multo magis quam Em. Radii igitur KM & BQ majorem Imaginem intercipiunt, quam Hm & DQ, consequenter Lens Concava HD & Convexa EO æquivalent Lenti Objectivæ, quæ majoris Sphæræ segmentum & Imaginem ipsi QM æqualem ad majorem distantiam quam EQ exprimit. *Quod erat alterum.*

Aliter.

Vir summus, ISAACUS NEWTONUS (a) compendiosam Tuborum constructionem invenit.

1. Fiat Tubus ABCD in AD apertus, in BC vero clausus, intus nigerimus, tantæ circiter longitudinis, quanta est Foci à Speculo Concavo EF distantia.
2. Ad fundum BC aptetur Speculum Metallicum Concavum maximo, quo fieri potest, studio politum, aut, ut Objecta clariora exhibentur, Speculum Vitreum, ab anteriore sui parte Concavum, à posteriori ex æquo Convexum, Convexa Superficie argento vivo induita. Nisi enim ubique eandem habuerit crassitatem, species Objectorum coloratas & minus distinctas reflectit.
3. Ab altera Tubi extremitate ad ejus fere medium descendat Ansa Ferrea HL, cui agglutinetur Speculum Planum Metallicum, vel, quod melius est, Prisma Trigonum Vitreum aut Chrystallinum G; cuius Angulus

Hh 3

lus.

(a) Optic. Lib. I. Part. 1. Prop. 7. & 8. p. 85.

Tab. VII.
Fig. 62.

Tab. VII.
Fig. 63.

Tab.
VII.
Fig.
63.

- lus superior G rectus, reliqui duo semirecti. Facies in Angulum G coēentes debent esse quadratæ: tertii figura est Parallelogrammum Rectangulum. Ita autem collocari debet hoc Prisma, ut Radius à Speculo reflexus per medianam faciem GM transiens eam fecet ad Angulos rectos, ad Rectangulum vero MN inclinetur sub Angulo semirecto, ea vero sit illius à Speculo Concavo EF distantia, ut Radii reflexi ac & bd à Concavo post alteram reflexionem in Basi Prismatis factam concurrant in e, hoc est, ut distantia Foci e à Superficie reflectente Prismatis & hujus à Speculo Concavo distantia sit distantia Foci à Speculo Concavo æqualis, vi eorum, quæ supra (§. 360) demonstrata sunt.
4. In I sit Lenticula Plano-convexa, cuius Focus in e, ut Radii reflexi Oculum ingrediantur paralleli (§. 203).
 5. Hæc denique Lenticula tegatur Lamella Plumbea vel Orichalcea, tenui foramine rotundo instructa, ut Radii peregrini arceantur, confusione causaturi (§. 76. Optic.). Sit vero Foramen ea magnitudine, quæ tantum Luminis transmittat, quantum ad claram Visionem sufficit.

SCHOLION I.

377. Primum Telescopii genus egregium est, modo Lentes sint satis accurate elaboratae, quia Lens Concava, præsertim quæ minoris Sphæræ segmentum, Radios valde dispergit: unde & minus clarum, & confusum apparere solet Objectum, si Lens Objectiva non satis separat Radios ab eodem Puncto venientes & Cava nimium eosdem dispergit.

COROLLARIUM.

378. Quia Lens Concava Convexæ juncta magnam Objecti Imaginem in exigua distantia exprimit (§. 376); hoc Artificium egregie conducit ad Cameras obscuras portatiles (§. 236.).

SCHOLION II.

379. Quoniam usus Camerae obscuræ postulat, ut Imagines delineantur clara & distinctæ quantum fieri potest; ideo & danda opera, ut Lentes probe elaborentur, & ca-vendum, ne Lens Concava nimis acuta Radios nimium disperget. Quid fieri conduceat, tentando rectius definitur, quemadmodum jam supra (§. 353) in casu simili annotavimus.

SCHOLION III.

380. Cum Vir excelsi ingenii NEWTONUS de constructione Telescopii sui primum cogitaret, non tam de Tubo contrahendo, quam de imperfectionibus Tuborum ex Refractione oriundis tollendis sollicitus erat. Quoniam enim Radios diversæ refrangibilitatis esse primus repererat (§. 199. Optic.); facile quoque videbat, fieri non posse, ut omnis aberratio Radiorum avertatur, quantacunque cum cura Lentes poliantur. In primo, quem construxit, Tubo Speculi Cavi Metallici Semidiameter erat $12\frac{2}{3}$ digitorum, à quo adeo Focus distabat $6\frac{1}{3}$ digitorum intervallo: Lenticulae Ocularis Diameter erat $\frac{1}{6}$ unius digitii, ut adeo Diametrum Objecti amplificaret in ratione 1 ad 38 (a). Deprebendit autem, Objecta aliquanto obscuriora exhiberi. Unde suasit postea (b), ut Vitrea Specula Metallicis substituantur: nec quicquam amplius in hoc negotio desiderari putat, quam ut Ars Vitra poliendi magis perficiatur: observavit enim inæqualitates quasdam, quæ Lentibus Objectivis non officiunt, Speculis tamen multum obesse ac impedire, quo minus Objecta distincte cernantur. Prima inventi hujus idea ex JACOBI GREGORII Optica promota ipsi advenit,

(a) Philos. Transact. n. 81. p. 400+.

(b) Optic. l. c. p. 89.

venit, qui simile quid ante ipsum meditatus.

SCHOLION IV.

381. Monet præterea NEWTONUS (a), si longitudo Instrumenti sit 6 pedum, adeoque Semidiameter Speculi Concavi pedum 12 (§. 209. Catoptr.), aperturam in Speculo esse debere 6 unciarum, & rem Objectam amplificari in ratione 1 ad 200 vel 300. Si longius breviusque fiat, aperturam esse debere ut Cubum Radicis Quadrato quadratæ longitudinis & amplificandi potentiam ut aperturam. Speculum fieri jubet uncia una aut duabus latius quam aperturam. Olim (b) pro constructione istiusmodi Telescopiorum sequentem exhibuit Tabellam.

Aper-tura.	Dia-me-ter Vi-triOcu-laris.	Semid. Speculi Conca-vi.	Aper-turæ.	Dia-me-ter Vi-triOcu-laris.
100	100	6 ped.	645	186
168	119	8	800	200
283	141	10	946	211
338	157	12	1084	221
476	168	16	1345	238
562	178	20	1591	251

Nullum tamen est dubium, quin eadem hic valeant, quæ superius de Ocularibus Vitris ad Objectiva rite proportionandis dicta sunt. JOANNES HADLEJUS istiusmodi Telescopium Cataadioptricum maximo successu construxit: tenim cum esset nonnisi pedum quinque cum parte quarta, in Observationibus tamen Astronomicis Satellitum Jovis atque Saturni, &c. non Annuli Saturnini paria praestitit cum IUGENIANO centum & viginti trium pedum (c). Erat enim Radius Concavitas Speculi $10' 5\frac{1}{4}$. Speculum Planum ex opere cum Concano Metallo confectum erat vale: Crassities ejus $\frac{1}{15}$ seu $\frac{1}{18}$ unius digitii, titudo dimidi circiter digitii, longitudo ad

latitudinem ut 1 ad $\sqrt{2}$. Vitrum Oculare triplex adhibuit; uni erat distantia Foci $\frac{1}{3}$, alteri $\frac{3}{10}$, tertio $\frac{11}{40}$ circiter unius digitii, ita ut in casu primo Diameter Objecti amplificaretur in ratione 188 vel 190 ad 1, in altero in ratione 208 ad 1, in tertio denique in ratione 228 seu 230 ad 1 (d).

PROBLEMA XXX.

382. Fulcrum construere, quo Telescopia 15, 20 aut 25 pedum sustentari, commode ad Objectum datum dirigi & in situ suo immota retineri possunt.

RESOLUTIO.

Placet nobis illud Fulcri genus, quod R. P. CHERUBIN (e) invenit. En eius constructionem.

1. Basis fiat ex tribus partibus A, B, C in figuram Trianguli firmiter inter se junctis: ut ex Schemate fatis patet.
2. Basi infigatur Columna lignea intus Cava DE: cui
3. Immittatur Virga Ferrea dentata EF, cujus ope Tubus elevari ac deprimit potest.
4. Hæc Virga ex cavitate Columnæ educenda & in eam reducenda ope Manubrii G, cujus Axis, ut in Antlia Pneumatica (§. 40. Aërom.) rotula dentata, ex altera Figuræ parte latente, instructa.
5. Ne autem eadem sua sponte relabatur, pondere Tubi pressa, vel ope Rotæ hamatæ, qualis in Molis ferrariis (§. 992. Mechan.) occurrit, atque Elateris, vel aliis Artificiis Mechanicis impediendum.

6. Fiat

(a) Loc. cit. p. 91. 92.

(b) Phil. Transact. n. 81. p. 40. 32.

(c) Philos. Transact. n. 378. p. 382. & seqq.

(d) Ibid. n. 376. p. 303. 304. 305.
(e) Dioptr. Oculaire Part. 13. Secl. IX. Cap. 1, fol. 271. & seqq.

Tab.
VII.
Fig.
64.

- Tab. 6. Fiat Globus Concavus ex Ligno nucleo H Tubulo TF affixus, & circa Axem convertibilis, ut Telescopium in omnem plagam dirigi possit.
7. Huic Globo immittatur alias Convexus, cui Cochlea afferruminetur, ut Tubi sustentaculum ad eum aptari possit, sitque Concavus crena aliqua instructus, ut Tubus sub Angulo quocunque ad Horizontem facile inclinari queat: quod artificium cum in Fulcris Instrumentorum Geodæticorum obvium sit, ut hic distinctius exponatur opus non est.
8. Sustentaculum ML ex tribus partibus componatur, quarum media IK est quadrata intusque cava instar Canalis, altitudine & latitudine 3 digitorum, longitudine duorum circiter pedum cum dimidio, ut Telescopium in cavitate reponi possit. Duæ laterales MI & KL ex affere non nimis tenui paratæ, ne mediae similes pondus præter necessitatem augeant.
9. Ut tamen Telescopium firmiter incumbat, non modo Segmenta annularia lignea prope extremitates affigenda, sed Telescopium quoque in medio utriusque partis V & X alligandum.
10. Ut vero idem in situ suo retineri possit, Hastæ Ferreæ NO sustentaculo infigendæ immittatur Cubus Orichalceus intus Cavus Q, ut sursum deorsumque libere protrudi possit. Superficie superiori afferruminatus sit Axiculus rotundus per

foramen in Basi inferiore Cubi Orichalcei alterius P trajiciendus, ut is circa hunc libere moveri possit.

- II. Denique per Cubum P trajiciatur Regula Linea ER, mediantibus Cochleis partim ad Cubum P, partim ad Columnam ED parte sui superiore Ferro obductam firmanda.

Ita nimurum Telescopium elevari ac de primi, in quamcunque plagam dirigi, ad Horizontem quomodo cunque inclinari & in omni suo situ firmiter retineri facile potest: quæ singula ex ipsa structura per se manifesta sunt. Neque quicquam amplius à Tubi Fulcro desiderari potest.

PROBLEMA XXXV.

383. *Telescopia longiora à Tubi molimine liberare.*

RESOLUTIO.

Egregii hujus Problematis solutionem sequentem dedit Celeberrimus HUGENIUS (a):

1. Malus AB ejus fere longitudinis, quæ foret Tubi, normaliter in Terram defigatur & antequam erigatur, latus unum Dolabra complanetur atque ibi Regulæ binæ affigantur inter se parallelæ ac sesquipollice distantes, itaque Canalem efficientes, interius paulo latiorem, qui à summo Malo ad imum fere pertingat.
2. In cacumine Mali imponatur Orbiculus A circa Axem mobilis & in eum Funis Gg ducatur dupla Mali longitudine, crassitudine minimi dorsi dimidia;

(a) In Astroscopia compendiaria.

Tab.
VIII.
Fig.
65.

dimidia, in se rediens & Plumbum H pondere æquali adjectum habens, quantum est Brachii mobilis cum Lente imposta; utque, si opus sit, ascendi possit, Triangula Ligneæ æqualibus spatiis defigantur, quæ in Schemate omissa sunt.

3. Asserculus bipedalis CD uno latere ita incidatur, ut intra Canalem liberrime moveri queat.
4. Hujus medio affigatur Brachium E Ligneum, pedem unum à Malo extans, in cuius extremo aliud sesquipedale Ff media sui parte ad Angulos rectos conjugatur. Utrumque Horizonti parallelum extendatur.
5. Lens Objectiva includatur in Cylindrum Cavum IK, 4 digitos longum & ex Bractea Ferrea fabricatum.
6. Huic Cylindro affigatur Bacillus pedalis KL, digitii crassitudine insistens, Globulo Æneo M avellanæ magnitudine, qui in subjecto Moduli sui cavo liberrime volvi possit. Cavum, ut fieri solet, ex duabus partibus constat, Cochlea constringendis.
7. Ut Lens æqualiter librata exigua vi moveri possit, Pondus unius circiter libræ N ex filo Æneo crassiore semipedali suspendatur cuius flexu facile obtinetur, ut Centrum commune gravitatis ejus & Lentis coincidat cum Centro Sphærulæ M.
8. Bacillo KL infigatur Stylus Æneus L digitii longitudine & deorsum flexo, donec cuspide sua tantumdem ac Centrum Globuli M infra Bacillum descendat, filum tenuè bombyci-

- num LV alligetur, quod adeo erit Bacillo KL parallelum.
9. Lens Ocularis O Cylindro brevi includatur, eique Bacillus PV affigatur.
10. Infra eum appendatur Pondus exiguum S, quantum opus est ad faciendum libramentum.
11. In Q sit Capulus R, qui Axiculum transversum ferat, manu Observatoris apprehendendus & Bacillus PV versus Lentem Objectivam directus filo LV alligetur.
12. Filum per foramen V trajectum Verticillo T circumvolvatur, qui medio Bacillo infixus, ut ejus conversione longitudo fili contrahi producique possit, quantum opus fuerit.
13. Ut Observator Lentem Ocularem immotam tenere possit, Fulcrum X brachiis supponatur, cuius structura ex inspectione figuræ satis manifesta. Ejus altitudo 4'9".
14. Ut in tenebris Stellaræ Telescopio facile reperiantur, Laterna opus est, cuius constructionem supra docuimus (§. 208).
15. Denique ut Lux quædam tenuis ab Aëre ad Oculum manans excludatur, perforatus apponatur Orbiculus Y, Brachiolo mobili flexilique affixus.

S C H O L I O N.

384. *Quanti fieri debeat præclarum hoc HUGENII inventum, non illi modo experiuntur, qui Telescopiis majoribus Sidera contemplari animum inducunt; verum etiam à praxi alienus facile judicabit, qui Speculam HEVELII (a) Regiis sumtibus eum in finem extren-dam consideraverit.*

Ii

PRO:

(a) Machin. Coelest. Tom. I. C. 22. f. 419.

PROBLEMA XXXVI.

385. *Telescopium Catadioptricum conftruere, quo in Observationibus Cœlestibus commode uti licet.*

RESOLUTIO.

Constructio, quam dedit HADLEJUS

(a) huc redit:

- Tab. XII.
Fig. 98.
n. I.
1. Speculum Concavum A collocetur in fine Tubi Octangularis BB, tantæ longitudinis, quantam requirit distantia Foci Speculi, v. gr. 6 pedum & amplius, si Diameter Speculi $10\frac{1}{2}$ circiter pedum; tantæ vero latitudinis, ut Speculum commode recipere possit.
 2. Tubi interior Superficies nigredine inficiatur, & in fine, ubi Speculum A collocatur, fiat incisio longitudinis 6 vel 7 digitorum, ut Tubus ope Operculi C ibidem operiri & claudi possit, quando Speculum eidem vel inserere, vel ex eo exire volueris.
 3. In fundo Octangulari D fiat itidem incisura $\frac{2}{3}$ circiter unius digitii lata & ad Centrum usque extensa, ut Ansæ Speculo affixa locus sit, quæ idem tenetur, dum Tubo inseritur, vel ex eo eximitur, extra hunc usum claudenda.
 4. Speculum ita collocetur, ut Axis ejus congruat Axi Tubi, ope trium Confibularum Lignearum, quarum duæ conspiciuntur in aa, tertia fundo Tubi affixa, & in situ suo detinatur ope trium Cochlearum, quarum una in b conspicitur. Cavendum tamen, ne Cochleæ nimia vi Speculum ad confibulas apprimant.

(a) Philosoph. Transact. num. 376.

Speculum autem hoc pacto inseritur
Tubo, ut extra usum eximi possit,
ne splendor ejus obfuscetur.

5. Speculum Planum ope Cochlearum affigatur Brachio Ferreo B, quod altero sui extremo firmetur intra Lignum mobile EE, ut ope Cochlearum GG secundum Tubi longitudinem ab ejus fundo removeri, vel eidem proprius admoveri possit, donec exacta Speculorum à se invicem distantia obtineatur pro diversa Vitrorum Ocularium, quibus uteris distantia (§. 376).
6. In medio Ligni mobilis EE fiat Cavitas Cylindrica D, cuius Axis ad Superficiem interiorem & exteriores exacte perpendicularis, ut Lens Ocularis eidem immitti possit.
7. Brachium Ferreum ad distantiam duorum circiter digitorum ad Superficiem Ligni EE perpendicularare Planis terminetur Superficiebus, ita ut latus alterutrum obvertat Radio à Puncto radiante ad Speculum tendenti; in b vero Plana Superficies eundem respiciat, latere contrarium situm obtinente, & ita inflectatur, ut, si aversa Speculi Plani Superficies ope Cochlearum C ad idem firmetur, Axis Cavitatis Cylindricæ D incidat in Centrum Superficiei anterioris Speculi sub Angulo semirecto (§. 376).
8. Ut situs Speculi Plani A accurate obtineri possit, in ii duæ adsunt Cochleæ, quarum auxilio Speculum elevari ac deprimi tantillo potest Brachio immoto, donec Axis cum eodem Angulum semirectum faciat.

9. Tu-

9. Tubulus H , cui inseritur Lenticula Ocularis , Cochlea instruatur , ut eidem aptari possit segmentum Sphaeræ Cavæ , quod Oculi bulbum recipiat , ne Lumine à latere illabente officiatur Visioni Objecti Telescopici.
10. In superiori Tubi parte affigatur Telescopium Diopticum commune H , cuius longitudo octodecim d'gitorum , ita ut Axis ejus sit parallelus Axi Tubi , & in Foco Communi Vitri Ocularis & Objectivi erigantur duo capilli in Axe sese intersecantes.
11. In Foco Vitri Ocularis non procul à Speculo Plano collocetur Circulus , qui determinet partem Objecti visibilem ; in altero vero ejusdem Foco , qui Oculum respicit , Lamina Ferrea exiguo foramine pertusa , ne ab interioribus Tubi parietibus reflexi Radii in Oculum illabantur ; consequenter ne distinctæ Visioni officiatur.
12. Apertura denique limitetur Annulo Chartaceo ante Speculum Concavum intra Tubum collocando : quæcum pro diversitate visibilis eadem non sit , plures istiusmodi Annuli ad manus esse debent . Diameter aperturæ in iis , quibus usus est HADLEJUS , fuit $5\frac{1}{2}$, 5 & 4. digitorum . Jam ut Tubus commode ad Objectum dirigi & in situ suo immotus detineri possit , peculiari machinamento opus est . Itaque
13. Basis FF fiat ex robusto assere longitudinis trium aut duorum ac dimidi pedum , latitudinis 14 digitorum .
14. In altero ejus extremo excitetur

perpendiculariter Arca quadrilatera III , cuius altitudo duorum circiter pedum , lateribus duobus asseri in aa & Operculo in dd infixis , reliquis vero ad hæc ope Cochlearum firmatis .

15. In Operculo fiat Foramen Circulare , cuius Diameter paulo major 3 digitis , per quod transeat Columna versatilis P Axiculo Ferreo in c instructa & Ferro excavato in b insistens .
16. Pars Columnæ superior ultra Operculum unius circiter ac dimidii digiti intervallo emineat & Capitulo K inseratur , cuius longitudo 8 , latitudo & crassities 4 vel 5 digitorum .
17. Capitulo affigantur sustentacula dentata LL 14 vel 15 digitos alta , quæ ab Axe Columnæ distant utrinque 5 digitorum intervallo , dentibus à se invicem æqualibus intervallis remotis , quibus incumbit Axis Ferreus C Tubum sustentans , juxta Tubi inferiora latera incurvatus . Habent autem dentes diversas altitudines , ut Tubus pro diversa Objecti elevatione supra Horizontem ad commoditatem Oculi elevari possit .
18. Axis Tubi $2\frac{1}{2}$ circiter digitis altior Axe motus & Centrum gravitatis Speculo Cavo A intus collocato ab eodem 3 digitis retro distet . Et ne Tubus , dum elevatur , retro descendat , duabus confibulis retineatur .
19. Affrictus Columnæ , dum in gyrum agitur intra Foramen Operculi impediatur Sectore Cylindrico , 65 circiter vel 70 gradus continente

Tab: XII.
Fig. 98.
n. 1.
& 3.

- Tab. XII. & digitum circiter alto in parte superiori D: intra cuius cavitatem in Angulo quadrati applicetur Lamina Chalybea in medio juxta eundem Angulum incurvata *oo* & vertex Anguli internus intra duas Laminæ partes fit in Axe Columnæ & gyretur super Apice indurato Ferri Cuneiformis *f*, cuius Basis Cochleis robustis ad Cistam firmetur.
- n. i. 20. Capitulum secum vechat Brachium Planum, cuius longitudo 27 circiter, latitudo anterior, quæ altera paulo minor, 4 digitorum, sustentatum Ligno tenui O ad latus infra agglutinatum & Fulcro N à Columna rotatili per aperturam Cistæ in P procedens & extremo Brachii occurrens intervallo 9. digitorum ab ejus extremitate.
21. In altero Basis F F extremo perpendiculariter erigatur Tabula Q 12 circiter digitos lata, 26 vel 27 vero alta, retinaculo R in situ suo firmiter detinenda.
22. Pars superior Tabulæ in Superficie exteriori referat Segmentum Cylindri, cuius Axis idem est cum Axe Columnæ versatilis, ut sustentare possit sustentaculum Brachii, in quo ejus extremitum incedit, dum Columna convertitur.
23. Sustentaculum SS eandem habeat Figuram Cylindricam, quæ ope quatuor Cochlearum eidem conciliatur transuentium per utrumque ejus extremitum & aliud frustum Ligni T ejusdem cum illo longitudinis. Latus ejus superius est complana-

- tum, ne scabrities affictum causetur in incessu Brachii: ad quem imminendum, porro:
24. Brachium in V duobus instruitur Rotulis circa Axiculos suos versatilibus (§. 956. *Mech.*), qui in Linea per Axem Columnæ versatilis transfeunte siti.
25. Ad Orbiculos illos sustentaculum SS. admotum servetur ope Cochlearum WW, quarum matrices XX Tabulæ Q affigantur.
26. Motus. Tubi dirigatur ope duorum Paxillorum Ferreorum Y & Z. Primus Y à Brachii extremitate distet in intervallo 10 vel 11 digitorum & Filum, quod eidem circumvolvit, infra Trochleam f verticaliter Tabulæ extremitate affixam ductum, alligetur Tubo in g. Ope hujus Paxilli anterior Tubi pars debite elevatur. Quodsi vero contingat Objecti elevationem supra Horizontem esse magnam; Filum alligetur Baculo quadrato levi in h., cuius pars inferior incubit Brachio, ut impediatur, ne motu vibratorio Fili. Tubus vacillet motum tremulum visibili conciliaturus: huc enim facit & Fili brevitas, & Baculi Brachio adjacentis levis affictus.
27. Paxillus alter Z infervit motui Tubi Horizontali: quem in finem Filum, quod eidem circumvolvit, juxta Trochleam pone alteram Horizontaliter erectam, quam in Figura exprimere non licuit, ductum pendeat à Clavo capitulo minori k infixo. Ita autem collocetur Paxillus Z, ut

altera manu Observatoris facile moveri possit, dum altera circa Paxillum Y occupatur.

8. Ut Paxilli Y & Z commode moveri possint, in inferiori Brachii Superficie firmentur frusta ligni foramine instructa, ita ut unum quodque ope ferræ in altero Foramine extremo scindatur in duas partes ut ope Cochlearæ m Paxilli pede inserto coarctari possit foramen, quantum usus requirit.

9. Agit autem Paxillus Z adversus, duos elateres m & n intra Cistam III collocatos, quorum dexter m Columnam vertit versus sinistram, ope funis Elateri alligati & Verticillo P circumvoluti, vi cuius debite extenditur. Et eodem modo sinister n inservit Columnæ in partem contrariam vertendæ.

S C H O L I O N .

386. Quoniam Telescopium NEWTONIUM quinquaginta propemodum annos neglegum fuit, quod tamen insignem prorsus usum vobis in Observationibus Astronomicis, ita non melius à Tuborum Opticorum prærandium molimine liberari queamus, quamvis ab hac imperfectione liberetur Telescopium Catadioptricum, quod Specula Metallia nitorem suum facile amittant; ideo consilium duximus apparatus illum prolixius describi, qui cura HADLEII accessit & quo Telescopii hujus usus promptus redditur & exhibitus.

P R O B L E M A XXXVII.

387. Telescopium Terrestre construere.

R E S O L U T I O.

Tubo constructio (§. 337), inseratur Lens Objectiva vel utrinque Con-

vexa, vel Plano-convexa, quæ sit majoris Sphæræ segmentum.

2. Eidem jungantur tres Lentes Oculares utrinque Convexæ & æqualem Sphærarum segmenta; ita quidem ut binarum quarumcunque distantia sit aggregatum ex distantiis Focorum earundem.

Dico, Oculum Lentis ultimæ in distantia Foci ejus admotum videre Objectum distinctum, situ erecto & amplificatum in ratione distantiae Foci Lentis, unius Ocularis ad distantiam Foci Objectivæ.

D E M O N S T R A T I O.

Cum per Tubum Objecta remota spectentur (§. 326), adeoque Radii ab uno Puncto emanantes in Lentem Objectivam parallelî incident (§. 94. Optic.), in distantia Foci principalis delineabitur Objecti Imago, situ inverso, (§. 224). Quare cum hæc Imago sit in Foco Lentis Ocularis primæ, per constructum. Radii post refractionem alteram erunt parallelî (§. 203), qui in Lentem tertiam incidentes post tertiam refractionem Imaginem inversam Imaginis inversæ, hoc est, erectam Objecti in Foco ejus formabunt (§. 224). Quoniam itaque hæc Imago in Foco Lentis Ocularis tertiae existit, per constructum. Radii post quartam refractionem erunt parallelî. Oculus adeo Objectum per Radios parallellos videt: unde liquet ex Demonstrationibus anterioribus, quod idem distinctum videre debeat. Quod erat unum.

Quando Imago inversa in Foco Lentis Oculo proximæ constituta in eam rasi-

diat, Objectum situ inverso appareret (§. 358). Ergo cum Imago erecta ibidem constituta in eandem radiat, Objectum situ erecto apparere debet.
Quod erat alterum.

Tab. Radius AQ , ex Foco Q , Lentis VII.
Fig. Objectivæ AB incidens post refractio-
66. nem fit Axi IL parallelus (§. 203); con-
sequenter à Lente Oculari prima CD unitur Semidiametri intervallo cum Axe in M (§. 193). Et cum in M etiam sit Focu-
sus Lentis Ocularis secundæ EF , per
construct. Radius FH post refractionem
erit Axi NO parallelus (§. 203), adeo-
que ab Oculari tertia cum Axe unitur
in P ad distantiam Semidiametri PO (§.
193). Sunt vero Semidiametri Lentium
 GH & CD æquales, per *construct.* Er-
go $PO = LM$ vel $PH = MC$. Quare
cum demissis perpendicularibus $C\ell$ &
 $H\circ$ anguli recti ad \circ & ℓ etiam sint æqua-
les nec minus $H\circ = C\ell$ (§. 289. 291.
Geom.); erit Angulus OPH ipsi CML
æqualis (§. 235. *Geom.*). Objecti adeo
Semidiameter ranta appetet in P , quan-
ta videtur in M (§. 209. *Opitc.*). Enim-
vero si IQ fuerit distantia Foci Lentis
Objectivæ, Oculus in M positus videt
Semidiametrum Objecti amplificatam in
ratione ML vel PO ad IQ (§. 358).
Ergo & in P Semidiameter Objecti auc-
ta cernitur in ratione LM vel PO ad
 QI . *Quod erat tertium.*

COROLLARIUM I.

388. Tubus adeo Astronomicus facile
convertitur in Terrestrem, Lentem Ocu-
larem triplicando, & Terrestris contra in
Astronomicum abit, duas Lentes Ocula-

res auferendo, eadem tamen manente po-
tentia amplificandi.

COROLLARIUM II.

389. Quia distantia Lentium Ocularium
exigua est, longitudine Telescopii parum
mutatur, si tribus Ocularibus loco unius
utaris.

COROLLARIUM III.

390. Patet autem ex constructione lon-
gitudinem Telescopii haberi, si Diametro
Lentis Objectivæ Plano-convexæ vel Semi-
diametro utrinque Convexæ IK addas quin-
tuoplum Semidiametri Lentium Ocularium
KR.

SCHOLION I.

391. HUGENIUS primum invenit in *Tube*
Astronomico non minus, quam in *Terrestre*
mulum conducere ad Telescopii perfectionem,
si eo in loco, ubi heret Imago in Lenten
Oculo proximam radians, constituantur An-
nulus vel ex Ligno tornatus, vel ex Lami-
na Metallica confititus cum foramine pauli
angustiore, quam est Vitri Ocularis latitudi-
(a). Ita nimirum Colores arcentur Visiones
distinctam turbatur & tota Area, que un-
obtutu comprehenditur, termino suo circum-
scribitur.

SCHOLION II.

392. Sunt equidem, qui Tubos Terrestres
ex tribus Lentibus construunt, Objecta noi-
minus erecta & amplificata exhibentes: sed ta-
lia Telescopia minus perfecta censi debent
tum quia Imagines Coloribus inficiunt, tun-
quia circa marginem distorquent.

SCHOLION III.

393. Nonnulli quatuor & pluribus Len-
tibus Ocularibus utuntur. Sed cum in tran-
situ per singulas Lentes pars quadam Radio-
rum intercipiatur, Objectiva non satis clari-
apparent. Sufficit itaque nobis optimum Te-
lescopii genus exposuisse.

PRO

(a) In Systemate Saturnino p. 81. conf. Dioptr.
Prop. §3. p. 195.

PROBLEMA XXXVIII.

394. Aperturam Lentis Objectivæ in Telescopio definire.

RESOLUTIO.

1. Ex Charta compacta & nigredine infecta exscindantur plures Annuli, ita ut Diameter minoris foraminis Pisi majoris Diametrum adæquet, Diameter vero foraminum in reliquis continuo crescat. Totius vero Annuli Diameter sit latitudini Vitri Objectivi æqualis.
2. Telescopium interdiu versus Objectum aliquod procul distans, noctu versus Lunam, Planetam aliquem atque Stellas fixas diversæ magnitudinis dirigatur, & adhibitis diversis aperturis notetur, per quamnam Objectum non modo clarum, sed & maxime distinctum appareat. ta nimirum aperturam convenientissimam deprehendes.

SCHOLION I.

395. Quantum momenti situm sit in apertura Vitri Objectivi conveniente, Experientia larissime loquitur. Nec difficulter idem ratiōne assequi datur. Radii enim ab Axe remiores à Foco aberrant, nec in eo colliguntur: unde Objecti Imago in Retina fit confusa. Major vero aberratio est, quæ à diversa Radiorum refrangibilitate pendet. Radium enim num per refractionem in plures diversicolores dispesti, diversos adeo Angulos cum Cothe-^o refractionis efficientes, dudum observavit NEWTONUS (§. 199. Optic.). Atque ex his iudicamentis HUGENIUS deduxit (a), constituta per Experientiam apertura Lentis Objectivæ 30 pedum, esse ut 30 ad 3, hoc est, t 10 ad 1 ita radicem ex distantia Foci Lentis cuiuscumque per 30 multiplicatam ad ejus perturam, distantias vero Focorum Lentium lricularum esse aperturis proportionales,

(a) Dioptr. Prop. §. p. 205. & seqq.

SCHOLION II.

396. Quoniam interdiu Oculus majori Luminis occupatus minus vivide afficitur à debiliōri, ut plures Radii per Tubum ad Oculum pertingant, aut amplianda erit apertura, aut Lente Oculari, quæ sit majoris Sphæræ segmentum, utendum. Sed ne aberratio Radiorum, NEWTONIANA præsertim, Visioni distinctæ officiat; medelam posteriorem afferre præstat, quam priorem. Hinc interdiu Lentem Ocularem adhiberi consultum est, cuius Diameter sit dupla Diametri nocturnæ. Cum enim hac ratione Imago interdiu in Retina delineata sit subdupla ejus, quæ noctu ibidem exhibetur, quoad Diametrum (§. 358. Dioptr. & §. 181. Arithm.) claritatem quoque multo majorem quam illa habebit (§. 89. Optic.).

SCHOLION III.

397. Illud quoque notatu dignum est, quod Lentes Objectivæ majorem aperturam admittant, si Tubi intus denigrentur & eorum ductus Annulis Ligueis muniantur (§. 337).

SCHOLION IV.

398. Cum tanta sit Lentis Objectivæ obtengenda circa marginem necessitas; mirum sane videri poterat, quod per Lentes Vitreas, quæ majorum Sphærarum segmenta existunt, solitusque multo latiores sunt, in ipsa Luce meridiana, sine ullo Tubi molimine, Objecta valde diffusa & per amplum spatium diffusa clare atque distincte videri possit tam situ erecto, si intra Focum & Vitrum Oculus constituantur quam situ everso, si ultra Focum Spectator consistat. Etenim jam ante aliquot annos notatum est in Actis Eruditorum (b), me per Tabulam Vitream Plano-convexam, cuius Convexitatis Diameter 30 pedum, longitudo duorum, latitudo unius cum dimidio existebat, ad distantiam duorum milliarium Germanorum in ipsa Luce meridiana, sine ullo Tubi molimine, duobus Oculis apertis sine Vitro Oculari aedificia monti superstructa distinctissime vidisse. Nec credo

(b) A 1710. mens. Octobr. p. 466. 467.

*credo ab hoc diversum esse illustris TSCHIRN-
HUSII inventum, quod ab ipso celatum tan-
topere commendatur à Celeberrimo FONTE-
NELLIO (a). Eadem enim observavi per Vi-
trum non satis exacte politum, quæ de sua
Lente singulari ad Illustrem Academiam Re-
giam Scientiarum prescripsit TSCHIRHUSIUS,
ut adeo secretum nullum sit, quod hic subesse
suspicatur FONTENELLUS.*

PROBLEMA XXXIX.

399. Rationem Experimentaliter de-
finire, quam habet Diameter Objecti
nudo Oculo visi ad Diametrum per Te-
lescopium visi.

RESOLUTIO.

1. Dirigatur Tubus versus tectum ali-
cujus domus & per eum Oculus su-
periorem tegularum seriem con-
tueatur.
2. Oculus alter sit apertus, ut eadem
tegulae quoque videantur nudo.
3. Telescopium tamdiu vertatur, do-
nec unius tegulae extremum per Te-
lescopium visum incidat in extre-
num ejusdem nudo Oculo visum.

4. Numerentur tegulae nudo Oculo vi-
si, quæ uni vel pluribus tegulis per
Telescopium conspectis congruant.

Erit enim ut numerus prior ad poste-
riorem, ita Diameter Objecti Oculo
armato visi ad Diametrum nudo Ocu-
lo visi.

SCHOLION I.

400. Ne manu vacillante Observatio irri-
ta fiat, Tubus Fulcro cuidam firmo inniti-
debet. Oculus non minus immotus sit neces-
se est,

SCHOLION II.

401. Quæ de Tubis binoculis primum
ANTONIUS MARIA SCHYRLÆUS De REITA
(b) & post ipsum alii, veluti CHERURIN Ca-
pucinus (c), meditati sunt: curiositati ma-
gis, quam utilitati servire videntur. Unde
non mirum, quod Vir in hoc studiorum gene-
re præstantissimus & de Tuborum perfectione
tantopere sollicitus HUGENIUS, nullam eo-
rum in suo de Dioptrica Opere mentionem
injiciat. Uno nimirum Oculo satis bene distin-
guimus Objecta, modo Lens Objectiva si
exacte elaborata & aperturam habeat Len-
temque Ocularem convenientem.

CAPUT VII.

De Microscopiis seu Engy scopiis.

DEFINITIO XXXI.

402. *Microscopium seu Engy scopium*
est Instrumentum Dioptri-
cum, per quod Objecta minuta valde
aucta & distincte spectantur.

SCHOLION.

403. Quando & à quonam Microscopia
fuerint inventa, non liquet. Certe anno 1618.
ea adhuc incognita fuisse, inde manifestum

(a) Hist. Acad. Reg. Scient. A. 1701. p. 165. Edit.
Bat.

est, quod HIERONYMUS SYRTURUS, qui eo
ipso anno de Origine & fabrica Telescopio-
rum Librum edidit, nullam eorum mentio-
nem ejicit.

DEFINITIO XXXII.

404. *Microscopium simplex* est, quod
unica Lenticula aut Sphærula constat.

DE-

(b) In Oculo Enochii atque Eliæ Lib. IV. f. 354
& seqq.

(c) In Dioptricæ Ocularis Tom. 2. qui sub ti-
tulo: *La Vision parfaite* prodiit.

DEFINITIO XXXIII.

405. Microscopium compositum est, quod ex pluribus Lentibus constat.

SCHOLION.

405. Microscopia composita anno 1621. apud DREBBELIUM Batavum jam conspecta esse eumque tum pro inventore habitum fuisse, autor est HUGENIUS (a). Anno 1646. in Libro Observationum hoc inventum sibi arrogavit FRANCISCUS FONTANA, Neapolitanus, quasi in id jam anno 1621. incidisset. Cum Tubus inversus sit Microscopium, haud difficilis fuit Microscopii compositi inventio. Sed casu, non minus quam Tubus, reperiri potuit.

THEOREMA LXXVI.

407. Si Objectum AB ponitur in Foco Lenticulae Convexae Microscopii simplicis DE & Oculus Lenticulae ab altera parte proxime admoveatur; videbis Objectum distinctum, situ erecto, atque auctum in ratione distantiae, Foci ad eam distantiam, in qua collocanda sunt Objecta, quæ nudo Oculo cernuntur distincte.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Objectum AB in Foco Lenticulae Convexæ DE collocatur, per hypoth. Radii à singulis Punctis emanantes post refractionem erunt inter se paralleli (§. 203). Oculus ergo valens Objectum videre debet distincte, vi eorum, quæ de Tubis demonstrata sunt (§. 358). Quod erat primum.

Porro cum Radiorum unus AF à Puncto A emanans post refractionem sit incidenti parallelus, adeoque, neglecta particula crassitie Lenticulae, eidem in directum situs (§. 240), & idem eodem modo constet de aliquo Radiorum ex Puncto B in Oculum delatorum; Radii

AF & BF, quibus reliqui ex iisdem Punctis A & B emanantes sunt paralleli, per demonstrata, eodem modo Oculum ingrediuntur, ac si Lenticula removetur. Sed Lenticula remota, Objectum apparere situ erecto, ut Experiencia constat. Ergo etiam per Lenticulam situ erecto apparere debet. Quod erat secundum.

Ex demonstratis autem simul manifestum est, Objectum AB sub eodem Angulo AFB videri, sub quo ab Oculo nudo cerneretur. Quoniam tamen distinctum appareat, per demonstrata, cum nudo Oculo in eadem distantia videatur valde confusum: perinde est, ac si Objectum aliquod ad distantiam FH remotum videretur; in qua æque distante sub eodem Angulo cernitur. Est ergo Diameter Objecti AB ad Diametrum apparentem IK ut FC ad FH, hoc est, ut distantia Foci Lenticulae ad eam distantiam, in qua collocandum est Objectum aliquod, ut ab Oculo nudo distante videatur. Quod erat tertium.

SCHOLION I.

408. HUGENIUS (b) assumit, Objectum nudo Oculo tum apparere distinctum, si 8 digitorum intervallo removeatur Iterata Observatione didici, cum primum hæc scriberem, hoc est, A. 1714, ad 5 digitorum intervalum me quidem legere posse Scripturam eo Charactere expressam, quo Corollaria in his Elementis excusa sunt; sed tamen nebulem quandam adhuc Oculo observari, in distantia 8 digitorum prorsus evanescentem. Unde HUGENIO assentior, quæ ab Oculo valente (ego enim, quo hæc scribo tempore, nempe A. 1714. neque in Presbytarum, neque in Myopum numero sum) distincte evidentur, 8 digitorum intervallo minimum distare debere. Atque hinc infertur:

Kk

Co-

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

(a) In Dioptrica, p. 221.

(b) In Dioptr. Prop. 59. p. 221.

COROLLARIUM I.

Tab. VII. 409. Microscopia simplicia amplificant Diametrum Objecti AB in ratione distantiae Foci FC ad 8 digitorum intervallum.
Fig. 67. E. gr. sit Semidiameter Lenticulæ utrinque Convexæ digiti dimidii, erit AB : IK = $\frac{1}{2} : 8$ = $1 : 16$, hoc est, Diameter Objecti augetur in ratione sedecupla.

COROLLARIUM II.

410. Cum distantia FH sit constans, octo nimirum digitorum (§. 409); quo minor fuerit distantia Foci FC, eo minorem ad FH rationem habebit (§. 203. Arithm.), consequenter eo minorem quoque rationem habebit Diameter vera Objecti AB ad apparentem IK (§. 406), adeoque eo minor Diameter videbitur respectu ipsius IK (§. 204 Arithm.) Eo itaque magis amplificabitur Diameter Objecti.

COROLLARIUM III.

411. Quia in Lenticulis Plano-convexitatibus distantia Foci Diametro (§. 168. 175), in utrinque Convexitatibus Semidiametro æqualis (§. 193); Microscopia simplicia eo magis Diametrum Objecti amplificant, quo minoris fuerint Sphæræ segmentum (§. 410).

COROLLARIUM IV.

412. Si Diameter Convexitatis in Lenticula Plano-convexa & utrinque Convexa eadem fuerit, nempe = 1; erit distantia Foci prioris 1, posterioris $\frac{1}{2}$, consequenter Semidiameter Objecti AB ad apparentem in casu priore, ut 1 ad 8; in posteriore, ut $\frac{1}{2}$ ad 8 (§. 409), hoc est, ut 1 ad 16. Diameter ergo Objecti in casu posteriore duplo major, quam in priore. Lenticula itaque duplo magis eam amplificat, si fuerit utrinque Convexa, quam si Plano-convexa.

COROLLARIUM V.

413. Si Semidiameter Convexitatis majoris in Lenticula utrinque inæqualiter Convexa fuerit a , Semidiameter minoris b ; erit Foci distantia $2ab : [a+b]$ (§. 189.). Cum adeo sit ad distantiam Foci Lenticulæ utrin-

que æqualiter Convexæ, cuius Semidiameter Tab. = a , ut $2ab : a+b$ ad a (§. 193), hoc est; ut VII $2ab$ ad $aa+bab$, sitque $2ab < aa+bab$, ob a Fig. $> b$ per hypoth. adeoque $aa > ab$ (§. 180. Arithm.); distantia Foci Lenticulæ inæqualiter Convexæ minor est distantia Foci æqualiter Convexæ, cuius Semidiameter æqualis Semidiametro Convexitatis majoris, consequenter illa magis Objectum amplificat quam hæc (§. 410).

COROLLARIUM VI.

414. Ex ædverso cum distantia Foci Lenticulæ utrinque inæqualiter Convexæ sit ad distantiam Foci utrinque æqualiter Convexæ, cuius Semidiameter æqualis Semidiametro Convexitatis minoris, ut $2ab : (a+b)$ ad b , hoc est, ut $2ab$ ad $ab+bb$ sitque $2ab > ab+bb$ (§. 180. Arithm.) ob $a > b$ per hypoth. distantia Foci Lenticulæ inæqualiter Convexæ major est distantia Foci æqualiter Convexæ, cuius Semidiameter æqualis est Semidiametro Convexitatis minoris; consequenter illa minus amplificat Objectum, quam hæc (§. 410).

COROLLARIUM VII.

415. Quoniam Convexitas è Sphæra majore majorem aperturam admittit (§. 395); consequenter per eam plures Radii ad Oculum transmittuntur, quam per Convexitatem è Sphæra minore; Objectum clarius cernitur, si Convexitas major Microscopii Objecto obvertitur, quam si minor.

COROLLARIUM VIII.

416. Quia in Lenticula Aquea major est Foci distantia, quam in Vitrea, si nempe fuerint Sphærarum æqualium segmenta, (§. 174. 173. 192. & seqq.); Aquea Objectum minus amplificat, quam Vitrea (§. 407).

COROLLARIUM IX.

417. Quoniam Myopes per Radios divergentes distincte vident Objecta (§. 384. Optic.), Objectum AB proprius Lenticulæ admoveare debent, ut intra Focum & Lenticulam collocetur.

SCHOLION II.

418. Si quis rationem expendit, cur Microscopia simplicia Objectum amplificant; illi non mirum videbitur, quod per idem Microscopium idem Objectum eodem in loco collocatum diversimode auctum apparere possit, prout intentio fuerit illud in viciniora aut remotiore loco videndi: id quod facile experiri datur, si unus Oculus ad Microscopium applicatus ad Objectum, alter vero apertus in locum nunc remotorem, nunc vicinorem dirigatur.

COROLLARIUM X.

419. Cum Radii intra angulum bFa comprehensi magis à se invicem discedant, quo magis Oculus à Lenticula removetur; eo minorem Objecti partem is uno obtutu comprehendit, quo longius à Lenticula distat: unde consultum est, Oculum quam proxime eidem admoveri.

SCHOLION III.

420. Ut Objecta commode in distantia convenientia ad Lenticulam admoveri & in suo situ immota detineri possint; variae excogitatae sunt Microscopiorum simplicium structurae, quarum præcipuas exponere libet.

PROBLEMA XL.

421. Microscopia simplicia construere.

RESOLUTIO.

Ad usum Microscopiorum simplicium commodam Machinulam Æneam variorumque Instrumentorum apparatus invenit JOHANNES DE MUSCHENBROEK, Artifex insignis Batavus: Machinula Instrumentorumque fabrica ex Schematis, quod exhibemus inspectione satis obvia, ut magis singulorum usum indicari, quam illam prolixis verbis describi opus sit.

I. Lenticulæ utrinque Convexæ diversæ Sphæricitatis, ut diversimode amplificant Objecta (§. 407), superini-

positis utrinque Annulis Orichal- Tab.
ceis, ne justo major sit apertura, VIII.
Capsulæ A ex nigro Cornu torna- Fig. 68.
tæ includuntur. Possunt tamen eæ-
dem Capsulæ ex Ebore, Ossibus
Lignoque duriori & rariori torna-
ri. Capsula foramine pertusa, ut
ad Machinulam aptari possit.

2. Machinula ex Orichalco confecta ope trium Globorum B, C & D in omnem situm convenientem facile disponitur & ope Manubrii E communis manu tenetur.
3. Instrumenta, quibus Objecta debita ratione aptata, Tubulo F infiguntur, Capsula vero A Stylo GH. Ita nimirum Stylum Instrumenti, quod Objectum sustentat, versus Lenticulam protrudendo, vel retrahendo, Machinulamque ope Globulorum B, C & D huc illucque versando, Objectum in loco conveniente facile constituitur ibique immotum retinetur.
4. Stylo I agglutinantur Objecta tenuia, plana & exigua, veluti Infecti alicujus Ala vel Foliolum Flosculi.
5. Stylo acuto K infiguntur Objecta parva, non nimis lata, veluti caput aut pes Muscæ, Pulex, Pediculus, frustulum Ligni.
6. Stylo bifurcato L agglutinantur Objecta plana tenuia, oblonga, veluti Fasciola chartæ, lineti, panni, Folia Arborum & Plantarum, Crines.
7. Stylo bifurcato M infiguntur Objecta oblonga & crassiora, veluti Infecta, quæ uni Stylo infixæ se contorquent, qualia sunt Erucæ, Papilio-

- Tab. VIII. nes & Insecta crassiora, veluti Scarabæi, Muscæ.
- Fig. 68. 8. Instrumento N applicantur Tubuli Vitrei Capillares, liquoribus pleni, veluti si Aquam Pipere conditam, Acetum, Sanguinem, Lac contemplari libuerit.
9. Vasculum O, quod beneficio Cochlea aperiri potest, ex Ligno duriori tornatum continet duo Vitra Plana, non polita, Annulo Chartaceo interposito, ut Animacula viva, veluti Pulices, Culices, Acari, Pediculi &c includi possint.
10. Disco Q imponuntur Objecta, quæ reliquis Instrumentis non commode aptantur, veluti granula arenæ, Pulvis farinaceus, salia. Quodsi Objectum non satis firmiter incumbit, Malleo ST in Tubulo P defixo retinetur, parte quidem lata S, sijectum fuerit homogeneum, v. gr. filum, plumula, particula cuticulæ; parte vero acuta, si nullam ejus partem tegi consultum sit, veluti si Alam Insecti, e. gr. Muscæ, Papilionis, Scarabæi, aut integrum quoddam folium Plantæ vel Arboris contemplari libuerit.
11. Fuscinula R, ex Lamina Orichalcea elastica parata, Objectis apprehendis inservit, quæ digitis apprehendi commode nequeunt.

Aliter.

- Tab. IX. 1. Torno ex Orichalco paretur Tubulus Cavus Orichalceus AB, cuius Superficies exterior in Cochleam efformatur, longitudinis paulo minoris, quam est distantia Foci Vitri

- utrinque Convexi, ad illuminandum Objectum, mediante Annulo Cochlea instructo DE ad Basin ejus AC Fig. 69. Tal IX.
2. Fiat Tubulus alius paulo amplior FG itidem ex Orichalco, ad utrumque latus apertum, ut Objectum Microscopio admoveri possit.
3. Ejus Basi superiori GH afferruminetur Elater ex Filo Ferreo in Spiram contorto I, ut Objectum inter Lamellas rotundas K & L eo, quem mox dicimus, modo collocatum & ope Cochlea BC Lenti Microscopicæ decenter admotum in situ suo firmiter retineri queat.
4. Ad Basin HG Cochlea foemina M instructam firmantur Scutellæ N, Cochlea mari O instructæ, in quibus Lentilæ diversarum Sphæricitatuum annulis Orichalceis præmunitæ, ut justa sit apertura, reconduntur.
5. In P afferruminetur Cochlea foemina, ut Stylus Eburneus PQ, quo Microscopium commode tenetur, appetari possit, mediante Cochlea transversim acta R in situ suo immotus retinendus.
6. In Regula Eburnea T excaventur foramina rotunda, ita ut intra ea Circelli ex Vitro Moscovitico excisi glutine aliquo firmari queant, quibus Objecta exigua & pellucida præser-tim, veluti minima Insecta, aut majorum alæ, partes cuticulæ, squamulæ Piscium &c. agglutinari possint.
4. Quodsi Insecta includere volueris, Vitrea Lamella Y tecta, intra Canaliculum quadratum ex Orichalco con-

confectum & foraminibus pertusum
X reponatur.

Regula ista sive solitaria, sive Canaliculo inclusa, inter Lamellas rotundas K & L reposita mediante Cochlea AB Lenticulæ admoveatur, donec Objectum distincte conspici possit.

Quodsi Objecta quædam alia tenuia, & oblonga, veluti linteum, cuticulam, alam Insecti majoris, e. gr. Papilionis, crinem, filum contemplari volueris; Regulæ loco utendum est Instrumento V, cuius structura ex ipsa Figuræ inspectione satis manifesta.

Squis sumptibus parcat, idem Microscopium ex Ligno parare poterit.

Aliter.

Lenticula utrinque Convexa in Capsula AC ex Ligno vel Osse tornata reponatur & mediante Cochlea H ibidem firmetur.

Per pedunculum Ligneum vel Osseum CD trajiciatur Stylus Æneus, cuius superficie aliquæ pars in Cochleam efformata, ut in quolibet situ mediante Cochlea foemina I firmiter detineri possit.

Stylus sit in E Tubulo exiguo instrutus, cui diversa Instrumenta cum variis Objectis superius in apparatu Muschenbroekiano descripta, immittere licet.

Nimirum varia Objecta ad idem Microscopium commode applicari & in suo si firmiter detineri possunt.

Quodsi eidem Capsulæ varias Lenticulae successive indere libuerit, idem eo-

dem modo efficies, quo in Microscopio præcedente.

Aliter.

1. Ex Osse vel Ligno tornetur Tubulus AB.
2. Ad Basin BC aptetur Vitrum Planum, cui Objectum agglutinari debet, v. gr. Pulex, Vermiculus, ala Insecti; particula linteui, seminis granulum exiguum.
3. Ad Basin alteram AD in debita à Vitro distantia applicetur Lenticula utrinque Convexa, cujus Semidiâmeter dimidii circiter digitii.
4. Vitrum Planum Lumini Solari, vel Candelæ ardenti obvertatur.

Quodsi Tubulus ductius fiat, Lenticulae diversarum Sphæricitatum, uti in Microscopio altero, applicari possunt. Solet autem hoc *Microscopium* vulgo appellari *Pulicare*, & loco Lenticulæ adhiberi potest nodulus Convexus ex Vitro potorio nodoso conformato.

S C H O L I O N.

422. *Pulicare Microscopium cum SCHINERUS in itinere è Batavia per inferiorem Austriam in Tyrolim febri correptus ibidemque in pago extintus secum in sarcinula habebat; Prætor & Seniores Pulicem Microscopio inclusum pro Dæmone & ideo SCHEINERUM pro Viro venefico habuere, eum hoc nomine indignum sepultura pronunciantes, donec tandem aperto Instrumento Pulicem agnoverint (a).*

T H E O R E M A LXXVII.

423. *Si Objectum AB fuerit possum in Foco Spherula Vitree E & Oculus p. f. eam, e. gr. in Foco G constitutus; Objectum videtur distincte & stuperfacto, auc-*

Kk. 3. zum

(a) Schottus Mag. nat. Part. i. Lib. X Syntagm. 4. Cap. 1. p. 534. & Ziznius in Oculo Fæd. 3. Syntagm. 3. Cap. 4. Probl. 1. F. m. 534.

Tab.
VIII.
Fig.
71.

Tab. VII. *tum quoad Diametrum in ratione $\frac{3}{4}$ Diametri EI ad eam distantiam, in qua collocanda sunt Objecta, que nudo Oculo distincte videntur.*
 Fig. 72.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Objectum AB in Foco Sphærulae F collocatur, per hypoth. Radii post reflexionem sunt paralleli (§. 203). Oculus ergo sanus Objectum videre debet distincte, vi eorum, quæ de Tubis demonstrata sunt (§. 358). *Quod erat primum.*

Porro quia Oculus in Foco Radiorum parallelorum constitutus, per hypoth. Radius incidens AL, qui post duplē refractionem à Puncto A ad Oculum pertingit, Axi FG parallelus est. Quodsi ergo LD continuetur, donec Axi in H occurrat, ita ut Punctum H sit illud, in quo post primam refractionem Radius AL concurrit (§. 90); erit HG=GI (§. 91. 182) vel GD; adeoque Angulus DGI duplus Anguli DHI (§. 239. Geom.) cumque sit FE=GI per hypoth. HG=FE (§. 78. Arithm.) =AL (quia distantia rectarum AL & FE exigua). Quare cum AL ipsi GH, seu FH parallela, per demonstrata; erit AG ipsi LH parallela (§. 257. Geom.), adeoque LHI=AGI (§. 233. Geom.), consequenter DGI duplus Anguli AGI, (per demonstr. & §. 168. Arithm.). Et quoniam EC=CI (§. 40. Geom.) & EF=IG per hypoth, adeoque CG=CF (§. 88. Arithm.) =CA, ob differentiam contemnendam rectarum AC & CF; Angulus ACF duplus est Anguli AGF (§. 184. 239. Geom.), & hinc ipsi DGI æqualis (§.

177. Arithm.). Videtur ergo Semidiameter Objecti AF sub Angulo AC unde ex iis, quæ ad Propos. 76 monstrata sunt, patet esse Diametrum veram ad apparentem, in Ratione $\frac{3}{4}$. hoc est, cum in F sit Focus Sphæræ, hypoth. $\frac{3}{4}$ Diametri EI (§. 182), ad distantiam, in qua collocanda sunt Objecta, quæ Oculus nudus distincte certabit. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

424. Qui valet Oculis, Objectum distincte non cernet, nisi 8 digitorum intervallum distet (§. 408); amplificant ergo Sphærula Vitrea Diametrum Objecti in ratione $\frac{3}{4}$ Diametri ad intervallum 8 digitorum

SCHOLION I.

425. Sit e.gr. Diameter Sphærulae EI $\frac{1}{10}$ u. digiti, erit CE = $\frac{1}{20}$ & EF = $\frac{1}{40}$ adeoque = $\frac{1}{20} + \frac{1}{40} = \frac{3}{40}$, consequenter Diameter Iecti vera ad apparentem, in ratione $\frac{3}{40}$ alicuius hoc est, 3 a 320, seu 1 ad 103 fere.

COROLLARIUM II.

426. Lenticula utrinque Convexa augmetat Diametrum in ratione Semidiametri = $\frac{1}{2}$ EI ad intervallum 8 digitorum (§. 408). Sphærula autem Vitrea in ratione $\frac{3}{4}$ EI item 8 digitorum intervallum (§. 424). Quare cum $\frac{1}{2}$ EI ad intervallum istud minorum rationem habeat quam $\frac{3}{4}$ EI (§. 204. Arithm.) si Lenticula & Sphærula eandem Diametrum habuerint, Diameter Objecti minoris per Lenticulam ejusdem magnitudinis videtur, quantæ appareat Diameter majoris per Sphærulam (§. 204. Arithm.) consequenter Diameter Objecti per Lenticulam visa major, quam per Sphærulam fas, seu Lenticula magis amplificat Objectum quam Sphærula.

SCHOLION II.

27. Sit e. gr. Diameter Lenticulae utrin-
Convexae EI $\frac{1}{10}$ unius digiti; erit Diamo-
vera ad apparentem in ratione $\frac{1}{20}$ ad 8,
est, 1 ad 160. Ast in Vitrea Sphærula est
ad 103 (§. 425).

COROLLARIUM III.

28. Quia distantia Foci FE in Sphærula
sea $\frac{1}{2}$ EI (§. 183), adeoque CF = EI;
meter Objecti per eam visa amplifica-
in ratione EI ad intervallum 8 digito-
(§. 423). Quare cum Vitrea ejusdem
metri eadem amplificet in ratione $\frac{3}{4}$ EI
intervallum idem 8 digitorum (§. cit.);
em quo ante modo patet, Sphærulam
eam minus amplificare Objectum,
in Vitream.

SCHOLION III.

29. Sit e. gr. Diameter Sphærulae Aquee
 $\frac{1}{10}$ unius digiti, erit FC itidem $\frac{1}{10}$, adeoque
meter Objecti vera ad apparentem in ra-
tione $\frac{1}{10}$ ad 8, hoc est, 1 ad 80. Sed si Vitrea
sit, illa ad banc haberet rationem 1 ad 103
(425).

COROLLARIUM IV.

30. Nec absimili modo colligitur, Sphær-
ulam minorem magis amplificare Objec-
tum, quam majorem.

PROBLEMA XLI.

431. Sphærulas Vitreas quantumlibet
guas conficere.

RESOLUTIO.

I. Vitri puri frustulum valde exiguum,
quod Filo Ferreo tenuissimo made-
factum adhæret, ad imam Cerei
flammam cœruleam aut, quod om-
nium optimam, ad flammam Spi-
ritus vini accensi admovereatur, ne
nigredine inficiatur.

2. Ibi cum statim liquefiat & in gut-
lam rotundam abeat, guttula à
flamma removeatur, quæ ex templo
fluiditatem amittet.

3. Lamella Orichalcea admodum te-
nuis complicata perforetur & forā-
mina perquam exigua lœvigentur,
ne ulla in Peripheriis eorum scabri-
ties supersit, quæ ulterius ad tollen-
dum fulgorem fuligine inficere juvat.

4. Sphærula filo adhærens intra intra
Lamellas O ad foramina aptur, ut
ex Figuræ inspectione satis liquet.

Tab.
VIII.
Fig. 73.

COROLLARIUM.

432. Quoniam Sphærulæ longe mino-
res fieri possunt, quam Lenticulae; ex iis
Microscopia omnium præstantissima compo-
nuntur, quæ nempe omnium maxime am-
plificant Objectum.

SCHOLION.

433. Ponamus enim Diametrum Sphæru-
læ esse $\frac{1}{10}$ unius digiti, erit distantia Foci
 $\frac{1}{84}$ adeoque Diameter vera ad apparentem ut
ut $\frac{1}{23} + \frac{1}{84}$, hoc est ut $\frac{3}{84}$ ad 8, seu ut 3 ad
512, vel denique ut 1 ad 170 fere. Superfi-
cies ergo amplificabitur in ratione 1 ad 28900
(§. 406. Geom.) & ipsum Corpus in ratione 1
ad 4913000 (§. 578. 579. Geom.): quod sane
insigne est augmentum.

PROBLEMA XLII.

434. Microscopia ex Sphærulis Vi-
treis componere.

RESOLUTIO.

Per quam commoda sunt Microsco-
pia JOHANNIS DE MUSSCHENBROEK, Tab.
VIII. quæ adeo primo loco describere libet. Fig. 74.

1. Lamina plana AB, ornatus gratia cir-
ca marginem excisa, Tubulo extus
quadrato, intus cavo CD ita junga-
tur mediante clavo B, ut Tubulus
ope Cochlear E propius ad eam ad-
moveri & ab ea rursus removeri
possit.

2. Quare ut in eodem situ firmiter deti-
neatur Tubulus CD, benevio ejus-
dem

Tab.
VII.
Fig. 74.

dem clavi B inter eum & Laminam AB aptetur Lamina Elastica ex Chalybe parata , qualis est altera FG in usum alium lateri ejusdem Tubuli annexa , ut nempe beneficio Cochlear L lateraliter protrusus Tubulus CD in situ suo firmiter persistat.

3. Laminæ AB afferruminetur Tubulus I cum Brachiolo mobili IMK , cui

4. Lamella Orichalcea MN cum geminis limbulis ab , frusto cornu nigricantis in modum Hemisphærii excavato & foramine pertuso utrinque affixa infigatur , ut

Tab. VIII.
Fig. 73.

5. Sphærula Microscopica intra binas Lamellas O debite conclusa in limbos ab immitti & ad Objectum adduci possit.

6. Per Tubulum CD trajiciatur alias Capulo P ex Cornu nigricante confecto infixus , cui omnes Styli superius (§.421) descripti & Tab.VIII. Fig. 68. delineati immitti possunt cum suis Objectis.

7. Ope hujus Styli Objectum attollatur & deprimatur , ope Cochlear L lateraliter ad Lenticulam moveatur, ope denique Cochlear E ad eandem moveatur , donec Oculo in Q applicato distinete cernatur.

8. Denique ut lumen peregrinum arceatur , Machinamentum S in modum Cistulæ ex Orichalco effectum cum Lamella variis foraminulis pertusa & circa clavum V mobili limbulis ab Lamellæ Corneæ substantiæ MN affixa immittatur.

9. Et ut fluida accuratius contemplari

liceat , Instrumento X inseratur frustum Vitri Moscowitici & Uncellum firmetur , eique guttula affundatur à Microscopia avertenda , ne Sphærulae Superficies sordibus inficiantur & pelluciditatem amittat.

10. Similiter Vitrum Moscowiticum a glutinari potest Circello Z , receptum Objecta exigua pellucida.

Aliter.

Elegans quoque est Microscopii strutura , quod manu Viri plurimum Reverendi & Mathefeos apprime periti GDOFREDI TEUBERI manu elaborato dono ipsius possideo. Ecce tibi eas

1. Ex Orichalco parentur duæ Lamelle rotundæ AB & CD , quarum una AB Stylo Eburneo BE firmata affixa , altera CD mediantibus apibus D eidem infigi & Cochlea cum Rotula G circa eundem Axe mobili per foramen H træcta alii , quantum sufficit , admoveri possit.

2. In I aptetur Sphærula exigua ex Vetro confœcta (§.431).

3. Superficie interiori ejusdem Lamellæ AB affigatur Lamina Elastica M ut Objectum in situ conveniente immotum detineri possit.

4. Alterius vero Lamellæ Superficiei exteriori affigatur Orbiculus K variis raminibus pertusus & circa Axilem fixum mobilis , ut per foramen in Lamella CD in regione Sphæræ effectum nunc major , nunc minor Luminis quantitas ad illuminandum Objectum immitti queat.

5. Denique Objecta, veluti Insecta exigua, Alæ majorum, Lintea, Fila, Membranulae &c. agglutinentur, vel sola saliva madefacta, Orbiculo Vitreo ex altera parte polito, ex altera saltem lævigato, &
5. Orbiculo cum Objectis inter binas Lamellas interjecto, ita ut Sphærulæ respondeat Objectum, & Oculo ad Sphærulam L applicato, ope Rotulæ G Cochleæ F affixæ Objectum in situ convenientem disponatur, tamdiu scilicet Sphærulæ admovendum, vel iterum ab eadem removendum, donec satis distincte certatur.

S C H O L I O N.

435. Qui structuras Microscopiorum similius ex Lenticulis constantium considererit paulo attentius; haud difficulter plures structuras ex Sphærulis conficiendorum ipsem et miniscetur: ut adeo mibi sufficiat eorum recipua delineasse, quæ in meorum Instrumentorum apparatu habentur.

P R O B L E M A X L I I I .

436. Microscopium Aqueum, confire.

R E S O L U T I O.

. Ex Lamina Orichalcea, cuius spissitudo $\frac{1}{2}$ circiter digiti adæquat, paretur Orbiculus AB cum Stylo longiore BD, Capulo Corneo, Ligneo, vel Osseo DE infigendo.

. In facie Orbiculi antica paulo ultra dimidiad ejus spissitudinem excavetur segmentum Sphæricum, cuius latitudo $\frac{1}{8}$ circiter digiti.

In facie postica fiat Cavitas alia Sphæ-

rica, cuius latitudo nonnisi $\frac{1}{16}$ unius digiti, dimidia nempe prioris.

4. In contactu Cavitatum Sphærericarum fiat exiguum foraminulum rotundum, cuius Diameter $\frac{1}{30}$ unius digiti non excedit.

5. Guttula Aquea ope aciculæ complanata aut per exiguum Tubulum immittatur, quæ in foraminulo Sphærulæ figuram exactam assumet.

6. Ut Objecta ope omnis generis Stylorum in apparatu Microscopii MUSCHENBROEKIANI superiorius (§.421) descriptorum ad Focum Sphærulæ decenter applicari & in situ suo immota detineri possint; Brachium IFG cum Tubulo K, qui Stylos cum Objectis recipit, in G affigatur, ope juncturarum I & F quaquaversum mobile & ope Cochleæ L ac Rotulæ M Laminæque Chalybeæ Elasticæ H ad Sphærulam adducendum ac quovis in situ firmiter retinendum.

S C H O L I O N I.

437. Sphærulas Aqueas in usum Microscopii primus adhibuit in Anglia STEPHANUS GRAY (a). Qui idem Auctor est, guttulam fluidi, cui Animalcula innatent, simili foraminis immissam, ad Candelæ aut Luna plena Lumen sine ullo Microscopio adhibito Animalculum mirifice auctum exhibere, quia nempe Radii à Superficie guttulae interiori anterioris Hemisphærii ita reflectuntur, ut sub eodem angulo in Superficiem Hemisphærii posterioris, cui Oculus applicatur, incident, ac si ex Foco Sphærula emanassent. Unde eodem modo ad Oculum propagantur, ac si Objectum extra Sphærulam in ejus Foco constitueretur. Struc-

L1

tu-

(a) Philosoph. Transact. N. 221. p. 281. N. 223. p. 353.

Tab.
VIII.
Fig.
75.

turam tamen GRAYIANAM Microscopii Aquei immutare libuit, quia ea, quam exposuimus, in reliquis quoque Microscopis simplicibus, sive ex Sphærulis, sive ex Lenticulis Vitreis componendis perquam commoda existit. Ceterum me non monente apparet; Sphærulam Aqueam in superioribus quoque Microscopis omnibus adhiberi posse.

SCHOLION II.

- Tab. 4:8. Solent etiam Sphærulae Vitreae Cavæ VIII. Q, quarum Diameter dimidii circiter digiti, Fig. Spiritu vini repleri & Microscopii loco adhiberi: sed Objecta non adeo multum amplificant. (§.423).

PROBLEMA XLIV.

- Tab.X. 439. Microscopium ex duabus Lentis Fig. 77. bus componere.

RESOLUTIO.

1. Lenticula Objectiva vel Plano-convexa, vel utrinque Convexa DE sit minimæ Sphæræ segmentum. habeatque Objectum AB extra Focum F positum.
2. Lens Ocularis GH utrinque Convexa sit majoris, non tamen nimis magnæ Sphæræ segmentum & ita collocetur post Objectum, ut, si fiat $CF : CL = CL : CK$, in K sit Focus Lentis Ocularis.
3. Denique fiat $LK : LM = LM : LI$. Dico, si O fuerit locus, ubi Objectum nudo Oculo distincte videtur, Oculum in I constitutum visurum Objectum AB distincte, situ inverso atque auctum in ratione composita MK ad LK & LC ad CO.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $CF : CL = CL : CK$ per hypoth. erit $CF : FL = CL : LK$ (§ 193. Arithm.) adeoque Radii ex Puncto Cemantibus in Kuniuntur (§.214.217); con-

sequenter Imago Objecti situ inverso ibi delineatur (§.224). Est vero in K Focus principalis Lentis Ocularis GH per hypoth. Radii ergo ad singula Objecti Puncta pertinentes ad Oculum remittuntur paralleli (§.203). Unde ex iis, quæ de Tubis demonstrata sunt (§.358), liquet Objectum videri distincte. Quod erat unum.

Quia Radiorum à Puncto B emanantium unus post refractionem incidenti ad sensum in directum jacet (§ 243); sit Radius iste BG seu LG. Uhietur ergo post refractionem in Lente Oculari GH factam in Puncto I, ita ut sit $LK : LM = LM : LI$ (§.217). Sed ibi collocatur Oculus per hypoth. Ergo Punctum B videtur per Radium IG. Quare cum C videatur per Radium IC; Objectum situ inverso apparet. Quod erat secundum.

Hinc vero ulterius patet, Semidiagrammum Objecti CB videri sub angulo GIM, quæ per hypoth. in O sub angulo COB vel AOC distincte cerneretur. Quodsi ergo NI ducatur ipsi AO parallela; erit angulus NIM ipsi AOC æqualis (§.233. Geom.), adeoque ducta GM ad IM perpendiculari, Semidiameter Objecti vera ad apparentem, ut NM ad GM (§.209. Optic.), hoc est, sumtis GI & IN, ad Sensum æqualibus, pro Sinu toto, ut Sinus anguli NIM seu COB ad Sinum anguli GIM (§.2.Trigon.); consequenter in ratione composita Sinus anguli COB ad Sinum anguli GLI & Sinus anguli GLI ad Sinum anguli GLI (§ 178. 159. Arithm.). Sed sinus anguli GLI ad Sinum anguli GIL, ut GI ad GL (§.33. Trigon.), hoc est; quia

quia GI & IM, itemque GL & LM ad sensum æquales sunt, ut IM ad LM, & Sinus anguli COB ad Sinum anguli GLI seu CLB (§. 156. *Geom.*). vel BLO, ut BL ad BO (§. 35. *Trigon.*), hoc est, quia BL & CL, itemque BO & CO, ob exiguum Objecti Semidiametrum CB, ad sensum æquales, ut CL ad CO. Ergo Semidiameter vera ad apparentem, in ratione composita IM ad LM, & LC ad CO, hoc est, ob LK : LM = LM : LI per demonstrata, adeoque KM : LK = IM : LM (§. 193. *Arithm.*), in ratione composita KM ad LK & LC ad CO. *Quod erat tertium.*

Si Objectum longe ultra Focum distat, Imago ejus paulo ultra eundem à Lente removetur (§. 223). Quare si Objectum Foco sit vicinum, Imago ejus ultra Focum principalem longius distabit (§. 37). In eadem vero Objecti à Foco principali remotioris distantia Imago intervallo minore post Lentem delineatur, si ea segmentum Sphæræ minoris fuerit, quam ubi majoris segmentum extiterit (§. 214): ergo Imago Foco vicini in eadem distantia intervallo majore post Lentem delineatur, si ea segmentum Sphæræ minoris fuerit. Unde manifestum est, rationem KM ad LK fore minorem in illo casu (§. 205. *Arithm.*); consequenter, cæteris manentibus iisdem, etiam compositam ex KM ad LK & LC ad CO minorem esse in isto casu, quam si Lenticula Objectiva Sphæræ majoris segmentum fuerit (§. 180. 159. *Arithm.*). Præstat adeo Lenticulam Objectivam valde exiguae Sphæræ segmentum esse. *Quod erat quartum.*

Denique si Lens Ocularis GH parvæ Tab. X. fuerit Sphæræ segmentum, ratio ipsius Fig. 77. KM ad LK, minor est, quam si magnæ segmentum extiterit (§. 203. *Arithm.*); consequenter, cæteris manentibus iisdem, in eodem casu compositam quoque ex KM ad LK & LC ad CO minorem esse (§. 189. 159. *Arithm.*). Objectum adeo magis amplificatur, si Lens Ocularis GH exiguae fuerit Sphæræ segmentum, per demonstrata. Quoniam tamen Lens, quæ est segmentum Sphæræ majoris, majorem Imaginis partem subtendit, quam quæ segmentum minoris existit, in illo casu major Campus uni obtutui patet, quam in altero. Præstat igitur Lentem Ocularem GH esse segmentum Sphæræ nec nimis magnæ, nec nimis parvæ. *Quod erat quintum.*

COROLLARIUM I.

440. Quo magis Objectum per Microscopium amplificatur, eo minor ejus pars uno obtutu comprehenditur.

COROLLARIUM II.

441. Eidem Lenti Oculari jungi possunt successive diversarum sphæricitatum Lenticula Objectivæ, ut & Objecta integra, sed minus amplificata, & ejus partes sigillatim tantum, sed multum auctas per idem Microscopium contemplari liceat; quo in casu ob diversam Imaginis distantiam Tumbum ductitum esse oportet, cui Lentes immittuntur.

SCHOLION I.

442. Commendatur ratio subdupla, itemque subsesquies sexta Lentis Objectivæ ad Ocularem. Semidiametrum Convexitatis in Objectiva ad summum esse jubet DE CHALES (a) digitii dimidii aut $\frac{1}{3}$ ejus; in Oculari digitii integri, vel unius

(a) Dioptr. Lib. II. Prop. 58. f. 720. Tom. III. Mund. Math.

Tab.X. *cum dimidio.*¹ *Alii tamen Vitrum Objectivum Fig.77. trium digitorum, Oculare digitorum sex admittunt.* R.P.CHERUBIN (a) *Vitri Objectivi Semidiametrum facit $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{3}$ aut $\frac{1}{2}$ digiti; Semidiameter vero Vitri Ocularis $1\frac{3}{4}$, vel $1\frac{1}{2}$ digiti.*

COROLLARIUM III.

443. Quoniam per ea, quæ ad Problema 33 (§.376) demonstrata sunt, distantia Imaginis LK à Lente Objectiva DE major est, si Lenti Objectivæ ante Focum ejus jungatur utrinque Concava; ex Demonstratione Propositionis præsentis colligitur, Objectum magis amplificari, si inter Lenticulam Objectivam DE & Ocularē GH, concava dicta ratione ponatur.

SCHOLION II.

444. *Præstantiam hujus Microscopii prædat Cl. JOHANNES MICHAEL CONRADI (b), usus Lente Objectiva utrinque Convexa, cuius Semidiameter 2 digitorum, apertura grano siniapi æqualis; Lente utrinque Concava 12, ad summum 16 digitorum, & Lente Oculari utrinque Convexa 6 digitorum.*

COROLLARIUM IV.

445. Cum Imago ad majorem distantiam proiciatur, quo propius Lenticulæ Objectivæ jungitur alia majoris Sphæræ segmentum (id quod facillime non modo experiri, verum etiam ex superioribus Principiis demonstrare licet); ex tribus Lentibus Microscopium componere licet, quod insigniter amplificet Objecta.

COROLLARIUM V.

446 Ex Demonstratione Propositionis præsentis liquet, Objectum magis amplificari, si Lens Ocularis fuerit minoris Sphæræ segmentum, sed Campum visionis majorum esse, si eadem majoris Sphæræ segmentum extiterit (§.439). Quodsi itaque duæ Lentes Oculares, quorum altera majoris, altera minoris Sphæræ segmentum, ita com-

binentur, ut per eas Objectum valde vicinum, hoc est, non ultra Focum primæ distans, videatur admodum distincte, & sic combinatæ jungantur Lenticulæ Objectivæ; Objectum & valde auctum videbitur, & major erit Campus visionis, quam si unica Lente Oculari utaris.

COROLLARIUM VI.

447. Magis adhuc amplificabitur Objectum & major simul haberi poterit Campus Visionis, si & Lens Objectiva, & Ocularis geminentur (§.445, 446).

SCHOLION III.

448. Quoniam tamen Objectum videtur obcurum, si Lentes plures adhibeantur, quia pars aliqua Radiorum in transitu per singulas Lentes reflectitur: Lentium multiplicatio probari nequit. Unde præstantissimum inter composita habetur, quod ex una Lenticula Objectiva & duabus Ocularibus juxta Cor. §. (§.456) componitur.

SCHOLION IV.

449. DE CHALE S (c) pro Microscopio ex tribus Lentibus componendo commendat Lentem Objectivam $\frac{1}{3}$ vel $\frac{1}{4}$ digiti, Lentem Ocularem primam duorum digitorum aut digitorum duorum cum dimidio. Distare autem jubet Lentes Oculares intervallo 20 circiter linearum. Sed puto, distantiam optime per Experimentiam definiri eo, quem Cor. §. (§.446) exposui, modo. Idem pro Microscopio 4 Lentium laudat Lentem Objectivam 6 linearum, Ocularem primam 21, secundam 18, tertiam 15 linearum. Describit etiam (d) Microscopium DEMONCONISII ex tribus Lentibus compositi. Lens Objectiva in eo erat digiti unius cum una circiter linea, ejus apertura linea unius cum dimidia; Lens Ocularis prima digitorum duorum cum dimidio, ab Objectiva quindecim digitorum intervallo remota; Lens Ocularis altera digiti unius cum quinque lineis, distans ab Oculari prima, uno di-

(a) Dioptr. Oculaire Part. 3. C. 3. f. 217.
(b) Im Dreyfach gearteten Sehe-Strahle, Part. 3. C. 3. §. 78. p. 109.

(c) Dioptr. Lib. II. Prop. §8. f. 721. Tom. 3. Mund. Mathem.

(d) Dioptr. Lib. II. Prop. 30. Mund. Math. Tom. 3. fol. 705.

ito & novem lineis, Oculo dimidii digitii intervallo remoto. Cl. CONRADI (a) testatur, se felici successu fabricasse Microscopium & Lenticula Objectiva digitii dimidiis & uobus Ocularibus valde vicinis digitorum natus. Excellentissimum deprehendit, cum in locum Lenticula Objectiva substitueret duas lentes utrinque Convexas digitorum duorum ut unius cum dimidio se mutuo fere continentes cum apertura vix linea dimidia. EuseBIUS DE DIVINIS (b) loco Lentis Objectiva utrinque Convexa usus est duabus Lenticulis Plano-convexus, quarum Convexitates secundum, contingebant. JOANNES FRANCISCUS GRINDELUS AB ACH (c) etiam pro utraque Lente. Oculari substituit geminam utrinque Convexam, quarum unius Convexitas Convenitatem alterius fere, non tamen prorsus contingit. R. P. ZAHNIUS (d) Microscopium Bioculum non sine successu construxit, idque duplaci modo, quod apud ipsum videri potest, um magis curiosum, quam utile sit. Nos aliquot Microscopiorum compositorum fabriam externam adhuc exponemus.

PROBLEMA XLV.

450. *Microscopia composita ad Observationes instituendas commoda construere.*

RESOLUTIO.

1. Quodsi Lentium situs immotus esse potest (qualis est in Microscopio trium Lentium, quod *Anglicanum*, appellari solet), Tubus BH ex Ligno tornetur, ita tamen ut ex tribus partibus ABCD, CDEF & EFH constet, medianis Cochleis inter se jungendis.

(a) In Dreyfach gearteten, Sehe-Straße, Part. 3. Cap. 4. §. 82. p. 113, 114.
 (b) Philoloph. Trans. N. 42. p. 842.
 (c) In Microgr. nova, p. 7.
 (d) In Oculo Artific. Fund. 3. Synt. 5, C. 2. f. m. 96. 707.

2. Lenticula Objectiva aptetur in H, Tab.X. Ocularis prima in EF, altera in CD: Fig.78. Oculus vero applicetur in AB. Unde data, per Problema antecedens & ejus Corollaria, structura interna longitudo partium Tubi facile definitur.
3. Pars superior ABCD operculo muniatur, ne Lens Ocularis CD pulvere conspersa vitium contrahat.
4. Pars inferior EH in Cochleam desinat, qua mediante intra Fulcrum firmari & Lenticula Objectiva nunc Objecto admoveri, nunc ab eodem removeri possit, prout usus postulaverit.
5. Orbiculus I cum Brachiolo circa Centrum S mobilis, cui Objecta imponenda, alteram Superficiem habeat albam, alteram nigram, quia Objecta clara ac pellucida nigra, Objecta vero obscurioris coloris albæ imponi consultum est.
6. In R affigatur cum Brachio RP ex variis articulis composito Lens utrinque Convexa Q Annulo Orichalceo conclusa ad Objectum vel Lumine Solis, vel Candelæ aut Lampadis nocturno. tempore illuminandum.
7. Quodsi situs Lentium mutabilis esse debet, Tubus ductitius ex Charta construendus, quemadmodum supra Probl. 29 (§. 337) docuimus.
8. Si Tubum Fulcro firmiter affixum esse malueris, Orbiculus Microscopio Tab.X. AB circa Cochleam L in gyrum Fig.79. acto Lenticula Objectivæ proprius admovendus.

Aliter.

- Tab. X. I. Fiat Tubus ductitius ABC Chartaceus (§. 337), eidemque in D Cochlea Orichalcea aptetur, ut Lenticulae Oculares diversæ Sphæricitatis ibidem firmari possint, prout magis, aut minus amplificari debet Diameter Objecti (§. 441), tum etiam ut Tubus Microscopicus AE ipse ad Pedamentum suum firmari queat.
2. Eum itaque in finem paretur ex Orichalco Annulus D Cochlea foemina instructus & Laminæ EGH ad angulum rectum incurvatae cohærens. Eidem vero Laminæ afferruminetur in H Cochlea foemina alia, quæ
 3. Cochleam I Globuli Orichalcei K intra Matricem M mobilis recipiat, Cohleola L impediente, ne Tubus Brachio forsitan impingente vacillet.
 4. Jam ut Objectum Lenticulae Objectivæ admoveri possit, quantum sufficit; ex Lamina Orichalcea fiat Tubulus N mediante Cochlea nunc coarctandus, nunc laxandus, prout usus postulaverit.
 5. Eidem afferruminetur duæ Laminæ O exiguo intervallo à se invicem distantes, inter quas immittendum Brachium perforatum Annuli Q cum Orbiculo Vitreo, mediante Cochlea V in hoc situ firmandum. Imponuntur autem Orbiculo Vitreo Objecta pellucida & fluidorum guttulae, in quibus Animacula observare libuerit.
 6. Ad Objecta alia applicanda inservit Orbiculus S, cuius altera Superfi-

cies candida, altera nigra, & acicula d: quem in finem non modo Stylus dS huc illucque protrudi & vi Lamellæ Chalybeæ elasticæ e in situ suo firmiter retineri, sed & sustentaculum Styli circa Axem suum moveri potest.

7. Si Circulationem sanguinis in Pisculo observare volueris, Instrumentum TW Annulo Q aptandum.
8. Ad illuminandum Objecta inservit Lens utrinque Convexa X mediante Brachio plicatili Y in omnem situm facile disponenda & ope Cochleæ P ad Pedamentum Microscopii firmando.
9. Columellæ Eburnæ partes duæ in Z ita jungantur, ut Microscopium, si commodum fuerit, inclinari possit.
10. Basis denique Triangularis abc ita construenda, ut inspectio Figuræ docet, quo perinde ac partes reliquæ, si quando commodum fuerit visum, removeri ac in Capsa modicæ magnitudinis totum Instrumentum reponi & de loco in locum transportari possit.
- II. Quomodo Lentes in Tubo sint disponendæ, ex superioribus (§. 439) satis manifestum.

Aliter.

Cum in structura præcedente satis ingeniosa id desiderari possit, quod distantia Objecti à Lente Objectiva paulo difficilior inveniatur, eidem jungere placet aliam Artificis insignis Angli MARSCHALLI, ubi directio Objecti admodum expedita.

- I. Tubi, cui Lentes Oculares in A & B, immit-

immittuntur, Objectiva vero in C aptatur, constructio partim ex Probl. 29 (§. 337), partim ex inspectione Figuræ satis manifesta.

Columella DE mediante Globo E intra Matricem F mobilis, ut Microscopium in quemlibet situm disponere liceat.

Eadem in tot partes 1, 2, 3, 4, 5 &c. divisa, quot Sphæricitatum Lenticulis uti libuerit in contemplandis Objectis, ut citra difficultatem distan-
tia Objecti à Lente Objectiva inveniri possit.

Cum vero ita non satis exacte determinetur, mediante Cochlea GH Tubus Objecto adeo prope admo-
veri potest, quantum sufficit.

Objecta vel imponantur Orbiculo I, vel infigantur aut aptenrur ad Instrumenta illis similia, quæ supra (§. 421) descripsimus, Stylo eorum per Tubulum LM træcto.

Denique ad illuminandum Objectum in convenientem situm disponatur Lens utrinque Convexa NO eo modo ad Pedamentum Microscopii aptanda, qui ex inspectione Figuræ satis manifestus.

S C H O L I O N.

451. Alias Microscopiorum fabricas excor-
arunt R. P. PHILIPPUS BONANNI (a) &
CHRISTIANUS GOTTLIEB HERTELius
(: sed prolixum nimis foret omnes descri-
b'e: HERTELIANUM describitur etiam in
his Eruditorum (c).)

^{a)} Micrographi curios. C. 4. p. 26. & seqq.


^{b)} In novo invento Microscopi.

^{c)} Mens. Julio. A. 1713. p. 316. & seqq.

P R O B L E M A X L V I .

452. *Microscopium reflectens con-
truere..*

R E S O L U T I O.

1. Prope Focum Speculi Concavi AB Tab. X. collocetur Objectum minutum C, ut Imago ejus ipso major formetur in D (§. 253. *Catoptr.*). 

2. Jungatur Speculo Lenticula utrinque Convexa EF, ita ut Imago D sit in Foco ejus.

Videbit ergo Oculus Imaginem inversam (§. 252. *Catoptr.*) seipsa majorem atque distincte (§. 407); consequenter Objectum magis auctum apparebit, quam per Lenticulam solam.

S C H O L I O N.

453. *Microscopii hujus Inventor est Vir incomparabilis ISAACUS NEWTONUS (d).* Sed verendum videtur, ne Objecta appareant minus clara, nisi quis Speculo Cncavo Metallico nitorem conciliare, conciliatum conservare docuerit: quo facto geminus successus sperardus, quem experimur in Telescopio Catadioptrico. (§. 380).

P R O B L E M A X L V I I .

454. *Telescopium quodlibet in Microscopium convertere.*

R E S O L U T I O.

Quia Imago Objecti Foco vicini longiori intervallo à Lente distat, quam remoti (§. 226), eadem vero in Foco Vitri Ocularis constitui debet (§. 439); Telescopium erit Microscopium, si Lentem Objectivam majori intervallo ab Oculari removeris, quod per Experienciam haud difficulter definitur.

C O-

^{d)} Philosoph. Transact. N. 80. p. 380.

COROLLARIUM.

455. Quia distantia Imaginis varia pro diversa Objecti à Foco distantia (§. 226), magnitudo vero Imaginis major est, si ejus à Lente Objectiva distantia major (§. 245); eundem Tubum in Microscopia diversimo de Diametrum Objecti multiplicantia successive convertere licet (§. 439).

PROBLEMA XLVIII.

456. *Microscopia optima parare vel sibi comparare.*

RESOLUTIO.

1. Quoniam multiplex refractio in transitu Luminis per plures Lentes officit Visioni claræ, Lentibus quippe singulis aliquam Luminis partem reflectentibus; Microscopia simplicia ceteris paribus præferantur compositis & minus composita magis compositis.
2. Quia ad distinctam Visionem non modo requiritur, ut Imago sit magna, verum etiam ut sit satis clara; Lenticulæ accurate elaboratæ præfe-

rantur Sphærulis (§. 426), in primis cum clariora Sphærulis exhibeant Objecta ob polituram eximiam, etiamsi non magis quam Sphærulae amplificent Objecta (§. 431).

3. Lenticulæ omni diligentia elaborata ad contemplationem eorundem Objectorum adhibeantur & quæ Objecta magis clare & distincte ceteris repræsentant, feligantur.
4. Observationes propriæ ope alicujus Microscopii factæ comparentur cum Observationibus ab Autoribus factis quorum Microscopia & in Observando dexteritas celebrantur: ita enim innotescet, quam prope ac illorum Microscopia accendant, ex quibus aliquod feligendum.

SCHOLION.

457. *Hoc paſto LEEUWENHOEKIUS, qui in Observationibus Microscopicis parem vix habet, superiorē neminem, Microscopia exquisitissima adeptus, non aliis unquam usus nisi Lenticularibus iisque simplicibus (a).*

CAPUT VIII.

De Machinis quibusdam aliis, præsertim Catoptrico-Dioptricis.

DEFINITIO XXXIV.

458. Per *Machinam Catoptrico-Dioptricam* intelligo talem, quæ ex Speculis & Lentibus componitur.

SCHOLION.

459. Tales igitur sunt, quas superius jam descripsimus, Camera obscura, in quibus Speculorum ope species Objectorum eriguntur (§. 234), Lucerna Lumen valde intensum pro-

ciens (§. 208), *Tubus HUGENIANUS* (§. 360) *Telescopium reflectens NEWTONIANUM* (§. 376) & *Microscopium reflectens* itidem NEWTONIANUM (§. 452).

DEFINITIO XXXV.

460. *Polemoscopium* est *Tubus* recurvus ad spectanda Objecta Oculo non in directum jacentia idoneus.

SCHO

(a) *Philos. Transact. Num. 380. p. 451.*

SCHOLION.

461. Inventor ejus est JOHANNES HEVELIUS (a), qui A. 1637. in id incidit & hoc nomen eidem imposuit, quia in bello ejus esse potest usus.

DEFINITIO XXXVI.

462. *Vas Hydromanticum* est *Vas Aqua plenum*, Imagines Objectorum oris existentium in Aqua innatantes exhibens.

SCHOLION.

463. Spectaculi hujus jucundi Inventor est R. P. ZAHN sacerdos jam nobis laudatus (b).

DEFINITIO XXXVII.

464. *Laterna Magica* est Laternæ uoddam genus, Imagines exiguae, in pposito pariete quantumlibet auctas epingens.

DEFINITIO XXXVIII.

465. *Helioscopium* est Tubus Astronomicus, per quem Solem contemplabitur.

DEFINITIO XXXIX.

466. *Polyoptrum* est Tubus, per quem Objectum videtur multiplicatum: sed unum.

PROBLEMA XLIX.

467. *Helioscopium* construere.

RESOLUTIO.

Quoniam per Vitra colorata citrulli lesionem Solem intueri licet; nouia re opus est, quam ut Lens tam Objectiva, quam Ocularis ex Vitro colorata fiat, illa e. gr. ex rubro, haec ex viidi. Necesse autem est; ut Vitra sint pellucida, nec inaequaliter colorata.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

(a) *Selenograph Prolegom.* f. 24 & seqq.

(b) *Ocul. Artific. Fund.* 3. Synt. 5. C. 1. Tech. f. m. 694.

Aliter.

HEVELIUS, cum intelligeret, raro Vira colorata pellucida & æqualiter colorata haberi posse, duo Vira Plana quomodolibet colorata interjecta Charta cum exiguo foramine vel filo, vel glutine (quo in poliendis Vitis utimur) firmiter connectere & in Tubo ibidem, ubi Oculus admovetur, applicare maluit (c).

Aliter.

Vitrum Oculare Tubi Astronomici super Candela accensa fuligine inficiatur: ita eum in Helioscopium convertes. Vel præstat Vitrum fuligine infectum alteri puro jungere, Annulo Chartaceo crassiori interjecto, & inter Oculum & Vitrum Oculare constituere.

PROBLEMA L.

468. *Polemoscopium* construere.

RESOLUTIO.

Telescopium quodlibet erit Polemoscopium, si Tubus fiat recurvus in *star* Siphonis rectanguli ABDM & inter Lentem Objectivam AB & Ocularem primam GH (si plures fuerint) ita collocetur Speculum Planum in K, ut ipsum quidem ad Horizontem inclinetur sub Angulo semirecto, Imago vero reflexa sit in Foco Ocularis Vitri GH. Ita nimirum Objecta Lenti AB opposita perinde apparebunt, ac si Speculum K abesset & Lens Objectiva cum Objectis in directum jaceret Vitis Ocularibus, vi eorum, quæ superius (§. 360) demonstrata sunt.

COROLLARIUM.

469. Quodsi in O intropicere libuerit, non in M, Speculum Planum alterum N M m adjungi

(c) *Selenogr. Prolegm.* f. 23.

adjungi potest eo, quem supra exposuimus (§. 360) modo.

PROBLEMA LI.

470. *Vas Hydromanticum construere.*

RESOLUTIO.

Fig. 84: I. Fiat Vas Cylindricum ABDC per Diaphragma Vitreum EF non prorsus politum in duas cavitates divisionem.

2. In G applicetur Lens utrinque Convexa & in H inclinetur Speculum Planum Figuræ Ellipticæ sub angulo semirecto, sitque IH & HG distantia Foci Lentis G paulo minor, ita ut locus Imaginum Objectorum per eam radiantium sit intra cavitatem Vasis superiorem.
3. Cavitas inferior intus denigretur, superior autem Aqua limpida repleatur.

Quodsi jam in loco subobscuro Vas collogetur ita ut Lens Objecto à Sole collustrato obvertatur; Imaginem ejus in Aqua natantem videbis (§. 233).

SCHOLION

471. *Vas Hydromanticum esse quandam Camerae Obscuræ speciem, satis liquet, si ejus structuram cum structura hujus (§. 233) conferre libuerit.*

PROBLEMA LII.

472. *Polyoptrum construere.*

RESOLUTIO.

1. In Vitro utrinque Plano AB, cuius Diametér 3 circiter digitorum, excaventur segmenta Sphaerica, quorum latitudo vix quintam digitum paratam adæquat. Quodsi enim Vitrum

sufficienter ab Oculo removeris, donec cavitates omnes uno obtutu comprehendas, veluti per totidem Vitra Cava, Objectum idem toties videbis, quot sunt cavitates, idque valde minutum (§. 293).

2. Vitrum hoc Objectivum aptetur in Tubo ABCD, apertura AB Diametro ejus æquali, altera vero CD tanta existente quanta latitudo Vitri Ocularis (e. gr. unius circiter digiti). Longitudo vero Tubi AC tanta esse debet, quanta est distantia Vitri Ocularis ab Objectivo, per Experientiam facile definienda.
3. In CD aptetur Vitrum Oculare Convexum vel ejus loco Meniscus, habens distantiam Foci principalis paulo majorem longitudine Tubi, ut nempe Punctum, ex quo Radii post refractionem in Lente Objectiva factam divergunt, in Foco ipsius existat.

Quodsi Oculum ad Vitrum Oculare proprius admoveris, Objectum unicum toties videbis, quot cavitates Vitro Objectivo sunt intritæ, sed magnitudine minuta.

PROBLEMA LIII.

437. *Laternam Magicam construere.*

RESOLUTIO.

1. Ex Lamina Ferrea Stanno obducta paretur Laterna ABCD cum Tubo ductilio FG prorsus ut in Probl. 19 (§. 208).
2. In H constituantur Speculum Metallicum Concavum è Diametro unius pedis ad sumnum, ad minimum è Dia-

Diametro 4 digitorum. Vel ejus loco prope extremitatem Tubi aptetur Lens convexa, quæ sit segmentum Sphæræ exiguae, cuius scilicet Diameter paucorum digitorum.

In foco Speculi Concavi vel Lentis collocetur Lampas L cum Ellychnio Gossypino spissiore.

Tubo ad januam Laternæ afferruminate inseratur Lens utrinque Convexa, quæ sit minoris Sphæræ segmentum, seu Focum habeat 3 circiter digitis distantem.

Tubi ejusdem pars extrema FM sit quadrata & crena latiore utrinque instructa, per quam Asserculus quadratus oblongus NO commode trahjici & hunc illucque moveri possit.

In Asserculo fiant foramina rotunda P unius vel alterius digiti; ita tamen ut in parte aversa Cavitates sint quadratae.

Pro amplitudine foraminis delineetur in Vitro Plano quadrangulari ac tenui Orbiculus & in eo coloribus aqueis ac pellucidis pingatur Imago quæcunque.

quodsi Imaginem cavitati Asserculi immisam & inversam ita constituas, ut non ocul à Foco Lentis I distet; in opposito pariete albo prodigiosa magnitudini, suis cum coloribus, situ erecto, in loco obscuro depingetur.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Lampade in Foco Speculi Concavi vel Vitri alicujus Convexi collata Radii parallelis propagantur (§. 24 Catoptr. & §. 203. Dioptr.), Ima-

go multo Lumine illustratur (§. 213. Catoptr. & 86. Opt.), adeoque multos Radios in Lentem I emitit. Quoniam vero prope Focum Lentis I collocatur, per hypoth. ex Demonstratione Probl. 44. (§. 439). manifestum est, quod Picturæ inversæ Imago inversa, ipsaque multo major, post refractionem in Lente I factam in opposito pariete formari debeat, tanto nempe major, qno minoris Sphæræ segmentum Lens fuerit, & quo proprius Pictura Foco Lentis admovetur. In loco igitur obscuro Pictura prodigiosa magnitudine & satis clare representatur. Q.e.d.

Aliter.

Factis singulis, quæ ante præcepimus, Tubo ductilio FG inseratur Lens altera Convexa K, quæ sit paulo majoris Sphæræ segmentum quam I. Quod si enim Pictura Lentis I proprius admovetur, quam in distantia Foci, Radii divergentes ita propagantur, ac si ex P emanarent. Quare si Lens K ita constituantur, ut locus P sit Foco ejus valde vicinus, eodem, quo ante, modo patet, Imaginem Pictura multo majori in opposito pariete exhibitum iri.

SCHOLION I.

474 Ad Lumen intendendum Specula præferuntur Lentibus, quix Focus minori intervallo removetur à Speculo quam à Lente (§. 209. Catoptr. & §. 168. 193. Dioptr.).

SCHOLION II.

475. DECHALES (a) Lentem primam I probat, si fuerit e Diametro 2, 4 aut 5 digitorum
Mm 2

(a) Dioptr. Lib. II. C. 20. f. 608. Tom. III.
Mund. Mathem.

Tab:
XI.
Fig. 86.

Tab. XI. *rum & ad alteram K in ratione subdupla, e. gr. si I fuerit 5 digitorum, ut K sit 10 digitorum. Speculi Diameter juxta eundem 2 digitorum esse debet.* ZAHNIUS (^a) Lentem I jubet esse ex Diametro $\frac{9}{10}$ unius pedis & Lentem K ex Diametro unius pedis & $\frac{1}{3}$; in majoribus illam ex Diametro unius pedis & $\frac{3}{4}$, hanc ex Diametro pedum duorum & $\frac{1}{4}$. *Enimvero in genere notandum est, quæcumque in Instrumentis Dioptricis de Vitrorum proportionibus dicta sunt, non ita præcipi, quasi iis striete sit inherendum, sed ut facilius ad Vitrorum commodam combinationem in praxi pervenire detur.*

SCHOLION III.

476. *Quodsi Animacula quedam eo artificio includas, quod supra in Microscopiorum doctrina exposuimus (§. 421). vel etiam Objecta alia transparentia Selenitidis folio agglutinata in Imaginum loca substituas; Laterna Magica Microscopii vicem præstabit.*

SCHOLION IV.

477. *Denique si eundem Tubum cum suis Vitris Convexus & Imaginibus ad foramen Cameræ obscuræ applices; in ea quoque representationes ad Lumen Solare fieri poterunt.*

CAPUT IX.

De Perspicillis & Dioptrica Analytica.

DEFINITIO XL.

478. *Perspicilla dicuntur Lentes Dioptricæ, quibus utimur ad corrigenda Optica Oculorum vitia. Dicuntur etiam Conspicilla.*

THEOREMA LXXVIII.

479. *Myopibus convenient Perspicilla Concava, sive Plano-concava fuerint, sive utrinque Concava.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam Objecta remota per Radios ad sensum parallellos (§. 93. *Optic.*), vicina per divergentes in Oculum radiant (§ 59. *Optic.*); Myopes vero vicina distincte, remota nonnisi confuse vident (§. 384. *Optic.*); iidem non vident distincte nisi per Radios divergentes,

confuse vero per parallelos. Quamobrem cum Lentes tam Plano-concavæ (§. 280) quam utrinque Concavæ Radios parallelos per refractionem efficiant divergentes (§. 282), ut perinde sit ac si ab Objecto vicino venirent; Myopes per Perspicilla Cava, sive fuerint Plano-Concava, sive utrinque Concava, Objecta remota distincte videre possunt. Medetur itaque Perspicillum istiu'modi ipsorum vitio (§ 384. *Optic.*); consequenter Myopibus convenient Perspicilla Concava, sive Plano-Concava fuerint, sive utrinque Concava. Q. e. d.

DEFINITIO XLI.

480. *Magis Myops dicitur, qui a minorem distantiam Objectum videt distincte.*

(^a) In Oculo Artific. Fund. 3. Synt. §. C. 5. f. 728.

S C H O L I O N.

481. Ponamus distantiam, ad quam collocatum Objectum distincte videtur primum à Titio, esse ad distantiam, qua ab Oculo Semipronii idem removeri debet, ut distincta evadat Visio, in ratione dupla; erit Sempronius magis Myops quam Titius.

T H E O R E M A LXXIX.

482. Magis Myopi convenientiunt Perspicilla minoris Diametri seu Radii; ast minus Myopi Perspicilla majoris Diametri seu Radii.

D E M O N S T R A T I O.

Perspicilla enim minoris Diametri aut Radii Radios parallellos, adeoque ab Objecto remoto advenientes (§. 93. Optic.), efficiunt magis divergentes, quam quæ sunt Diametri aut Radii majoris (§. 280 284). Quamobrem cum magis Myops ad minorem distantiam Objecta videat distincte (§. 480), adeoque magis Myopem per Radios magis divergentes distincte videre constet, quam minus Myopem; Perspicilla minoris Diametri convenientiunt magis Myopi, quæ vero sunt majoris Diametri minus Myopi. Q. e. d.

P R O B L E M A L I V.

483. Determinare Semidiametrum Perspicilli utrinque Concavi, vel Diametrum Plano-concavi pro Myope quocunque.

R E S O L U T I O.

Removeatur Objectum aliquod ab Oculo, quoad absque ullo incommodo distincke videri potest, ut appareat, quanto distare ab Oculis intervallo debeat Objectum, ut distincke à Myope, cuius vitio mederi volueris, videri possit.

Dico hanc ipsam distantiam esse Diameterum Perspicilli Plano-concavi, vel Semidiameterum utrinque Concavi Oculo Myopis applicandi.

D E M O N S T R A T I O.

Quoniam enī Objecta remota radiant per parallellos Radios (§. 93. Optic.), si Perspicillum fuerit Plano-concavum, Punctum dispersus refractorum Diametri Concavatis intervallo ab eodem distat (§. 280); si vero fuerit utrinque Concavum, idem Semidiameteri Concavatis intervallo abest (§. 285). Enimvero in casu priori, distantia Objecti à Myope distincke videndi Diametro Concavatis; in posteriori, autem Semidiametro ejusdem æqualis per construct. Ergo Objectum remotum à Myope in casu priore distincke videtur per Perspicillum Plano-concavum; iu posteriore autem per utrinque Concavum. Q. e. d.

S C H O L I O N.

484. Quodsi Perspicillum ponatur inæqualiter Concavum, Diameter Concavatis unius pro arbitrio assumenda, quemadmodum ex Problemate sequente appareat.

P R O B L E M A L V.

485. Data distantia, ad quam Myops distincke videt Objectum, inventire Specillum utrinque inæqualiter Concavum Myopi conveniens ad distincke videndum Objecta remota.

R E S O L U T I O.

Sit distantia data = d , Semidiameter Concavatis unius = x , alterius = y . Quoniam illa distantia æqualis est distantia Puncti dispersus, quemadmodum ex Demonstratione Præpositionis præcedentis patet; erit (§. 284).

$$\text{Min } 3 \quad x+y:$$

$$\begin{aligned}x + y : 2x &= y : d \\2xy &= dx + dy \\2xy - dy &= dx \\y &= \frac{dx}{2x - d}\end{aligned}$$

Quodsi ergo Semidiameter Concavitatis unius x pro arbitrio assumatur, altera y per Regulam trium invenitur inferendo scilicet :

Ut differentia distantie, ad quam Myops distincte videt Objecta, à Diametro Concavitatis unius, ad eandem distantiam; ita Semidiameter istius Concavitatis, ad Semidiametrum Concavitatis alterius.

SCHOLION.

486. Quoniam quæ de Perspicillis Presbytarum demonstranda sunt, ex Theoria superiori non sine ambagibus deducerentur; igitur placet præmittere, quæ ad Dioptricam Analyticam spectant. Etsi enim in superioribus quoque usi fuerimus hinc inde Analysis ad Demonstrationes vel contrahendas, vel facilitandas; potest tamen Focus, & Punctum dispersus generali quadam Formula determinari, ut specialia Theorematata, ex eadem per modum Corollariorum deducantur.

PROBLEMA LVI.

Tab. XII. 487. Invenire distantiam Foci à Lentice E_f, in quo Radii post duplē Refractionem in Lentie utrinque, sed inaequaliter Convexa concurrunt.

RESOLUTIO.

Sit Axis Lentis KL recta AF, Radius incidentis AD, Centrum Convexitatis inferioris C, superioris c. Sit F Punctum, ad quod tendit Radius post primam Refractionem in D passam, f vero Focus,

seu Punctum, in quo post alteram Refractionem in H factam Axi occurrit. Ex Centro c demittantur in Radium in superiorem Convexitatem incidentem & in Radium semel refractum, perpendicularares cP & cQ, itemque ex Centro C in Radium semel refractum FM & bis refractum fN perpendicularares CM & CN; tandem ex H & D perpendicularares ad Axem DI & HG. Quoniam Radius AD ab Axe parum distat, adeoque Angulus A contemibilis parvitatis existit; erit ID etiam ad AD & GH ad FH perpendicularis. Ex eadem ratione AD = AB = AI, DF = IF = BF, HF = EF = GF & Hf = Ef = Gf.

Sit jam AB = d, BC = a, EC = b, BE = f, BF = x, EF = v, Ef = z, cP = r, CM = t: erit Ac = d + a, FC = v + b, fC = x - a = b + z.

Quoniam sumto cD pro Sinu toto, cP est Sinus Anguli inclinationis cDP (§. 12. Dioptr. & §. 2. Trigon.) & cQ Sinus Anguli refracti cDF (§. 14. Dioptr. & §. 2. Trigon.); erit cP : cQ = 3 : 2 (§. 26), adeoque cQ = $\frac{2}{3}r$. Similiter cum CM fit Sinus Anguli inclinationis in egressu CHM & CN Sinus Anguli refracti ibidem CHN; adeoque CM : CN = 2 : 3 (§. 41.); erit CN = $\frac{2}{3}t$.

Quia ID & cP perpendicularares ad eandem tertiam AP per demonstr. erunt inter se parallelæ (§. 256. Geom.), adeoque (§. 268. Geom.)

$$Ac : cP = AI : ID$$

$$d + a : r = d : \frac{dr}{d + a}$$

Simi-

Similiter quia ID & cQ parallelæ (§. 256. Geom.) ; erit (§. 268. Geom.),

$$FI : ID = Fc : cQ$$

$$x : \frac{dr}{d+a} = x - a : \frac{2r}{3}$$

Unde $\frac{drx - adr}{d+a} = \frac{2rx}{3}$

$$3drx - 3adr = 2rxd + 2arx$$

$$\frac{drx - 3adr}{drx - 2arx} = \frac{2arx}{3adr}$$

$$\frac{drx - 2arx}{drx - 2arx} = \frac{3adr}{3adr}$$

$$x = \frac{3ad}{d-2a}$$

Porro cum CM sit ipsi GH parallela (§. 256.); erit (§. 268. Geom.)

$$FC : CM = FG : GH$$

$$v+b : t = v : \frac{tv}{b+v}$$

Denique quia CN ipsi GH parallela (§. 256. Geom.); erit (§. 268. Geom.)

$$fC : CN = fG : GH$$

$$b+z : \frac{3}{2}t = z : \frac{tv}{b+v}$$

$$\frac{3}{2}tz = \frac{bitv + ztv}{b+v}$$

$$3bitz + 3itzv = 2bitv + 2itzv$$

$$\frac{3}{2}bz = \frac{2bv - zv}{b+v}$$

$$\frac{3}{2}bz = v = x - f$$

$$2b-z$$

$$\frac{3}{2}bz + f = x = \frac{3ad}{d-2a}$$

$$-abz + (2b-z)(df-2af) = 6adb - 3adz$$

hoc est

$$-abz + 2bdf - dz - 4abf + 2afz = 6adb - 3adz$$

$$+ bdz - 6abz + 2afz - dfz = 6adb + 4abf - 2bdf$$

$$z = \frac{6adb + 4abf - 2bdf}{3ad + 3bd - 6ab + 2af - df}$$

Quodsi crassities Lentis / respectu Radiorum a & b atque distantiae Puncti radiantis d fuerit parvitatis contemnen- Tab. dæ, quemadmodum plerunque accidit Fig. 99. & in Demonstrationibus Dioptricis supponi solet ; erit

$$Ef = \frac{6adb}{3ad + 3bd - 6ab} \\ = \frac{2abd}{ad + bd - 2ab}$$

COROLLARIUM I.

488. Si Lens fuerit utrinque aquilater Convexa , erit $a = b$, adeoque $Ef = \frac{2a^2d}{2ad - 2aa} = \frac{ad}{d-a}$. Unde $d - a : d = a : Ef$, hoc est, ut differentia Semidiametri Convexitatis à distantia, quam habet Punctum radians à Lente , ad hanc ipsam distantiam; ita Semidiameter Convexitatum ad distantiam Foci à Lente.

SCHOLION.

489. Cum Semidiameter Convexitatum sit distantia Foci principalis , Punctum vero Radians in Lentem radiet per Radios divergentes ; Corollarium hoc etiam ita efferri potest: ut differentia distantia Foci principalis à distantia Puncti divergentiæ ad distantiam priorem , ita distantia posterior ad distantiam Foci minus principalis.

COROLLARIUM II.

490. Quodsi Punctum radians minorè intervallo à Lente distet quam Semidiametri Convexitatum ; erit $a > d$, adeoque $ad : (d-a)$ quantitas negativa (§. 33. Analyt.); consequenter Focus cadit in eam partem, ad quam est Punctum radians, adeoque virtualis est , seu Radii ex eodem disperguntur post duplē Refractionem. Est vero quemadmodum ante (§. 488): ut differentia Semidiametri Convexitatum seu distantia Foci principalis & distantia Puncti radiantis ad distantiam Puncti radiantis,

ita

Tab.

XII. ita distantia Foci parallelorum ad distantiam Puncti dispersus seu Foci virtualis minus principalis.

Fig. 99.

COROLLARIUM III.

491. Si Lens fuerit Plano-convexa, Semidiameter Convexitatis unius b evadit infinita, adeoque in formula $\frac{2abd}{ad + bd - 2ab}$ quantitas ad respectu ceterarum evadit infinite parva, consequenter nihilo æqualis (§. 3. *Analys. infin.*). Habemus adeo pro distantia Foci Radiorum ab Axe divergentium seu minus principalis, $\frac{2abd}{bd - 2ab}$ seu

$\frac{2ad}{d - 2a}$. Quamobrem & in hoc casu, ut differentia Diametri Convexitatis à distantia Puncti divergentia seu Puncti radiantis ad hanc ipsam distantiam, ita Diameter Convexitatis, hoc est, distantia Foci principalis ad distantiam minus principalis; quemadmodum supra demonstravimus (§. 214.).

COROLLARIUM IV.

492. Quod si etiam hic Punctum Radians per Radios divergentes fuerit inter Lentem & Focum principalem seu à Lente minore intervallo distet, quam Focus principalis, erit $2a > d$; consequenter patet ut paulo ante Formulam esse negativam, adeoque post duplē Refractionem Radios dispergi. Est autem denuo, ut differentia distantia Puncti radiantis à Diametro Convexitatis seu distantia Foci principalis ad distantiam priorem, ita Diameter Convexitatis seu distantia Foci principalis ad distantiam Puncti dispersus, ex quo post duplē Refractionem divergunt Radii, seu distantiam Foci virtualis minus principalis.

COROLLARIUM V.

493. Sive igitur Lens fuerit Plano-convexa, sive utrinque æqualiter Convexa, Radii ex Puncto inter Lentem & Focum principalem in Axe constituto divergentes post

duplicem Refractionem ita disperguntur, ut distantia Puncti dispersus sit ad distantiam Foci principalis, uti distantia Puncti divergentia ad differentiam ejus à distantia Foci principalis (§. 490. 492. *Dioptr.* & §. 173. *Arith.*), adeoque Lentium Convexarum, sive Plano-convexæ, sive utrinque æqualiter Convexæ fuerint, ea est proprietas, quod Radios ex vicinia advenientes ita inflectant ac si è Puncto remotiori emanarent.

SCHOLION.

494. Atque hæc est illa ipsa proprietas, quoniam usus Perspicillorum Convexorum pre Presbytis: quæ cum per Dioptricam Analyticam citra difficultatem pateat, ex Principiis autem superioribus difficulter demonstretur, quemadmodum ex HUGENII Demonstratione Synthetica palam fit (a); Analytice Demonstrari debuit, ut rectius pateat, quam amplius sit Dioptricæ Analyticæ usus, & quantum conduceat illis, qui brevi labore omnem Theoriam complecti voluerint.

COROLLARIUM VI.

495. Quoniam b est Radius Convexitatis inferioris CE; si b supponatur infinita, Convexitas Lentis Plano-convexæ Puncto radianti opponitur. Quod si vero a seu Semidiameter Convexitatis superioris CB fuerit infinita, Superficies Lentis Plana Objecto obvertitur. In casu posteriori cum distantia Foci minus principalis sit $2bd : (d - 2b)$ & ubi $2b > d$, Focus minus principalis tantummodo virtualis est; perinde esse appetet, sive Lentis Plano-convexæ planities, sive Convexitas Puncto radianti ex quo Radii divergunt, obvertatur (§. 49. & seqq.

COROLLARIUM VII.

496. Si Vitrum fuerit utrinque Planum, erit uterque Radius Convexitatis infinitus, hoc est, tam a , quam $b = \infty$, conse-

(a) *Dioptr.* Prop. 20. p. 67. & seqq. Opusc. Posth.

$$\text{consequenter foci distantia} = \frac{2abd}{-2ab} = -d.$$

Cadit adeo, ob signum negativum, Focus versus eam partem, ad quam est Punctum radians, adeoque nonnisi virtualis est, & distantia ejusdem à Vitro est æqualis distantiae Puncti radiantis, hoc est, Radii post Refractionem adhuc ex eo Puncto divergent, ex quo ante Refractionem divergunt; consequenter situs eorum ad se invicem per Refractionem in Lente non immutantur.

COROLLARIUM VIII.

497. Si Radii sint paralleli, distantia Puncti radiantis d infinita evadit, adeoque $2ab$ respectu quantitatum ceterarum evanescit, consequenter distantia Foci principalis $\frac{2abd}{d+bd} = \frac{2ab}{a+b}$, hoc est, summa Semidiametrovorum Convexitatis est ad Diametrum laterutram, sicuti Semidiameter altera ad distantiam Foci principalis, sicuti supra demonstratum (§.189).

COROLLARIUM IX.

498. Quodsi porro Lens fuerit utrinque qualiter Convexa; hoc est, si $a=b$; erit distantia Foci principalis $= \frac{2a^2}{2a} = a$, hoc est, emidiametro Convexitatis æqualis, quemadmodum itidem supra evicimus (§.193).

COROLLARIUM X.

499. Si vero fuerit Semidiameter alterta, veluti b , infinita, erit distantia Foci principalis $= \frac{2ab}{b} = 2a$, vel si a ponatur infinita, $= \frac{2ab}{a} = 2b$, hoc est, Diametro æqualis; sive Superficies Convexa, sive oncava Puncto radianti opponatur: id denuo convenit iis, quæ in Superioribus demonstrata sunt (§.192.196).

SCHOLION.

500. Eadem Formula facile quoque applicatur ad Meniscos & Vitra Concava, mutatis tantummodo signis, quemadmodum ex sequentibus appetet.

COROLLARIUM II.

501. Quodsi Lens fuerit utrinque Concava, Centrum Concavitatis superioris est superius, inferioris inferius, adeoque uterque Radius fit in Formula negativus: Quantobrem si pro a & b substituas $-a$ & $-b$; procedit distantia Foci $= \frac{2abd}{-ad-bd-2ab}$:

qui valor cum sit negativus, evidens est, Focum esse nonnisi virtualem. Nempe Focus virtualis eodem intervallo distat à Lente Concava, quo Focus seu Punctum concursus in Convexa (487).

SCHOLION.

502. Nimirum si valores negativi sumantur ut positivi (id quod in determinanda distantia Foci principalis fieri debet, cum signum negativum tantummodo indicet Foci distantiam sumendam esse ex altera parte, scilicet hic ante Lentem) terminus ultimus $2ab$ retinet signum negativum, quod habet ex Formula, non ex valore Radiorum a & b negativo (§.34. Analyt.).

COROLLARIUM XII.

503. Quodsi jam fiat $a=b$, seu Lens ponatur utrinque æqualiter Concava; erit distantia Foci virtualis $= \frac{2a^2d}{-2ad-2a^2}$
 $= \frac{ad}{-d-a} = \frac{-ad}{d-a}$, hoc est, ut differentia Semidiametri Concavitatis seu distantia Foci virtualis principalis à distantia Puncti radiantis ad hanc ipsam distantiam, ita distantia Foci virtualis principalis ad distantiam Foci virtualis minus principalis; consequenter in Lente utrinque æqualiter Concava Focus virtualis minus principalis tanto intervallo à Lente distat, quanto ab utrinque æqualiter Convexa removetur principalis (§.488).

COROLLARIUM XIII.

504. Quodsi Radius Concavatis superioris a evadat infinitus, Léns fit Plano-concava & Superficies Plana obvertitur Puncto radianti, consequenter in Formula (§.501) $bd = 0$ & hinc distantia Foci virtualis minus principalis $= \frac{2abd}{ad - 2ab} = \frac{2bd}{d - 2b}$. Et si $b = \infty$, erit $ad = 0$, adeoque distantia Foci virtualis minus principalis $= \frac{2ad}{d - 2a}$. Focus adeo virtualis minus principalis eodem intervallo distat à Lente Plano-Concava, quo Focus minus principalis removetur à Lente Plano-convexa (§.495) ac perinde est, sive Superficies Plana, sive Concava Lentis obvertatur Puncto radianti.

COROLLARIUM XIV.

505. Quodsi distantia d infinita evadat, Radii evadunt paralleli: tum vero $2ab$ evadit infinite parva quantitas respectu ceterarum, & hinc distantia Foci virtualis $- \frac{2abd}{ad + bd} = \frac{-2ab}{a+b}$, hoc est, ut summa Semidiametrorum Concavatis ad Diamentrum alterutram, ita Semidiameter altera ad distantiam Foci virtualis.

COROLLARIUM XV.

506. Si porro Lens fuerit utrinque æqualiter Concava, nempe $a = b$; erit distantia Foci virtualis $\frac{2a^2}{2a} = a$; hoc est, Semidiameter Concavatis æqualis.

COROLLARIUM XVI.

507. Si Lens fuerit Plano-concava, erit Semidiameter alterutra infinita, veluti $b = \infty$, tuncque Semidiameter altera $a = 0$, consequenter distantia Foci virtualis $= -\frac{2ab}{b} = 2a$. Et eodem modo patet, si $a = \infty$, fore distantiam Foci virtualis $= -2b$. Sive igitur Lentis Plano-concavæ Superficies Concava, sive Plana Puncto radianti ob-

vertatur, Focus virtualis Diametri intervallo ab eodem removetur.

COROLLARIUM XVII.

508. Quodsi Radius $cB = a$, evadit negativus, Superficies superior evadit Concava, adeoque Lens convertitur in Meniscum, cuius Superficies Concava Objecto obvertitur & distantia Foci erit $\frac{-2abd}{ad - bd + 2ab}$; si vero Radius $CE = b$ evadit negativus, Superficies inferior evadit Concava, adeoque Lens Convexa in Meniscum abit, cuius Superficies Convexa Puncto radianti obvertitur, eritque distantia Foci $= \frac{-2abd}{bd - ad + 2ab}$.

Perinde igitur est, sive Menisci pars Convexa, sive Concava Puncto radianti obvertatur. Valor Formulae positivus est, si $ad > bd + 2ab$; negativus, si $ad < bd + 2ab$ (§.33.34. Anal. fin.), adeoque in casu priori Focus realis, in posteriori nonnisi virtualis.

COROLLARIUM XVIII.

509. Sit $a=b$, seu Semidiameter Concavatis Semidiametro Convexitatis æqualis; erit distantia Foci $\frac{-2a^2 d}{ad + 2a^2 - ad} = \frac{-2a^2 d}{2a^2} = -$ vel $\frac{-2b^2 d}{bd + 2b^2 - bd} = \frac{-2b^2 d}{2b^2} = -d$, adeoque Focus virtualis est in loco Puncti radianti & tum Meniscus æquivalens Vitro Plano sive Convexitas, sive Concavitas Puncto radianti obvertatur.

COROLLARIUM XIX.

510. Sit $b = 3a$, seu Semidiameter Concavatis tripla Semidiametri Convexitatis, erit distantia Foci $\frac{-6a^2 d}{ad - 3ad + 6a^2} = \frac{-6a^2 d}{6a^2 - 2ad} = \frac{-3ad}{3a - d}$, quæ quantitas positiva, si $d > 3a$, negativa si $d < 3a$, adeoque casu primo Focus realis, in altero virtual est, & Meniscus æquipollit Lentis utrinque qualiter Convexitæ, cuius Semidiameter Convexitatis $= 3a$, seu tripla Semidiametri Convexitatis Menisci a .

Coro

COROLLARIUM XX.

511. Sit $b = 2a$, seu Semidiameter Concavitatis dupla Semidiametri Convexitatis, erit distantia Foci $= \frac{-4a^2d}{ad - 2ad + 4a^2} = \frac{-2ad}{2a - d}$, quæ quantitas positiva, si $d > 2a$, negativa si $d < 2a$, adeoque in casu priori Focus realis, in posteriori virtualis & Lens æquivalens Vitro utrinque æqualiter Convexo, cuius Semidiameter Concavitatis $= 2a$ seu dupla Semidiametri Convexitatis (§. 491. 492).

COROLLARIUM XXI.

512. Fiat $d = \infty$, hoc est, Radii incidentes Axi paralleli; erit distantia Foci $= \frac{-2ab}{a-b}$, adeoque ut differentia Semidiametrov Radiorum Convexitatis & Concavitatis ad Diametrum alterutram, ita Semidiameter altera ad distantiam Foci vel realis, vel virtualis, prout $b > a$ vel $b < a$, quemadmodum supra reperimus (§. 299).

COROLLARIUM XXII.

513. Sit $a = b$, seu Semidiameter Convexitatis Semidiametro Concavitatis æqualis; erit $\frac{-2a^2}{a-a} = \frac{-2a^2}{0} = \infty$ (§. 110. Anal. infin.), seu Focus virtualis infinito intervallo distat, hoc est, Radii post Refractionem adhuc manent paralleli.

COROLLARIUM XXIII.

514. Sit $b = 3a$, seu Semidiameter Concavitatis tripla Semidiametri Convexitatis, erit $\frac{-6a^2}{a-3a} = -\frac{6a^2}{-2a} = 3a$, hoc est, distantia Foci realis Semidiametro Concavitatis æqualis, adeoque Meniscus æquipollens Vitro utrinque Convexo, cuius Semidiameter tripla Semidiametri Convexitatis Menisci, quemadmodum supra reperimus (§. 301).

COROLLARIUM XXIV.

515. Sit $b = 2a$, seu Semidiameter Con-

cavitatis dupla Semidiametri Convexitatis, erit $-\frac{4a^2}{a-2a} = 4a$, adeoque Focus realis Diametri Concavitatis intervallo distat; consequenter Meniscus æquipollens Lenti Plano-convexæ; cuius Semidiameter dupla Semidiametri Convexitatis Menisci, quemadmodum supra reperimus (§. 304).

COROLLARIUM XXV.

516. Si $a = 3b$ vel $a = 2b$, hoc est, Semidiameter Convexitatis fuerit tripla, vel dupla Semidiametri Concavitatis, erit in casu priore distantia Foci $= -\frac{6b^2}{b-3b} = 3b$, in altero $= 6b$, adeoque in casu priore Meniscus æquipollens Lenti utrinque Convexo, cuius Semidiameter tripla Semidiametri Concavitatis Menisci, in posteriori Lenti Plano-concavæ, cuius Semidiameter dupla Semidiametri Concavitatis.

COROLLARIUM XXVI.

517. Menisci igitur minoris Diametri cum æquipolleant Lentibus Convexus majoris Diametri adeoque Focum à Lente magis removeant (§. 514. & seqq.), immo cum haud difficulter inveniatur Meniscus, quæ Focum dato intervallo removeat (§. 310); illarum usus commodus videtur in Tubis prægrandibus, cum Lentes Convexas majoris Diametri admodum difficulter poliantur.

SCHOLION.

518. Enimvero minunt Menisci Campum Visionis, quemadmodum Telescopia Bat. vii. adeoque Tubis longioribus minime conducunt.

THEOREMA LXXX.

519. Presbytis convenient Perspicilla Convexa.

DEMONSTRATIO.

Presbytæ enim remota distinete, vicina confuse vident (§. 381. Optic.).

Quemobrem cum Lentes Convexæ Radios à Puncto vicino advenientes ita inflectant, ac si è Puncto longinquo emanarent (§. 593); Presbytis Perspicilla Convexa convenient. Q.e.d.

D E F I N I T I O X L I I .

520. *Magis Presbyta* dicitur, qui ad majorem distantiam distincte videt VISIBLE; *minus Presbyta* appellatur, qui distincte videt ad distantiam minorem.

S C H O L I O N .

521. *E. gr. Sit distantia, qui terminus distinctæ Visionis est Sempronio, dupla distantia, ad quam Objectum distincte videt Titius; erit Titius magis Presbyta, quam Sempronius.*

T H E O R E M A LXXXI .

522. *Magis & minus Presbytis non convenient Perspicilla ejusdem Convexitatis.*

D E M O N S T R A T I O .

Magis enim Presbyta ad minorem distantiam VISIBLE distincte videt, quam minus Presbyta (§. 520). Jam cum Presbyta distincte videat Objectum vicinum, si Radii ab Objecto vicino advenientes ita inflectuntur, ac si ex termino distinctæ Visionis venirent (§. 493), idem vero Perspicillum Radios eodem modo incidentes diversimode infletere nequeat; idem Perspicillum magis & minus Presbytis convenire nequit. Q.e.d.

P R O B L E M A LVII .

Tab. XII. Fig. 100. *Data distantia AB, ad quam Presbyta distincte absque incommodo videt VISIBLE, invenire Diametrum Perspicilli Convexi eidem convenientis.*

R E S O L U T I O .

Quæratur ad CB differentiam inter distantiam termini distinctæ Visionis datum & AC distantiam Objecti vicini, quod à Presbyta confuse videtur, atque hanc ipsam distantiam AC tertia proportionalis CF; dico AF esse Semidiametrum Perspicilli utrinque Convexi vel Diametrum Plano-convexi Presbytæ convenientis.

D E M O N S T R A T I O .

Etenim si Presbyta distincte videre debet Objectum in C collocatum, ita inflectendus erit Radius, vi refractionis in Perspicillo passæ, ac si ex Puncto B veniret, qui terminus est Visionis distinctæ. Ponamus in F esse Focum principalem ejus Lentis, per quem Presbyta Objectum in C collocatum distincte videt; erit $AC : CF = AB : AF$ (§. 493); consequenter $AC : AB = CF : AF$ (§. 173. Arithm.). Quemobrem cum porro sit $BC : AC = AC : CF$ (§. 193. Arithm.); patet AF esse Foci principalis distantiam, adeoque Semidiametrum Perspicilli utrinque Convexi (§. 498), sive Diametrum Plano-convexi pro Presbyta (§. 499). Q.e.d.

C O R O L L A R I U M .

524. Quodsi quis fuerit magis Presbyta, distantia AB major est, quam si fuerit minus Presbyta (§. 520); consequenter cum distantia AC pro utroque Presbyta sit eadem; AC ad CF majorem rationem habebit, si quis fuerit magis Presbyta, quam minus Presbyta (§. 203. Arithm.); consequenter in priori casu CF minor, quam in posteriori (§. 206. Arithm.), & hinc AF in isto minor, quam in hoc (§. 90. Arithm.)

Arithm.) Magis itaque Presbyræ conve-
niunt Perspicilla minoris Diametri; minus
Presbytæ que sunt Diametri majoris, seu
magis Presbytæ convenientiunt magis Conve-
xa, minus Presbytæ minus Convexa.

PROBLEMA LVIII.

525. *Perspicilla Presbytis ac Myopi-
bus convenientia feligere.*

RESOLUTIO.

Presbyta successive Perspicilla diversæ
Convexitatis, Myops Perspicilla diversæ
Concavitatis Oculis præfigat. Quodsi
absque ullo incommodo clare ac distinc-
te videre possit Objectum; Perspicilla
Oculo convenient. Quodsi vero Oculi
solent vel lachrymantur; eidem mini-
ne convenient.

Aliter.

Quodsi commode explorare volue-
ris, qualis Sphæricitatis Perspicillum
conveniat Oculo cuiuscunque Presbytæ,
vel Myopi, Lentes probatoria tam Pla-
no-Concavæ, quam Plano-convexæ pa-
tentur hoc modo.

I. Vitrum quoddam Orbiculare exakte
poliatur & ex altera parte Superfi-
cies Plana eidem inducatur.

2. Ex altera vero in diversis Catinis
eidem interantur Limbi diversæ
Sphæricitatis ad Centrum usque con-
tinuo crescentis, quod occupat Len-
ticula maximæ Sphæricitatis. Limbi
isti convexi sunt in usum Presby-
tarum, Concavi in usum Myopum.
Quodsi Lentem istiusmodi probato-
riam Oculo admoveris, extemplo
apparebit, per quemnam Limbum
clare & distincte videoas Objectum,
consequenter qualis Oculo conve-
niat Sphæricitas.

THEOREMA LXXXII.

526. *Presbytæ distincte vident Ob-
jectum in Foco Lentis cuiuscunque Con-
vexæ collocatum.*

DEMONSTRATIO.

Præsbytæ enim cum clare ac distincte
videant Objecta remota (§. 381. Optic.);
distincte vident quæ radiant per Radios
parallelos (§. 94. Optic.). Quamobrem
cum Objectum in Foco Lentis cuiuscunque
Convexæ positum radiet per Ra-
dios parallelos (§. 203); Presbytæ dis-
tincte vident Objectum in Foco Lentis
cuiuscunque Convexæ collocatum.

CAPUT X.

De Poliendis Vitris.

PROBLEMA LIX.

27. *Catinos ad polienda Vitræ com-
modos parare.*

RESOLUTIO.

Ex Orichalco, Cupro, Ferro vel Lig-
no fiat segmentum Circuli eo Ra-
dio descriptum, qui Cavitati Catini
desiderati respondet. Describitur
autem segmentum minus Circino X;

mediocre, ejus nempe Radius est
aliquot pedum, Virga Ferrea circa
Punctum fixum mobili & Stylo in-
cisorio in altera sui extremitate ins-
tructa; maximum denique, ejus
Semidiameter 12 pedibus major.
Cortice Saligneo interiore per mo-
dum filii extenso & Annulo Ori-

Orichalceo & Ferreo affixo, in altera vero sui extremitate Stylo incisorio aut Plumbagine instructo, quia is magis extendi nequit, si multum, quam si parum trahatur.

2. Ex Lamina Ferrea vel Cuprea à Fabro cudatur Catinus, donec ejus Cavitas undiquaque congruat Convexitati segmenti. Quodsi vero ex Orichalco aut Ære Catinum fundi malueris, tum ea tenenda sunt, quæ de fundendis Speculis Concavis (§. 201. *Catoptr.*) præcepimus.

Tab. XI.
Fig. 88.

3. Catini ita formati figura perficiatur Torno, quo Figuli Vasorum Stanneorum in conficiendis Patinis ac Discis utuntur, aut super Modulo Lapideo A Virgæ Ferreæ per Rotam radiatam BC transuenti & ope Rotæ dentatae DE ac Manubrii F versatili.

4. Quando Catinus Convexitati Moduli Lapidei arenacei, quo in Machina teritur, undiquaque congruit, à Machina removeatur & Asseri Ligneo Plumbo onusto, si opus fuerit, agglutinetur ac Arena subtiliori per Cibrum trajecta, ne grana sint inæqualia & Superficiem Catini vitient, tamdiu super Modulo Lapideo teratur, donec sulci residui tollantur.

5. Tandem Vitra majora ope Arenæ subtilioris per Cibrum trajectæ in Catino terantur, donec ejus Superficies satis lœvigata motum Vitri nullibi remoretur.

SCHOLION I.

528. *Segmenta Lignea optime parantur*

ex pyro, & ne distorta figuram mutent majorum crassities unius fere sit digiti: propri Peripheriam tamen ex una parte dedolandum est segmentum, ut vix decima digitus crassities Margini relinquatur & Faber adeo Catinorum figuram commodius & exactius examinare queat.

SCHOLION II.

529. *Ad facilitandum motum Torni Mechanica subsidia desiderata suppeditat.*

SCHOLION III.

530. *Latitudo Catinorum tripla esse debet latitudinis Vitri poliendi. Minorum ea si amplitudo, quæ motui manus polientis sufficiat.*

SCHOLION IV.

531. *Perfectum esse Catinum deprehendens si pili longioris per latitudinem ejus extensis Umbra in Camera præsertim Obscura minima distorta appareat.*

PROBLEMA LIX.

532. *Vitra ad poliendum apta feliger*
RESOLUTIO.

1. Imponatur Vitrum Chartæ munda ita enim videbis, quoniam color inficiatur, & eodem tintum est Vitrum colliges. Vitandus autem color nimis fuscus. Et quoniam Vitrum candidissimum venas plurimque habet, & in Ære humectans sua sponte post aliquot annos polituram omnem amittit; HUGENIUS (*a*) optimum ceteris paribus judicat, quod subflavum, leviter rufum aut subviride apparet. HEVELIUS (*b*) leviter cœruleum probat.

2. Vitrum à Vesiculis, Arenulis, Venulis, Vorticibus ac Spiris nocivi immune deprehendens, si Lumen Solare per id transmissum Charta ab excipiatur: singuli enim nœvi per Umbras

(*a*) In Commentariis de formandis Vitris p. 27

(*b*) In Prolegom. Selenogr. 14.

Imbras respondentes detegentur. Quod ei eosdem distinctius cognoscere libuerit, lumen transmissum per Lentem Convexam probatæ fidei trajiciatur, antequam ipsum Charta excipias, vel Canellæ accensæ oppositum per Lentem Convexam respicias. Vitrum vero à venulis ac Vorticibus liberum obtinebis, si Forcipes longiorum brachiorum duo segmenta Sphærica Cava desinentes materiæ Vitreæ in furno colliquatae immittas & massam extractam in furno everberii refrigerari sinas. Præstat etiam Vitrum, si duobus vel tribus diebus nateria Vitraria immota constiterit.

PROBLEMA LX.

§33. *Vitrum ad trituram aptare.*

RESOLUTIO.

1. Si Vitraria Lenticularia aut saltem Orbicularia ex Officina Vitraria non obtinueris, verum Tabulas Vitreas; ope Adamantis in frustula quadrata Tabulae dividantur, & si Vitrum adeo crassum fuerit, ut diffringi nequeat, Tabula panno super mensam strato ita imponatur, ut pars EFCB ultra eam promineat. Ea enim si Instrumento quodam Ferreo percutiatur, juxta ductum rectæ EF dissiliat. Et eodem modo frustum quadratum EBhg à reliquis separabis. Si minor fuerit crassities, ope Cochlearæ manuariae IK idem commode præstabis.
2. In frustulo quadrato utrinque describantur Circino, qui crure Adamantino instructus, duo Circuli Concentrici, quorum interior habeat Diameterum Lentis desideratæ latitudini æqualem, exterior vero paulo major-

rem & Anguli eodem, quo ante, modo separentur, inæqualitates minores residuae ope Cotis in gyrum actæ tollantur.

3. Examinetur Vitrum ope Cochlearæ Manuariae, an ubique æqualis sit crassitie. Quodsi diversa deprehendantur, ad æqualitatem est reducenda, attritione super Lamina Ferrea mediante Aqua & Arena facta.
4. Tandem Virum agglutinetur Capulo Tab. Ligneo NMO, Coemento ex Pice & XI. quarta parte Resinæ, vel ex una parte Ceræ & undecim partibus Colophoniæ parato. Debet autem Basis Capuli NO Vitro æqualis esse & Centrum Vitri cum ejus Centro congruere.

SCHOLION.

534. *Lenticulae minores, qualium in Microscopii est usus, Cera sigillatoria Capulis suis agglutinantur.*

PROBLEMA LXI.

535. *Vitrum Convexum atterere & ad Polituram disponere.*

RESOLUTIO.

3. Catinus Arena per Cribrum trajecta; ut grana sint æqualia, & madefacta, non tamen nimis, ope Lentis huic usui destinatae æqualiter distribuenda, conspergatur & panno crassiori aliquoties complicato imponatur.
2. Capulo manu prehenso Vitrum super Catino in orbem agatur, ita tamen, ut successiue aliis aliisque viis incedat, ne figura Catini depravetur, nec contra Catinum deprimatur.
3. Ubi Vitrum figuram Catini acquisivit, ipsum cum Capulo & Catino mun-

mundetur, ne quid Arenæ pristinæ ullibi adhæreat.

4. Catinus conspergatur primum Pulvere Smiridis madefacto & tamdiu Vitrum teratur, donec omnes inæqualitates fuerint sublatæ. Postea usui esse potest Arena Clepsydralis rubra per Secerniculum coacta, ut grana omnia sint æqualia. Notandum vero est, quod Arena nimis attrita ejici & in ejus locum alia recens substitui debeat. Alii utuntur Pulvere Smiridis successive subtiliori, vel etiam Silicis contusi, quo ad excitandum ignem uti solemus.
5. Tandem in Catino, qui minoris Sphæræ segmentum existit, mediante simili Arena teratur Vitrum, donec marginem obtinuerit declivorem.

Aliter.

Quoniam pressio in medium Vitri non satis exacte determinatur, si manu sola agitetur Vitrum: ideo consultius est, ut utamur Machina sequente, præsertim ubi Vitra Objectiva sunt læviganda.

1. Catinus HI super Tabula Horizon-tali firmiter affigatur.
- Tab. XI. 2. Hujus Centro immineat foramen D, Fig 92. per quod
3. Trajiciatur Stylus Ferreus 5 vel 6 digitos longus & Baculo AB infi-xus.
4. Baculi AB extremum alterum infi-gatur foramini in Capulo C exciso at-que intra ipsum firmetur.
5. Hinc eodem manu prehenso, Vitrum, ut ante, in Catiro mediante Arena madefacta tératur.

SCHOLION I.

536. Ne figura Catini depravetur, Vitrum supra ejus margines in motu suo ascendere debet.

SCHOLION II.

537. HUGENIUS (a) primum usus est Smiride crassa per Linteum Cameracense trajec-ta; deinde Smiridis Pulvere, qui intra spa-tium 40 aut 100 secundorum in Aqua fun-dum petiit, ita tamen ut qualibet Semihora aut quadrante aliquantum Pulveris demeret. Non-nunquam se uum esse fatetur Smiride 50 se-cundorum per $\frac{3}{4}$ horæ, & dein per $\frac{5}{4}$ hora Smiride 400 secundorum & postea adhuc $\frac{1}{4}$ horæ Smiride 45 minutorum.

SCHOLION III.

538. Pulvis è Silicibus in Mortario Fer-reo contusis diversæ subtilitatis itidem obtine-tur, si eum Aqua immittas & Spatula Lignea aliquamdiu agites, colligasque Pulverem ad fundum Vasis certo temporis intervallo præci-pitatum, Aqua in Vas aliud decantata.

PROBLEMA LXI.

539. *Vitra Convexa polire.*

RESOLUTIO.

1. Si Lentes fuerint Sphærarum mino-rum segmenta, veluti Lentes Oculares tam in Tubis, quam in Mi-croscopii.
2. Catinus AB agglutinetur Capulo Ligneo BF eodem cémento, quo Lentes Capulo suo agglutinantur.
2. Paretur puplicula ex Hostiis, quibus in Sacra Cæna utimur, & fascia Chartæ tenuis D pro latitudine Len-tis Cavitati Catini agglutinetur. Glutinis quoque loco esse potest Gummi in aqua solutum.
3. Chartæ affricetur Pulvis Terræ Tri-politanae & Lente probatoria explo-retur, num forte granula quædam crassiora adsint sulcos datura.

4. Tan-

(a) In Commentariis de formandis Vitris, p. 279.

4. Tandem Vitrum Capulo suo affixum super Charta ex Dmoveatur versus C & in Aërem sublatum reducatur in D. Atque hæc Operatio tamdiu continuanda, donec Vitri politura censeatur perfecta.
- I. Si Lentes Objectivæ, quæ majorum in primis Sphærarum segmenta existunt, perpoliendæ; libera manu id nunquam efficies satis accuratae. Construenda igitur est Machina sequens.
- Construatur Tabula rectangula AK quatuor Fulcris firmiter inter se compactis innixa & in medio exscindatur foramen quadratum, cui Cistula CD immittatur mediante Cochlea E ad arbitrium attollenda vel deprimenda, prout nempe usus tulerit.
- In Cistula super panno crassō aliquoties complicato reponatur Catinus, cui ut ante Fascia Chartæ Pulvere Terræ Tripolitanæ conspersa agglutinata.
- Capulo Fagglutinetur Vitrum poliendum & ut Vitrum sufficienter atque æquali propemodum vi ad Catinum apprimatur, Capulus intus excavatur cavitatique massa Plumbi infundatur.
- Capulus inseratur Annulo Ferreo G duobus Corrigiis GH & GI annexo, quorum alterum GH ambiens duos Cylindros circa Axes suos convertibiles in H annexatur Scabello N, ut pede insistentis Capulus cum Vitro versus K adduci possit; alterum vero GI super Cylindrum M itidem mobilem ductum annexum habeat

Pondus I. quantum ad Capulum F versus K adductum retrahendum sufficit.

PROBLEMA LXII.

540 *Vitra Concava polire.*

RESOLUTIO.

Vitra Concava eodem modo poliuntur, quo Convexa, nisi quod loco Catini adhibetur vel segmentum Sphæricum A, vel Sphæra integra B prout jam supra in Catoptrica (§. 204) docuimus. Movetur autem Modulus vel ope Machinæ supra descriptæ (§. 527); vel ope alterius, qua ad Vitra Polyedra polienda utimur (§. 543); vel denique si plures Moduli eidem Virgæ infixi eodem artificio, quo in Mola acuminaria utimur (§. 972. *Mechan.*).

PROBLEMA LXIII.

541. *Vitra Plana polire.*

RESOLUTIO.

Vitra Plana eodem modo poliuntur, quo supra Specula Plana polire docuimus (§. 43. *Catoptr.*).

SCHOLION.

542. *Non exiguae difficultatis est perfectam Vitro planitiem inducere, quia Laminæ Ferreae vel Orichalceæ superficiem exacte Planam habentes nonnisi difficillime parantur.* Unde HAVELIUS (a) majus artificium judicat Superficiem Vitro exacte Planam quam Cayans reddere.

PROBLEMA LXIV.

543. *Vitra Polyedra polire.*

RESOLUTIO.

I. Construatur Machina, in' qua ope Rotæ AB, mediante Cochlea D ad Aſſerculum Planum LM firmatae, & ope Cochleæ alterius BC, una cum Aſſerculo huc illucve adducendæ atque

Tab.
XI.

Fig. 96.

Funis

Tab. X I.
Fig. 96.

Funis ductarii EB movetur Axis FE per Tabulam quadratam NO quatuor Fulcris innixam transiens, cui in Cochleam desinenti infixum est Corpus Hemisphaericum ex Ligno tornatum HG cum Lamina Plana & Orbiculari G firmiter agglutinata.

2. Ex Ligno paretur Quadrans abc, crena bc excisa & Limbo interiore in gradus 90 diviso, cuius Radius sit trium circiter digitorum, latus vero ab excavatum, ut in Cochleam PN Tabulae NO firmiter infixam intrudi & ad datam altitudinem in situ suo mediante Cochlea foemina b detineri possit.
3. Capulus Coniformis Q, cui Vitrum agglutinandum, affigatur Stylo QR per Tubulos R & S trajiciendo, quorum ille in Centro Quadrantis circa Axiculum fixum, hic intra crenam bc mobilis & ope Cochleæ in situ suo firmatur.
4. Vitrum ex ea parte, cui Plana diversa induci debent, in Catino ruditer attritum, donec Convexitatem aliquam acquisiverit, Capulo Q ad gradum Quadrantis decimum, si illud minus crassum, vel ad decimum quintum, si satis crassum fuerit, firmato agglutinetur.

5. Discus Planus G Arena minuta madafacta conspergatur & ope manus sinistræ Capulus Q cum Vitro ad eum approximatur, ope dextræ Rota AB circumducatur: ita prima Planities Centro vicina atteretur.

6. Radio exiguo, sed arbitrariæ magnitudinis hf in Lamella Orichalcea describatur Circulus & ex ejus Centro h Radio dimidio hi alias minor. Inte-

Tab. XI.
Fig. 97.

rior dividatur in tot partes æquales, quot Plana circa Centrum X Lentis Polyedræ TV constitui debent, e. gr. in sex: qui idem Circulus una indicat Plana in secunda serie formanda, Circulus vero exterior dividatur in partes duplo plures, nempe 12 in nostro casu, quæ Planis in tertia serie respondent.

7. Lamella hæc, exciso foramine, applicetur ad Tubulum S & Stylo RQ prope eam infigatur ad Angulos rectos seta suilla, quæ una cum Stylo circa Centrum ejus mobilis.
8. Indiculus in prima Planicie inducenda primo divisionis Puncto Circuli interioris respondere debet; hac vero inducta, Quadrante in eadem altitudine detento, promoveatur ad Punctum divisionis secundum & ita porro, ut reliqua primæ seriei Plana successive atterantur.
9. Ad Plana secundæ seriei inducenda Quadrans elevetur ad gradum vigesimum, si Vitrum fuerit tenue, aut ad vigesimum quintum, immo trigesimum, si satis crassum. Reliqua fiant ut ante.
10. Ad Plana tertiarie seriei inducenda Quadrans elevetur ad gradum trigesimum si Vitrum fuerit tenuę, aut ad trigesimum quintum, immo quadragesimum quintum, si satis crassum. Reliqua fiant ut ante, nisi quod Indiculus ad Puncta divisionis exterioris Circuli sit dirigendus.
11. Quodsi plures Planorum series atterendæ, adhuc altius elevandus est Quadrans.

FIG. DIOPTR. TABL.

Fig. 1.













Fig. 2.







FIG. DIOPTR. TAB. II.















Fig. DIOPTR. TAB. III.






FIG. DIOPTR. TAB. IV.

Fig. 30.




Fig. 31.




Fig. 32.




Fig. 33.




Fig. 33.




Fig. 34.




Fig. 34.








Fig. 36.




Fig. 37.





Fig. 43.




Fig. 45.




Fig. 44.




Fig. 46.




Fig. 47.





Fig. 48.




K H

C

B

Fig. 49.






FIG. DIOPTR. TAB. VI.



Fig. 50.




Fig. 51.

Fig. 52.




Fig. 53.




Fig. 54.




Fig. 55.



Fig. 55.




Fig. 57.





Fig. 56.




Fig. 58.




FIG. DIO PTR. TAB. VII.







FIG. DIOPTR. TAB VIII.






FIG. DIOPTR. TAB. IX.




Fig. 69.






Fig. 81.



FIG. DIOPTR. TAB. X.



Fig. 78.



Fig. 79.




Fig. 80.



Fig. 81.




Fig. 82.



Fig. 83.



Fig. 84.



Fig. 85.



Fig. 86.




Fig. 87.




FIG. DIOPTR. TAB. XI.




Fig. 86.




Fig. 87.




Fig. 94.




Fig. 92.



Fig. 95.




Fig. 96.




Fig. 97.




Fig. 88.







Fig. 89.



FIG. DIOPTR. TAB. XII.







ELEMENTA SPHÆRIGORUM ET TRIGONOMETRIÆ SPHÆRICÆ.

P R A E F A T I O.



UM TRIGONOMETRIA SPHÆRICA propter Astronomiam & ipsi agnatas Disciplinas Geographiam atque Gnomonicam unice discatur ; eam quoque à Trigonometria Plana sejungere ac Astronomiæ immediate præmittere placuit. Usus autem ejus in Phænomenis Motus Diurni ad computum revocandis eluescit : unde ab eadem prorsus abstinere possunt ; quotquot Calculos Geometricos in Astronomia insuper habentes , nonnisi Universi structuram ac pendentes , inde Phænomenorum ratios cognoscere gestiunt. Perfecta Trigonometriæ Sphæricæ cognitio absque Sphæricorum doctrina non datur. Neces-

rium igitur duxi, ut præcipua ex Sphæricis THEODOSII Theorematibus, quamvis alia plerumque ratione, demonstrarem & una Triangulorum Sphæricorum proprietates explicarem, præsertim cum utriusque Doctrinæ ad accuratam Astronomiæ Sphæricæ Tractationem non minor sit, quam ipsius Trigonometriæ Sphæricæ usus. Sphæricorum Elementa cum Trigonometria Sphærica conjunxi, ne numerus Disciplinarum præter necessitatem multiplicaretur. Ob ingentem numerum casuum Trigonometria Sphærica vulgo admodum difficultis habet; sed omnem difficultatem à me sublatam esse mihi persuadeo. Neque enim solum ostendo, quomodo per Regulam Sinuum atque Tangentium omnibus Triangulorum Rectangulorum casibus satissiat more vulgari: verum etiam Regulam vere Cathollicam propono memoriæ facile mandandam, qua in Trigonometria non minus Plana, quam Sphærica omnia de Triangulis Rectangulis Problemata solvuntur. Triangula Obliquangula non majori opera solvuntur, quam in Trigonometria Plana, ita ut Problema omnium difficillimum, quo ex datis tribus Lateribus Anguli investigantur, non plus negotii facessat in Trigonometria Sphærica quam in Plana. Etsi vero non opus esse videatur, ut ex Elementis Sphæricorum omnia ei perspecta sint, qui Regulas Trigonometriæ Sphæricæ sibi familiares reddere earumque veritatem intueri decreverit; integra tamen perlegisse juvat, quia in iis nihil continetur, nisi quod vel ad subsequentia demonstranda, vel ad Partem Astronomiæ Sphæricam firmandam condūcat. Cæterum omnia in his Elementis facilis intelligentur, si ad manus fuerit Sphæra ex Circulis Ligneis vel Chartaceis se mutuo intersecantibus, compacta, cuius structura ex Figura vigesima quinta satis manifesta.

ELEMENTA SPHÆRICORUM

ET

TRIGONOMETRIÆ SPHÆRICAÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Symptomatis Circulorum in Superficie Sphærae descriptorum.

DEFINITIO I.

1. *Sphærica* est Scientia Circulorum in Superficie Sphærae descriptorum.

DEFINITIO II.

2. *Trigonometria Spherica* est Scientia ex tribus Trianguli Sphærici partibus inveniendi reliquas, e. gr. ex duobus Lateribus atque Angulo uno, duos Angulos reliquos cum Latere tertio.

DEFINITIO III.

3. *Triangulum Sphericum* est Triangulum tribus Arcibus Circulorum maximorum Sphærae in ejus Superficie se mutuo intersecantium terminatum.

SCHOLION.

4. *Quinam Circulorum in Superficie Sphærae descriptorum sint maximi infra demonstratur* (§.15).

DEFINITIO IV.

5. *Angulus Sphericus ACE* est inclinatio Planorum CAF & CEF, quibus Sphæra. secatur.

DEFINITIO V.

6. *Sphæra* est Solidum ex rotatione Semicirculi ADB circa Diametrum AB descriptorum.

COROLLARIUM I.

7. Quia Semicirculus ADB Superficiem Tab. I. Sphærae describit, omnes rectæ à Superficie Fig. 2. Sphærae ad Centrum ejus ductæ sunt inter se æquales (§.37. Geom.).

COROLLARIUM II.

8. Quodsi ergo eas ultra Centrum continuaveris, donec Puncto opposito Superficiei Sphærae occurrant; erunt quoque sic continuatæ tum inter se, tum Diametro Circuli genitoris AB æquales.

DEFINITIO VI.

9. *Axis Sphærae* est Diameter Semicirculi genitoris AB, circa quam tanquam quiescentem Sphæra rotari concipitur. Ejus vero *Diameter* est recta à Puncto quodam Superficiei ad Punctum oppositum per Centrum ducta.

COROLLARIUM III.

10. *Axis* igitur est una è Diametris (§.8.9).

DEFINITIO VII.

11. *Poli Sphærae* sunt Puncta Axis extrema A & B.

DEFINITIO VIII.

12. *Polus Circuli in Sphæra* est Punctum in Superficie Sphærae, ad quod è singulis Peripheriæ Circuli Punctis ductæ rectæ sunt inter se æquales.

THEOREMA I.

13. Si Sphæra quomodo cunque seceatur, Planum Sectionis erit Circulus, cuius Centrum in Diametro Sphærae.

DEMONSTRATIO.

Quodsi Planum Sectionis per Centrum Sphærae transit, rectæ omnes ex ejus Perimetro ad hoc Centrum ductæ sunt æquales (§. 7). Est igitur Planum Sectionis Circulus (§. 37. Geom.) & ejus Centrum in Diametro Sphærae, quippe cum Centro Sphærae idem (§. 9). Quodsi Planum intersectionis FGE non transeat per Centrum C; ex hoc ad illud demittatur perpendicularis CD, quæ erit ad rectas quotcunque DG, DE, DF &c. perpendicularis (§. 484. Geom.). Quare cum CE, CG, CF &c. sint inter se æquales (§. 7); in Triangulis CDE, CDG, CDF &c. etiam Bases DE, DG, DF &c. æquales sunt (§. 235. Geom.). Est igitur Planum FGE Circulus (§. 37. Geom.) & ejus Centrum D in Diametro Sphærae AB (§. 9). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

14. Diameter itaque Circuli per Centrum C transversis HI est Diametro Circuli genitoris AB; Diameter vero Circuli per Centrum non transversis FE Chordæ aliqui Circuli genitoris æqualis (§. 6. Sphær. & §. 38. Geom.).

COROLLARIUM II.

15. Quare cum Diameter sit Chordarum maxima (§. 299. Geom.); Circulus Sphærae maximus est, qui per Centrum ejus transit, reliqui vero sunt eodem minores.

COROLLARIUM III.

16. Omnes adeo Circuli maximi in eadem Sphæra sunt inter se æquales (§. 172. Geom.).

COROLLARIUM IV.

17. Si Circulus Sphærae maximus per datum Sphærae Punctum A transit; id est etiam per Punctum Diametraliter oppositum B transit (§. 15).

COROLLARIUM V.

18. Si igitur duo Circuli maximi AEBF & CEDF se mutuo intersectent, Linea Sectionis EF est Diameter Sphærae, adeoque duo Circuli maximi se mutuo intersectant in Punctis E & F Diametraliter oppositis.

THEOREMA II.

19. Circulus Sphærae maximus dividit eam in duas partes æquales seu in duo Hemisphaeria.

DEMONSTRATIO.

Circulus maximus EGDE transit per Centrum Sphærae C. Erigatur ex C perpendicularis ad Planum (§. 502. Geom.) quæ etiam perpendicularis erit ad CD (§. 484. Geom.). Cum sit AC=CD (§. 15) & ACD Quadrans Circuli (§. 143. Geom.), Sphæra vero signatur ex rotatione Semicirculi ADB (§. 6): Hemisphaerium ADGED signatur ex rotacione Quadrantis ACD: Radius vero CD Circulum describit DGED (§. 131. Geom.). Circulus adeo maximus Sphæram dividit in duo Hemisphaeria. Q. e. d.

THEOREMA III.

20. Circuli maximi in Sphæra se mutuo bifariam secant & contra.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Circuli AEBF & CEDF sunt maximi, per hypoth. erit EF Diameter Sphærae & eadem Diameter utriusque Circuli (§. 18). Per rectam igitur EF uterque Circulus CEDF & AEBF bifaria-

bifariam secatur (§. 135. Geom.); consequenter Circuli maximi AEBF & CEDF se mutuo bifariam secant. *Quod erat unum.*

Quodsi Circuli CEDF & AEBF se mutuo bifariam secant, communis intersectio EF est Diameter utriusque Circuli (§. 135. Geom.), & hinc in medio ejus S Centrum. Ducantur rectæ DC & AB per Centrum G; erit DG = CG = EG & AG = GB = GE (§. 40. Geom.), adeoque etiam DG = CG = AG = GB (§. 37. Arithm.). Est ergo G Centrum Sphæræ (§. 7); consequenter uterque Circulus est maximus (§. 15). *Quod erat alterum.*

THEOREMA IV.

21. *Recta ex Polo uno A Circuli in sphera DEF in alterum B per Centrum spherae C transit.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam in A & B sunt Poli Circuli DEF, per hypoth. erit AD = AF & DB = FB (§. 12). Quare cum etiam Arcus ognomines sint a quales (§. 289. Geom.), deoqua AD + DB = AF + FB (§. 88. Arithm.), sive AD + DB + BF + FA eripheria Circuli integri; erit ADBemicirculus, consequenter AB Diameter Sphæræ (§. 135. Geom. & §. 9. phar.). Recta igitur AB ex Polo uno A in alterum B ducta per Centrum Sphæræ C transit (§. 39. Geom.). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

22. Circulus itaque ADBF transiens per polos A & B alterius in Sphæra Circuli DEF est maximus. (§. 15).

THEOREMA V.

24. *Recta AB ex Polo uno A Circuli Tab. I. DEF ducta per Centrum Sphærae C in Fig. 5. Polum alterum B cadit.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam AB per Centrum C transit, ex hypoth. erit AD + DB = AF + FB (§. 135. Geom.). Et quia in A Polus Circuli DEF, per hypoth. erit AD = AF (§. 12), adeoque DB = BF (§. 91. Arithm.); consequenter B est alter Polus Circuli DEF (§. 12). *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

24. *Recta AB ex Polo uno A Circuli DEF per Centrum Circuli G ducta in alterum B incidit (§. 13).*

THEOREMA VI.

25. *Arcus Circuli Sphærae maximi inter alium HIL, & ejus Polos A & B interceptus Quadrans est: qui vero inter Circulum minorem DEF & ejus Polum unum A intercipitur, Quadrante major; interceptus vero inter eundem & Polum alterum B, Quadrante minor.*

DEMONSTRATIO.

Ducatur ex Polo A in alterum B recta AB, transibit ea per Centrum Sphærae C (§. 21), adeoque & Circuli maximi HIL (§. 15), itemque per Centrum G Circuli minoris DEF (§. 24). Est igitur AHB Semicirculus (§. 135. Geom.). Quare cum Chordæ AH & AL æquales sint (§. 12) & Radii HC & CL itidem æquales (§. 40. Geom.), erunt Anguli ad C æquales (§. 204. Geom.), adeoque recti (§. 147. Geom.); consequenter eorum mensuræ AH, AL &c. (§. 57. Geom.) sunt Quadrantes (§. 143. Geom.) & hinc

Tab. I. hinc HB & BL sunt itidem Quadrantes, vi demonstratorum. Arcus adeo inter Circulum maximum HIL & ejus Polos A & B intercepti Quadrantes sunt. *Quod erat unum.*

Quoniam AH & HB sunt Quadrantes, per demonstrata, AD Quadrante major & BD eodem minor (§. 84. *Ariphm.*). Arcus ergo Circuli maximi inter minorem DEF & Polum unum A major; inter eundem & alterum Polum B interceptus minor est Quadrante. *Quod erat alterum.*

THEOREMA VII.

26. Si Arcus Circuli maximi inter alium Circulum Sphaerae & ejus Polos A & B intercepti Quadrantes sunt; Circulus iste maximus erit.

DEMONSTRATIO.

Quoniam A & B sunt Poli Circuli HIL per hypoth. AB per Centrum Sphaerae transit (§. 21). Quare cum AH & HB, itemque AL & BL, sint Quadrantes, per hypoth. AB & HL sunt Diametri Circuli maximi AHBL (§. 135. *Geom.*) seu Sphaerae (§. 9). Ergo in C est Centrum Sphaerae (§. cit.); consequenter HIL est Circulus maximus (§. 15). *Q. e. d.*

THEOREMA VIII.

Tab. I. 27. Si Circulus maximus Sphaerae Fig. 6. ADBE transit per Polos D & E alterius Circuli maximi AFBG; hic vicissim per illius Polos G & F transit.

DEMONSTRATIO.

Sit DFEG Circulus maximus: quoniam in D est Polus unus, in E alter Circuli AFBG per hypoth. erit recta DG = DF & EG = EF (§. 12) & hinc Ar-

cus cognomines æquales sunt (§. 289. *Geom.*). Quare cum Circuli maximi DFEG & AFBG se mutuo bifariam secant (§. 20); erunt GD & DF, itemque GE & FE Quadrantes; consequenter recta GE = GD & recta EF = FD (§. 289. *Geom.*). Sunt igitur G & F Poli Circuli ADBE (§. 12). *Q. e. d.*

THEOREMA IX.

28. Si Circulus maximus ADBE per Polos A & B alterius Circuli maximi DGE transit; se mutuo ad Angulos rectos secant & contra.

DEMONSTRATIO.

Quoniam in A & B sunt Poli Circuli EGD per hypoth. erunt AE & EB Quadrantes (§. 25). Quare cum AE & EB sint mensuræ Angulorum ACH & ECB (§. 57. *Geom.*); erunt Anguli hi recti (§. 143. *Geom.*). Ergo rectæ AC & BC rectæ EC, consequenter Quadrantes ACE & ECB Circulo DEG ad Angulos rectos insistunt (§. 494. *Geom.*). Secant igitur Circuli ADBE & EGD se mutuo ad Angulos rectos (§. 5). *Quod erat unum.*

Si Circulus AEBDA alterum DEGD in E ad Angulos rectos secat: Planum EAD erit ad Planum EGD perpendicularare (§. 5). Ex Centro C erigatur perpendicularis CA; erit eadem ad omnes Radios ex Centro C in Plano EGD ductos normalis (§. 484. *Geom.*), consequenter rectæ ex A ad Puncta singula Peripheriae EGD ductæ æquales sunt (§. 179. *Geom.*). Est itaque A Polus unus Circuli EGD (§. 12), adeoque producta AC in B Polus alter Punctum B (§. 23); ideoque Circulus AEBD per Polos alterius EGD transit. *Quod erat alterum.*

THEO-

THEOREMA X.

29. Si Circulus maximus Sphæra AFBD alterum minorem FED bifariam secet; ad angulos rectos eum secat & per Polos ejus A & B transit.

DEMONSTRATIO.

Quoniam DEF est Semicirculus per hypoth. erit DF Diameter ejus (§. 35. Geom.). Quare si per Centrum Circuli minoris G & Centrum Sphæræ seu maxi-
mi C ducatur recta AB; erunt Anguli AGD & AGF recti (§. 29 I. Geom.), adeo-
que Planum DAF Circulo DEF ad An-
gulos rectos insistit, hoc est, Circulus maximus ADBF minorem DEF ad An-
gulos rectos secat (§. 5). Quod erat unum.

Jam cum Anguli ad G sint æquales (§. 79. Geom.) & $GD = GF$ (§. 40. Geom.) erit $AD = AF$ & $DB = BF$ (§. 179. Geom.). Sunt ergo in A & B Poli Circuli DEF (§. 12). Quod erat alterum.

THEOREMA XI.

30. Si Circulus maximus AFBD tran-
seat per Polos A & B alterius minoris
DEF; secabit eum bifariam & ad an-
gulos rectos.

DEMONSTRATIO.

Quia recta AB ducta à Polo uno A in alterum B, transit & per Centrum Sphæræ seu Circuli maximi C, & per Centrum Circuli minoris G (§. 21. 24); erit $DG = GF$ (§. 40. Geom.); consequenter AG ad DG perpendicularis (§. 29 I. Geom.). Cum adeo Planum ADG Circulo mino-
ri DEF ad Angulos rectos insistat (§. 78. Geom.); maximus minorem ad Angu-
um rectum secat (§. 5). Quod erat
inum.

Et quia DF est Diameter Circuli DEFD, per demonstrata; eundem maxi-
mus bifariam secat (§. 135. Geom.).
Quod erat alterum.

THEOREMA XII.

31. Mensura Anguli Sphærici ACE est Arcus Circuli maximi AE, ex Vertice C tanquam Polo descripti, inter crura CA & CE interceptus.

DEMONSTRATIO.

Quia Angulus Sphæricus ACE idem est cum inclinatione Planorum ACD & CDE (§. 5); ejus mensura eadem est, quæ inclinationis Planorum. Est vero inclinationis quantitas eadem, quæ an-
guli ADE (§. 476. Geom.) & quia in D Centrum Circuli AEB (§. 15), Arcus AE est mensura Anguli rectilinei ADE (§. 57. Geom.). Ergo idem est mensura Sphærici ACE per demonstr. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

32. Quia Plani CEF ad Planum CAF in-
clinatio ubique eadem (§. 509. Geom.); An-
guli in intersectionibus oppositis C & E
æquales sunt.

COROLLARIUM II.

33. Mensura Anguli Sphærici ACE in-
tervallo Quadrantis AC vel EC ex vertice C tanquam Polo inter crura describitur (§. 25).

THEOREMA XIII.

34. Si duo Circuli maximi AEBF &
CEDF se mutuo intersecant in Polis E
& F alterius Circuli maximi ACBD;
transibit is per Polos H & h, I & i Circu-
lorum AEBF & CEDF.

DEMONSTRATIO.

Quoniam in E & F sunt Poli Circuli
ACBD, per hypoth. Circuli AEBF &

Tab.I. CEDF per Polos Circuli ACBD transfig 4. seunt. Ergo vicissim Circulus ACDB tam per Polos H & h Circuli AEBF, quam per Polos I & i alterius CEDF transire debet (§.27). Q.e.d.

THEOREMA XIV.

35. Si suo Circuli maximi AEBF & CEDF se mutuo intersecent, erit angulus obliquitatis AEC distantiae Polorum HI æqualis.

DEMONSTRATIO.

Describatur ex Vertice Anguli E, tanquam Polo, Circulus CADB; erit AC mensura Anguli E (§.31) & Circuius per Polos H & h atque I & i Circulorum AEBF & CEDF transibit (§.34). Est vero CH Quadrans & AI itidem Quadrans (§.25). Ergo CA=HI (§.91. Arithm.). Q.e.d.

THEOREMA XV.

Tab.I. 36. Circuli in Sphæra à Centro ejus C Fig.7. æqualiter distantes GNF & LOK aquales sunt.

DEMONSTRATIO.

Sit AIBH Circulus genitor, ad cuius Diametrum AB sint Chordæ GF & LK perpendicularares: erunt DC & EC eorum distantiae à Centro C (§.225. Geom.) & DF atque EK Radii Circulorum à Centro æqualiter distantium (§.6. Sphær. & §.131. Geom.). Quare cum sit DF =EK (§.298. Geom.); Circuli quoque his Radiis descripti æquales sunt (§.171. Geom.). Q.e.d.

COROLLARIUM.

37. Quia Chordarum parallelarum non nisi duæ DF & EK à Centro æqualiter distare possunt; Circulorum eidem maximo parallelorum nonnisi duo æquales sunt.

THEOREMA XVI.

38. Si Arcus FH & KH itemque GI & IL inter Circulum maximum IMH & minores GNF & LOK intercepti fuerint æquales; Circuli quoque aquales sunt.

DEMONSTRATIO.

Quoniam FH=HK & GI=IL per hypoth. erit etiam PF=PK & GQ=QL (§.291. Geom.) & quia PF & PK, itemque GQ & QL ad IH perpendicularares (per §. cit.), erunt eadem distantiae Circulorum GNF & LOK à Circulo maximo IMH, consequenter à Centro Circuli C (§.15). Est igitur Circulus LOK alteri GNF æqualis (§.36). Q.e.d.

THEOREMA XVII.

39. Circuli à Centro Sphæra C æqualiter distantes sunt eidem Circulo maximo IMH atque inter se paralleli.

DEMONSTRATIO.

Quia Circuli GNF & LOK à Centro C æqualiter distant, erit erecta DE per Centrum ducta ad Diametrum utriusque Circuli GF & LK perpendiculararis (§.225. Geom.). Ergo Radii DF & EK Circulorum GNF & LOK sunt paralleli (§.256. Geom.), qui adeo in rotatione Semicirculi AFKB circa Axem AB Circulos parallelos in Sphæra describunt (§.6). Quod erat unum.

Ducatur Diameter HI per Centrum C ad AB perpendicularis, erit ea Diameter Circuli maximi IMH (§.15). Eodem vero, quo ante, modo porro ostenditur, utrumque Circulum GNF & LOK esse eidem Circulo maximo IMH parallellum. Quod erat alterum.

THEO-

THEOREMA XVIII.

I. 40. Si Arcus FH & GI ejusdem Circuli maximi AIBH inter duos Circulos GNF & IMH intercepti fuerint aequales; Circuli sunt inter se parallelis.

DEMONSTRATIO.

Si IMH fuerit Circulus maximus, de-mittantur ex F & G perpendicularares FP & GQ. Quoniam Arcus FH & GI aequales sunt per hypoth. erunt etiam perpendicularares PF & GQ aequales (§. 298. Geom.). Consequenter Chorda GF Dia-metro IH parallela (§. 256. Geom.); des-cribit adeo recta DF in rotatione Semi-circuli AFB circa Axem AB Circulum GNF Circulo IMH parallelum (§. 6.).

Quodsi Circulus uterque GNF & IMH fuerit minor; dividantur Arcus GAF & IBH bifariam in A & B (§. 293. Geom.). Quoniam GA=AF & IB=BH, per construct. & GI=FH per hypoth. erit AGIB=AFHB (§. 88. Arithm.); conse-quenter AB per Centrum C transit (§. 135 Geom.). Secat igitur Chordas GF & IH bifariam & ad Angulos rectos (§. 291. Geom.); adeoque DF ipsi EH pa-rallela (§. 256. Geom.). In rotatione adeo Semicirculi AFHB circa Axem AB Ra-di DF & EH describunt Circulos pa-rallelos (§. 5). Q. e. d.

THEOREMA XIX.

41. Si duo Circuli in Sphera GNF & IMH à Sphera Centro C inequaliter distent; minor erit GNF, cuius distan-tia à Centro CD major.

DEMONSTRATIO.

Ponamus Circulorum Diametros GF & IH esse inter se parallelas: Quoniam

enim Chordæ à Centro æqualiter dif. Tab. I. tantes aequales sunt (§. 298. Geom.), si Fig. 8. Circuli GNF & IMH non fuerint paral-leli, in Demonstratione facile assumi po-test pro eorum uno alias ipsi æqualis & alteri parallelus. Ducatur jam CB per Centrum C perpendicularis ad GF (§. 216. Geom.), erit eadem perpendicularis ad IH (§. 230. Geom.); adeoque CD & CE sunt distantiæ Chordarum DF & EH à Centro C (§. 225. Geom.) Quare cum Arcus IAH major sit Arcu GAF (§. 84. Arithm.); erit etiam IH > GF (§. 301. Geom.); adeoque Circulus IMH major Circulo GNF (§. 172. Geom.). Q. e. d.

THEOREMA XX.

42. Circuli paralleli GNF & IMH eosdem habent Polos A & B, & si eosdem Polos habent, paralleli sunt, & Arcus Circulorum per Polos transeuntium FH & GI aequales sunt.

DEMONSTRATIO.

Quoniam GF ipsi IH parallela per hy-poth. erit Arcus FH=GI (§. 312. Geom.). Per Centrum C ducatur recta AB Ar-cum GF bifecans in A (§. 293. Geom.), quæ secabit Chordas GF & IH bifariam atque ad Angulos rectos (§. 291. Geom.). Cum adeo Anguli ad D & E sint aequales (§. 145. Geom.) & GD=DF, IE =EH per demonstrata; erit AG=AF & AI=AH (§. 179. Geom.); conse-quenter A Polus Circulorum GNF & IMH (§. 12), & B alter eorundem Polus (§. 23). Quod erat primum.

Si A fuerit Polus Circulorum GNF & IMH; erunt Chordæ AG & AF, item-

Tab. I. que AI & AH (§. 12), adeoque etiam
Fig. 8. Arcus cognomines (§. 298. *Geom.*),
consequenter Arcus FH & GI (§. 91.
Arithm.) æquales. Sunt itaque Circuli
GNF & IMH paralleli (§. 40). *Quod
erat secundum.*

Quia Circuli paralleli GNF & IMH
eundem habent Polum A, per demonstr.
erunt rectæ AF & AG, itemque AH &
AI (§. 12), adeoque & Arcus cognomines
æquales (§. 298. *Geom.*). Sunt
igitur etiam Arcus FH & GI æquales
(§. 91. *Arith.*). *Quod erat tertium.*

THEOREMA XXI.

Tab. I. 43. Si Circulus in Sphera AEBF al-
Fig. 9. terum CEDF fecet, Anguli Sphaericæ,
qui sunt deinceps, AEC & AED sunt
æquales duobus rectis; Verticales vero
AEC & CEB æquales inter se. Prius
etiam valet de pluribus super eodem Arcu
CED ad idem Punctum E constitutis.

DEMONSTRATIO.

Communis intersectio EF est subten-
sa Arcuum EAF & ECF, itemque FBE
& EDF. Quodsi jam per G ducantur
ad EF perpendiculares AB & CD, erit
angulus AGC inclinatio Plani AEGF
ad planum CEGF & AGD inclinatio
ejusdem plani AEGF ad planum DEGF,
angulus denique BGD inclinatio plani
BEGF ad planum DEGF (§. 476. *Geom.*).
Sunt igitur Anguli Sphaericæ AEC,
AED, DEB ut anguli rectilinei AGC,
AGD, DGB (§. 5). Sed anguli recti-
linei AGC & AGD sunt æquales duo-
bus rectis, etiam si plures ad idem Punc-
tum G super eadem recta CD constituti
(§. 147. *Geom.*), & Verticales AGC,

& BGD inter se æquales (§. 156. *Geom.*).
Ergo etiam Anguli Sphaericæ AEC &
AED aut plures ad idem Punctum E
super eodem Arcu CD constituti duo-
bus rectis æquales, & Verticales AEC
& DEB inter se æquales sunt. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

44. Anguli igitur Sphaericæ quotcunque
AEC, AED, DEB, BEC circa idem Punc-
tum E constituti sunt quatuor rectis æquales.

THEOREMA XXII.

45. Arcus Circuli paralleli IG est
similis Arcui Circuli maximi AE, si
uerque inter eosdem Circulos maximos
CAF & CEF intercipiatur.

DEMONSTRATIO.

Quia AEB Circulus maximus, cuius
Poli F & C; erit in D Centrum ejus &
Sphaeræ (§. 15. & §. 23) & CE Quadrans
(§. 25), consequenter EDC rectus.
Quoniam GK parallela ipsi ED, & IK
ipsi AD per hypoth. erunt quoque GK
& IK ad CF perpendiculares (230.
Geom.), adeoque anguli IKG & ADE
æquales (§. 509. *Geom.*). Sunt itaque
Arcus AE & IG similes (§. 141. *Geom.*).
Q. e. d.

COROLLARIUM I.

46. Habent adeo Arcus AE & IG ad
suas Peripherias eandem rationem (§. 170.
Arithm.): consequenter eundem numerum
graduum continent (§. 41. *Geom.*).

COROLLARIUM II.

47. Arcus IG minor est Arcu AE.

LEMMA I.

48. Si due fuerint Curvæ quacun-
que ACDB & AEFGB versus eandem
rectam

rectam AB cavae; continens AEFGB major est contenta ACDB.

DEMONSTRATIO.

Ducantur in Curva contenta Chordæ quotunque AC, CD, DB: producatur BD in E, donec Curvæ continenti occurrat; ducanturque Chordæ intra continentem AE, EF, FG, GB, FB.

Quoniam

$$AE + ED > AC + CD \quad (\S. 300. Geom.)$$

$$EF + FB > ED + DB \quad (\S. 190. Geom.)$$

$$FG + GB > FB \quad (\S. 190. Geom.)$$

$$\text{rit } AE + ED + EF + FB + FG + GB \\ > AC + CD + ED + DB + FB \\ (\S. 90. Arithm.),$$

$$\text{deoqure } AE + EF + FG + GB > AC + CD + DB \quad (\S. 62. Arithm.).$$

Frgo multo magis Curva continens EI GB major contenta ACDB ($\S. 91. Geom.$). Q.e.d.

LEMMA II.

49. Si in duobus Triangulis rectangularibus GD & ACG, Bases aequales AG & GB basentibus, Hypotenusa unius B fuerit major Hypotenusa alterius C; etiam Cathetus illius DG major est Catheto alterius GC.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $DB > AC$ per hypoth. erit $DB^2 > AC^2$ ($\S. 374. Geom.$). Cumque $DB^2 = GB^2 + DG^2$ atque $AC^2 = AG^2 + GC^2$ ($\S. 417. Geom.$); erit etiam $(B^2 + DG^2) > (AG^2 + GC^2)$ ($\S. 89. Arithm.$). Quare cum sit $AG = GB$ per hypoth. adeoque $AG^2 = GB^2$ ($\S. 374. Geom.$), erit etiam $DG^2 > GC^2$ ($\S. 92. Arithm.$); consequenter $GD > GC$ ($\S. 374. Geom.$). Q.e.d.

Aliter.

Concipiamus $\triangle GDB$, ponи super Tab. I. $\triangle AGC$, ita ut GB cadat in GA. Quoniam $GB = AG$ per hypoth. Punctum B cadet in A ($\S. 169. Geom.$). Et quia Anguli recti BGD & AGD aequales sunt; Cathetus GD cadet in GC ($\S. 166. Geom.$). Jam Anguli ADG & ACG sunt acuti ($\S. 218. Geom.$), ACH & ADH vero obtusi ($\S. 239. 66. Geom.$). Quare cum sit $AD > AC$ per hypoth., Punctum D ultra C cadet ($\S. 189. Geom.$). Est igitur $GD > GC$ ($\S. 84. Arithm.$). Q.e.d.

COROLLARIUM.

50. Quodsi ergo duo Circuli se mutuo intersecent in A & B, quia recta ad medium Chordæ communis AB perpendicularis GH per utriusque Centrum transit ($\S. 291. Geom.$) & majoris Radius AD major est Radio minoris AC ($\S. 172. Geom.$); distantia vero Puncti à recta est recta ad illam perpendicularis ($\S. 225. Geom.$); distantia Centri majoris Circuli DG à Chorda communi AB major erit distantia Centri minoris GC.

LEMMA III.

51. Si Circulus minor AFBIA majorum AEBHA secat, Arcus majoris AEB Semicirculo minor, inter Chordam communem AB & Arcum minoris AFB Semicirculo itidem minorem cadit.

DEMONSTRATIO.

Ponamus AFB esse Arcum Circuli majoris: quia Centrum majoris D à Chorda AB longius distat, quam Centrum minoris C ($\S. 50$); erit $AD = DF$ & $AC = CE$ ($\S. 40. Geom.$), adeoque, $DAF = DFA$ & $CAE = CEA$ ($\S. 184. Geom.$). Est vero $CEA > CFA$ ($\S. 188. Geom.$).

Tab. I. Geom.), ergo $CAE > DAF$ (§. 87.
 Fig. II. Arithm.): Quod cum sit absurdum (§.
 84. Aarithm.), AFB Arcus Circuli mino-
 ris, AEB vero majoris esse debet. Q. e. d.

COROLLARIUM.

52. Quia duo Circuli communem Chor-
 dam habentes sibi mutuo ita superimponi
 possunt, ut se mutuo secant; eadem Chor-
 da AB ex Circulo majori Arcum minorem
 AEB aufert, ex minore autem majorem
 AFB , si uterque Arcus fuerit Semicirculo
 minor (§. 48).

THEOREMA XXIII.

53. *Arcus Circuli maximi est Linea
 brevissima, que in Superficie Sphæra ab
 uno Puncto usque ad alterum duci potest.*

DEMONSTRATIO.

Si Sphæra fecetur Plano, Planum istud
 vel per Centrum Sphæræ transit, vel
 Centrum non attingit. In priori casu
 Linea ab uno Puncto ad alterum in Su-
 perficie Sphæræ ducta est Arcus Circuli
 maximi, in posteriori Arcus minoris

(§. 15). Quare si Sphæra Plano sec-
 tur, Linea brevissima inter duo Pun-
 cta intercepta est Arcus Circuli maximi
 §2). Quodsi vero Superficie Cui
 secetur, cujus Perimeter versus un-
 partem Cava, versus alteram Convex-
 tum Linea, quæ in Superficie Sphæ-
 per duo Puncta data transit, necessaria
 versus Arcum Circuli maximi Cava e
 consequenter Arcus Circuli maximi i-
 nor est Curva quacunque versus eandem
 partem Cava (§. 48). Quoniam ve-
 per se patet, Curvam flexuosam ab u-
 nico Puncto usque ad alterum ductam e
 majorem Arcu Circuli maximi inter
 dem Puncta contento; Arcus Circuli
 maximi est Linea omnium brevissim
 quæ in Sphæræ Superficie à Puncto u-
 nico ad alterum duci potest. Q. e. d.

COROLLARIUM.

54. Ergo distantia duorum Puctor in Superficie Sphæræ est Arcus Circuli maxi-
 mi inter ea interceptus (§. 15. Geom.).

CAPUT II.

De Triangulis Sphæricis.

THEOREMA XXIV.

Tab. I. 55. *Si in duobus Triangulis Sphæricis
 Fig. 12. fuerit $A=a$, $BA=ba$ & $CA=ca$;* erit etiam $BC=bc$, $B=b$ &
 $C=c$.

DEMONSTRATIO.

Non differt à Demonstratione Theo-
 rematis 19. Geometria (§. 179).

THEOREMA XXV.

56. *Si in duobus Triangulis Sphæri-
 cis fuerit $A=a$, $C=c$ & $AC=ac$;*

erit etiam $B=b$, $AB=ab$ & $BC=bc$.

DEMONSTRATIO.

Coincidit cum Demonstratione Theo-
 rematis 43. Geometria (§. 251).

SCHOLION.

57. Nimirum Theoremeta de congru-
 tia Triangulorum Rectilineorum ad ques-
 alia Curvilinea extenduntur, modo lat-
 supponantur similia, e. gr. similes Arcus
 parabolici. Quodsi enim ulterius supponan-
 equali-

qualia, tum utique congruere debent. (§. 62. Geom.). Universaliter etiam verum est, quod similes Lineæ, quarum extrema coincidunt, totæ coincident seu æquales sint: alias enim Perpendicula ex Punctis eodem modo determinatis ad rectam positione datam demis- non forent æqualia, consequenter illæ per- rum rationem ad rectam quandam constan- m discerni possent, adeoque similes non fo- nt (§. 24. Arithm.), quod. Hypothesin re- vertit.

THEOREMA XXVI.
58. Si in duobus Triangulis Sphæri- s fuerit $AB=ab$, $AC=ac$, $BC=bc$; it etiam $A=a$, $B=b$, $C=c$.

DEMONSTRATIO.
Quoniam Arcus AB & ab , AC & ac , BC & bc æquales sunt, per hypoth. iam Chordæ cognomines æquales sunt. 289. Geom.). Ergo Triangulum reci- neum abc congruit cum Triangulo BC , si eidem decenter superimpona- r (§. 204. Geom.), consequenter etiam hærica sibi mutuo congruere debent. 57). Q. e. d.

THEOREMA XXVII.
59. In Triangulo æquicruro ABC, anguli ad Basin B & C sunt æquales; & in aliquo Triangulo Anguli B & C ad istn. BC æquales sunt, Triangulum BC est æquicrurum.

DEMONSTRATIO.
Fiat $AD=AE$, erit $BD=EC$ 91. Arithm.). Per C & D, itemque r B & E ducantur Arcus Circulorum maximorum CD & BE. Quoniam AC $=AB$, per hypoth. & $AD=AE$, per- cistr. Angulus vero A utrinque Trian- glo ABE & ACD communis; erit DC $=BE$ (§. 55). Quare cum etiam sit EC

$=BD$, per demonstrata & Basis BC Tab. I. utriusque Triangulo BDC & BEC com. Fig. 13. munis; erit $B=C$ (§. 58). Quod erat unum.

Sit jam $B=C$ per hypoth. Fiat BD $=CE$, ducanturque Arcus BE & CD; erit $DC=BE$, $x=o$ & $m=n$ (§. 55), consequenter $u=y$ (§. 43) & $i=h$ (§. 91. Arithm.). Cum adeo sit $DA=AE$ (§. 55) & $BD=EC$ per construct. erit $AB=AC$ (§. 88. Arithm.). Quod erat alierum.

SCHOLION.

60. Facile apparet, hanc Demonstra- nem valere de omni Triangulo, cuius latera sunt Lineæ similes.

THEOREMA XXVIII.
61. In omni Triangulo Sphærico quod- Tab. I. libet latus est Semicirculo minus. Fig. 14.

DEMONSTRATIO.
Continuentur latera AB & AC , do- nec sibi mutuo occurrant in D. Conti- nuentur quoque latera BA & BC , donec sibi mutuo occurrant in E. Quoniam la- tera Trianguli sunt Arcus Circulorum maximorum in Sphæra (§. 5); ABD , ACD & BCE sunt Semicirculi (§. 20). Ergo Arcus AB , AC & BC sunt Semi- circulo minores. Q. e. d.

THEOREMA XXIX.
62. In omni Triangulo Sphærico BAC Tab. I. duo latera AB & AC simul sumta sunt Fig. 15. tertio BC majora.

DEMONSTRATIO.
Compleatur latus unum AC in Cir- culum AFC, cuius Diameter AF. Fiat $AD=AB$, ducaturque Arcus DAC sub- tensa DC, quæ Diametrum AF in E se- cabit. Quod si concipiamus Semicirculum ADF

Tab. I. ADF rotari circa Axem AF, donec
Fig. 15. arcus AD ipsi AB congruat (§. 57),
 recta ED ipsi EB congruet, adeoque
 æqualis erit. Sed BE + EC > BC (§. 190.
Geom.). Ergo DC > BC (§ 89. *Ariih.*);
 consequenter arcus DAC, hoc est, duo
 arcus AB & AC simul sumti sunt arcu
 BC majores (§. 301. *Geom.*) *Q.e.d.*

THEOREMA XXX.

63. In omni Triangulo Sphærico ABC,
 Tab. I. tria latera junctim sumta AB, BC &
Fig. 14. CA sunt Peripheria Circuli maximi mi-
 nora.

DEMONSTRATIO.

Continuentur latera AB & AC, do-
 nec coëant in D, erunt ABD & ACD
 Semiperipheriae Circulorum maximorum
 (§. 20). Sed BD + CD > BC (§. 62),
 seu BC < BD + CD: ergo BA + AC
 + BC < ABD + ACD (§. 90. *Arihm.*)
 hoc est, tria latera simul sumta Peri-
 pheria Circuli maximi minora sunt.
Q.e.d.

THEOREMA XXXI.

64. In omni Triangulo Sphærico ABC,
 majori angulo ABC opponitur majus
 latus AC, minori A latus minus BC,
 & contra.

DEMONSTRATIO.

Quoniam angulus ABC > A per hy-
 poth. Si fiat $\alpha = x$ (§. 20. *Arihm.*):
 erit FA = FB (§. 59), adeoque FB + FC
 = AC (§. 80. *Arihm.*). Est vero
 FB + FC > BC (§. 62): ergo AC > BC
 (§. 89. *Arihm.*). *Quod erat uuum.*

Sit jam AC > BC: aut erit A = B,
 aut A > B, aut A < B. Si A = B, erit
 AC = BC (§. 59) & si A > B, erit
 BC > AC, per demonstrata. Sed utrum-

que est contra Hypothesin: ergo A < B.
Quod erat alterum.

THEOREMA XXXII.

65. Si in Triangulo Sphærico BAC
 crura AB & BC fuerint simul sumta
 Semicirculo æqualia: Basi AC continua-
 ta in D, erit angulus externus BCD
 interno opposito BAC æqualis.

DEMONSTRATIO.

Continuentur latera AB & AC do-
 nec sibi mutuo occurrant in D: erit ABC
 Semicirculus (§. 20); consequenter cum
 AB + BC sit itidem Semicirculus, per hy-
 hypoth. AB + BC = AB + BD, adeoque
 BC = BD (§. 91. *Arihm.*). Cum adeo
 sit angulus BCD = D (§. 59) & A = I
 (§. 32); erit etiam BCD = A (§. 87
Arihm.). *Q.e.d.*

THEOREMA XXXIII.

66. Si in Triangulo Sphærico BAC
 duo crura AB & BC simul sumta fuerin
 Semicirculo minora: angulus externu
 BCD major erit interno opposito A.

DEMONSTRATIO.

Continuentur latera AB & AC, do-
 nec sibi mutuo occurrant in D; erit
 ABD Semicirculus (§. 20); consequer-
 ter cum AB + BC sit Semicirculo mi-
 nor, per hypoth. AB + BC < AB + BD
 adeoque BC < BD (§. 92. *Arihm.*).
 Cum adeo sit angulus BCD > D (§. 64
 & D = A (§. 32); erit etiam BCD > I
 (§. 78. *Arihm.*). *Q.e.d.*

THEOREMA XXXIV.

67. Si in Triangulo Sphærico BAC
 duo crura AB & BC simul sumta fu-
 rent Semicirculo majora; angulus exte-
 nus BCD minor erit interno opposito A.

DEMONSTRATIO.

Continuentur latera AB & AC, donec sibi mutuo occurrant in D, erit ABD Semicirculus (§. 20); consequenter cum AB+BC sit Semicirculo major, per hypoth. $AB+BC > AB+DB$, adeoque $BC > BD$ (§. 92. Arithm.). Cum adeo sit $BCD < D$ (§. 64) & $D=A$ (§. 32), erit etiam $BCD < A$ (§. 87. Arithm.). Q. e. d.

THEOREMA XXXV.

68. Si Basi AC Trianguli Sphaerici ABC continuata in D, fuerit $BCD = A$, latera AB & BC sunt Semicirculo aequalia; si $BCD < A$, BA & BC Semicirculo majora; si denique $BCD > A$; AB & BC semicirculo minora.

DEMONSTRATIO.

Continuentur latera AB, & AC, donec in D coëant; erit $A=D$ (§. 32), adeoque cum sit in casu primo angulus BCD ipsis A æqualis, in secundo eodem minor, in tertio major per hypoth. in casu primo $BCD = D$ (§. 37. Arithm.), in secundo $BCD < D$, in tertio $BCD > D$ (§. 64). Quare cum AB+BD sit Semicirculus (§. 20), rit in casu primo AB+BC Semicirculus (§. 88. Arithm.), in secundo AB+BC major, in tertio minor Semicirculo (§. 90. Arithm.). Q. e. d.

THEOREMA XXXVI.

69. Si in Triangulo Sphaerico ABC uo latera AB & BC fuerint Semicirculo aequalia, anguli ad Basin A & C

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

sunt aequales duobus rectis; si illa Semi- circulo majora, hi duobus rectis majores; si illa Semicirculo, hi duobus rectis mi- nores.

DEMONSTRATIO.

Si AB & BC simul æquantur Semicirculo, erit $BCD = A$ (§. 65). Sed $BCD + BCA =$ duobus rectis (§. 43). Ergo anguli ad basin A & C duobus rectis aequales (§. 88. Arithm.) Quod erat unum.

Si AB & BC simul sumta Semicirculo majora, erit $BCD < A$ (§. 67); si minora, $BCD > A$ (§. 66). Sed $BCD + BCA =$ duobus rectis aequales (§. 43). Ergo in casu priori A & C duobus rectis majores, in posteriori minores (§. 90. Arithm.). Quod erat secundum & tertium.

THEOREMA XXXVII.

70. Si in Triangulo Sphaerico ABC anguli ad basin A & C duobus rectis aequalis, latera AB & BC simul sumta aequalia sunt Semicirculo; si illi duobus rectis majores, hac Semicirculo majora; si illi duobus rectis minores, hac Semicirculo minora.

Anguli, qui sunt deinceps, BCA & BCD duobus rectis aequales sunt (§. 43). Quare si A & BCA duobus rectis aequalis, erit $A = BCD$ (§. 91. Arithm.); si A & BCA duobus rectis majores, erit $A > BCD$; si minores, $A < BCD$ (§. 92. Arithm.). Ergo in casu primo latera AB & BC simul Semicirculo aequalia sunt, in secundo majora, in tertio minora Semicirculo (§. 68.). Q. e. d.

Q q

THEO-

Tab. I. THEOREMA XXXVIII.

Fig. 14. 71. Si in omni Triangulo Sphærico ABC angulus quivis est minor duobus rectis; tres A, B & C simul sunt sex rectis minores, duobus maiores.

DEMONSTRATIO.

Angulus quivis BCA cum eo, qui est deinceps, BCD æquatur duobus rectis (§. 43). Ergo solus est minor duobus rectis (§. 84. Arithm.). *Quod erat unum.*

Similiter quia A, B & C cum suis angelis, qui sunt deinceps, æquantur sex rectis (§. 43); pars sex rectorum sunt (§. 9. Arithm.) adeoque sex rectis minores (§. 84. Arithm.). *Quod erat alterum.*

Porro cum A & C simul sumti vel sint duobus rectis æquales, vel iisdem maiores vel minores (§. 69) in duobus casibus prioribus statim patet, tres A, C & B simul duobus rectis maiores esse. Quod vero etiam in casu tertio duobus rectis maiores sint, ita demonstratur. Quia A & BCA duobus rectis minores per hypoth. latera AB & BC simul semicirculo minora sunt (§. 70) adeoque BCD > A (§. 66. Fiat ergo GCD = A; erunt AG & GC simul semicirculo æqualia (§. 68), adeoque BG & GC semicirculo minora (§. 90. Arithm.), consequenter GBC & BCG duobus rectis minores (§. 69) & hinc ABC > BCG (§. 43. Sphæric. & §. 92. Arithm.). Ergo A + ABC > GCD + GCB (§. 90. Arithm.). > BCD (§. 86. & §. 89. Arithm.). Sed BCD & BCA simul duobus rectis æquales (§. 43) Quare A,

ABC & BCA duobus rectis maiores (§. 90. Arithm.). *Quod erat tertium.*

THEOREMA XXXIX.

72. *Si in Triangulo Sphærico BAC crura AB & AC sunt quadrantes, anguli ad Basin B & C recti erunt; quod si angulus interceptus A fuerit rectus, etiam Basis BC quadrans erit; si A obtusus, BC quadrante major; si A acutus, BC quadrante minor.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam AB & AC sunt quadrantes, anguli B & C inter se æquales (§. 59), & junctim sumti duobus rectis æquales sunt (§. 69). Est igitur tam B, quam C rectus. *Quod erat unum.*

Similiter quia AB quadrans per hypoth. BC est mensura anguli A (§. 33). Quare si A rectus, erit BC quadrans; si obtusus, quadrante major; si acutus, quadrante minor. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XL.

72. *Si in Triangulo Sphærico BAC anguli ad Basin B & C fuerint recti; crura AB & CA sunt quadrantes.*

DEMONSTRATIO.

Quia anguli B & C sunt inter se æquales, per hypoth. crura AB & AC æqualia sunt (§. 59). Et quia B & C simul duobus rectis æquales per hypoth. AB & AC simul Semicirculo æqualia sunt (§. 70). Est igitur tam AB, quam AC quadrans. *Q.e.d.*

THEOREMA XLI.

74. *Si in Triangulo Sphærico aquicrurro ABC crura AB fuerint quadrante maiores, anguli ad Basin B & C sunt obtusæ; si minora, acuti & contra.*

DEMONSTRATIO.

Si AB & AC quadrante majora, erunt simul Semicirculo majora, adeoque Anguli B & C simul duobus rectis majores (§.69); consequenter tam B, quam C recto major (§.59), hoc est, obtusus. *Quod erat unum.*

Si AB & AC quadrante minora, erunt simul Semicirculo minora, adeoque Anguli B & C simul duobus rectis minores (§.69); consequenter tam B, quam C recto minor (§.59), hoc est, acutus. *Quod erat alterum.*

Conversum Theorema simili prorsus modo demonstratur. Si enim Triangulum æquicrurum, anguli B & C sunt æquales (§.59), adeoque simul sumti duobus rectis majores, si uterque obtusus, & ex adverso duobus rectis minoribus, si uterque acutus. Ergo in priori casu latera AB & AC simul Semicirculo majora, in posteriori minora (§.70); consequenter tam AB, quam AC in priori quadrante majus, in posteriori quadrante minus. *Q.e.d.*

THEOREMA XLII.

75. Si in Triangulo Sphaerico rectangulo angulo recto B adjacens latus BC fuerit quadrans, erit Angulus A rectus; BE quadrante majus, Angulus A obtusus; si denique BD quadrante minus, Angulus A acutus.

DEMONSTRATIO.

Quia CB ipsi BA ad Angulos rectos sistit, Circulus, cuius Arcus CB, per oolum ejus transit ad quem BA pertinet (§.28). Est vero BC quadrans per

hypoth. Ergo in C est Polus ipsius BA Tab. I. (§.25). Cum adeo CA itidem per Polum ipsius BA transeat (§.27): erit A Angulus rectus (§.28). *Quod erat unum.*

Jam si BD quadrante minus, BE vero quadrante majus, in casu priore AD inter B & C, in posteriore AE ultra C cadit, adeoque in illo Angulus BAD recto BAC minor, in hoc major est (§.84. Arithm.); hoc est, in illo acutus, in hoc obtusus. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XLIII.

76. Si in Triangulo Sphaerico ABC ad B rectangulo Angulus A fuerit obtusus, erit latus ipsi oppositum EB quadrante majus: si vero in triangulo ABD ad B rectangulo Angulus A fuerit acutus, erit latus ipsi oppositum BD quadrante minus.

DEMONSTRATIO.

Si enim latus BE esset vel quadrans, vel quadrante minus, Angulus A esset in priori casu rectus, in altero acutus (§.75). Sed per hypothesin obtusus est: ergo BE nec quadrans est, nec quadrante minus; consequenter quadrante majus. *Quod erat unum.*

Eodem modo ostenditur, si A fuerit Angulus acutus, fore BD quadrante minus. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XLIV.

77. Si in Triangulo Sphaerico ABC ad B rectangulo utrumque crus AB & BC fuerit vel quadrante minus, vel quadrante majus; Hypotenusa AC erit quadrante minor. Tab. II.
Fig. 17.
& 18.

DEMONSTRATIO.

Tab. II. Continuentur crura CB & AB quadrante minora in F & D, donec CF & Fig. 17. BD fuerint quadrantes, vel si CB & AB quadrante majora, resecetur quadrantes CF & BD ducaturque Arcus DF Hypothenusæ continuatae in E occurrens. Quia DB secat CB ad Angulos rectos, per Polum ipsius transit (§. 28). Quare cum BD sit quadrans, per constructionem; erit in D Polus quadrantis CF (§. 25), adeoque etiam Angulus ad F rectus (§. 28): unde eodem modo patet, esse quoque in C Polum ipsius DF; consequenter CE quadrantem (§. 25). Ergo CA quadrante minor, (§. 84. Arithm.). Q. e. d.

THEOREMA XLV.

78. Si in Triangulo Sphaerico ABC ad B rectangulo duo Anguli reliqui A & C fuerint vel ambo acuti, vel obtusi; Hypothenusa AC quadrante minor.

DEMONSTRATIO.

Si enim A & C fuerint acuti, erunt latera opposita BC & AB quadrante minora; si A & C obtusi, latera opposita BC & AB quadrante majora (§. 76.). Ergo in utroque casu Hypothenusa AC quadrante minor (§. 77.). Q. e. d.

THEOREMA XLVI.

Tab. II. 79. Si in Triangulo Sphaerico ABC ad Fig. 19. B rectangulo latus unum AB fuerit quadrante minus, alterum CB quadrante majus; Hypothenusa AC erit quadrante major.

DEMONSTRATIO.

Continuetur BA in E, donec BE sit quadrans & ex latere BC resecetur quadrans CF, ducaturque Arcus EF secans

Hypothenusam necessario in D. Quoniam EB secat CB ad Angulos rectos per hypoth. per Polum ipsius transit (§. 28). Quare cum BE sit quadrans, erit in E Polus ipsius CF (§. 25), adeoque etiam Angulus ad F rectus (§. 28): unde eodem modo patet, esse quoque in C Polum ipsius EF, consequenter CD quadrantem (§ 25). Ergo CA quadrante major (§. 84. Arithm.). Q. e. d.

THEOREMA XLVII.

80. Si in Triangulo Sphaerico ABC ad B rectangulo Angulus unus C fuerit acutus, alter A obtusus: erit Hypothenusa AC quadrante major.

DEMONSTRATIO.

Quia A recto major, C minor, per hypoth. erit latus BC majus, AB vero minus quadrante (§. 76.). Ergo Hypothenusa AC quadrante major (§. 79.). Q. e. d.

THEOREMA XLVIII.

81. Si in Triangulo Sphaerico ABC ad B tantum rectangulo Hypothenusa AC sit quadrante minor, erunt crura AB & BC vel quadrante majora, vel minora, & Anguli A & C vel obtusi, vel acuti: si vero Hypothenusa AC quadrante major, crus alterum BC quadrante majus & Angulus ipsi oppositus A obtusus; alterum AB quadrante minus & Angulus eidem oppositus C acutus.

DEMONSTRATIO.

Si enim in priore casu crus unum foret quadrante majus, alterum minus, & Angulorum alter obtusus, alter acutus; tum Hypothenusa necessario foret quadrante major (§. 79 & 80). Sed per hypothesis, quadrante minor existit;

ergo

ergo crus unum quadrante majus, alterum minus esse nequit, nec Angulorum alter obtusus, alter acutus esse potest. Est igitur latus utrumque aut quadrante majus aut eodem minus, & Angulus uterque vel obtusus, vel acutus. *Quod erat unum.*

Non absimili modo ostenditur, si Hypothenus a quadrante major, fore atus alterum quadrante majus, alterum minus; Angulum alterum recto maiorem, alterum minorem. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XLIX.

82. *Si in Triangulo Sphærico obliquangulo ACB Angulus ad Basin uterque A & B fuerit vel obtusus, vel acutus. Perpendiculum CD ex Angulo tertio C n latus oppositum AB demissum intra Triangulum; si unus B obtusus, alter A acutus, exira illud cadit.*

DEMONSTRATIO.

Cadat enim, si fieri potest, in casu primo perpendiculum CF extra Triangulum ACB. Quoniam in Triangulo ACF angulus A obtusus per hypoth. erit CF quadrante majus (§.76); consequenter in Triangulo CBF Angulus o obtusus (§. 5). Sed quia x est obtusus per hypoth. erit o acutus (§.43). Quare cum angulus o non simul acutus & obtusus esse possit, perpendiculum extra Triangulum adere nequit. Cadit ergo intra ipsum. *Quod erat primum.*

Cadat porro in secundo casu, si fieri potest, perpendiculum CF extra Triangulum ACB. Quoniam angulus A acutus, per hypoth. erit CF quadrante minus (§.76), consequenter in Triangulo

CBF angulus o acutus (§.75). Sed Tab.II. quia x est acutus per hypoth. erit o obtusus (§.43). Quare cum angulus o non simul acutus & obtusus esse possit, perpendiculum intra Triangulum cadat necesse est. *Quod erat secundum.*

Denique in tertio casu, ubi angulus CBA obtusus, alter A acutus, cadat, si fieri potest, perpendiculum CD intra Triangulum ACB. Quoniam angulus x est obtusus, per hypoth. erit latus CD quadrante majus (§.76). Sed quia in Triangulo ACD per hypoth. rectangulo ad D, angulus A acutus per hypoth. erit idem latus CD quadrante minus (§.76): quod cum sit absurdum, perpendiculum intra Triangulum cadere nequit. Cadit ergo extra illud. *Quod erat tertium.*

THEOREMA L.

83. *Distantia Puncti A in Sphaera à Circulo maximo vel minore BC est Arcus Circuli maximi AD ad ipsum perpendicularis.* Tab. I. Fig.16.

DEMONSTRATIO.

Si Arcus perpendicularis AD fuerit quadrans; erit in A Polus Circuli maximi BC (§.26), adeoque omnes Arcus Circulorum maximorum inter Punctum A & Circulum BC intercepti sunt quadrantes (§.25). Quodsi AD fuerit quadrante minor; erit angulus B recto minor (§.75), adeoque $AD < BA$ (§.64). Minor adeo Arcus Circuli maximi quam AD inter A & BC in utroque casu intercepti nequit. Quare cum Arcus Circuli maximi AD sit Linea brevissima, quæ in Superficie Sphæræ ab uno Punc-

Tab.I. to ad alterum duci potest (§. 53);
 Fig.16. erit is distantia Puncti A à Circulo BC
 (§. 15. Geom.). *Quod erat unum.*

Quodsi OG fuerit Circulus minor, CB maximus, A utriusque Polus: erit Arcus AD tam ad OG, quam ad BC perpendicularis (§. 28. 30). Cum adeo AD sit distantia puncti A à BC, & DH distantia puncti H ab eodem BC, per demonstrata: erit AH distantia Puncti A ab Arcu OG. *Quod erat alterum.*

THEOREMA LI.

84. *Si in Triangulo Sphaerico ACB*
 Tab.II. omnes anguli A, B & C sunt acuti;
 Fig.20. latera singula sunt quadrante minora.

DEMONSTRATIO.

Demittatur ex angulo uno C in latus AB perpendicularis CD, quæ intra Triangulum cadit (§. 82). Cum itaque in Triangulo rectangulo CDB angulus B sit acutus & DCB similiter acutus per hypoth.; erit Hypotenusa CB quadrante minor (§. 78). Eodem modo constat, Hypotenusam AC in Triangulo rectangulo ADC esse quadrante minorem. Nec absimili ratiocinio colligitur, perpendiculari ex B in latus AC demisso, latus AB esse quadrante minus. Sunt igitur singula latera quadrante minora. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

85. Ergo si in Triangulo Sphaerico obliquangulo latus unum sit quadrante majus, angulus unus est obtusus, (§. 84), nempe qui opponitur eidem lateri (§. 64).

THEOREMA LII.

86. *Si in Triangulo Sphaerico ACB*

anguli duo A & B fuerint obtusi, tertius vero C acutus; latera AC & CB obtusis opposita sunt quadrante majora, quod vero opponitur acuto AB, quadrante minus.

DEMONSTRATIO.

Demittatur ex angulo acuto C perpendicularis CD in batin AB, quod intra Triangulum cadet (§. 82). Quoniam x & y sunt anguli obtusi, m & n acuti per hypoth. in Triangulis ACD & CDB ad D rectangulis per constr. erunt Hypotenusæ AC & CB quadrante maiores (§. 80). *Quod erat unum.*

Demittatur porro ex angulo obtuso A perpendicularis in CB, quod extra Triangulum cadet (§. 82). Continuetur perpendicularis AG donec lateri CE continuato in H occurrat; erit HG Semicirculus (§. 20). Sed arcus CB quadrante major, per demonstrata: Ergo BG quadrante minor. Jam cum angulus x obtusus sit, per hypoth. erit z acutus (§. 43), adeoque perpendicularum AC quadrante minus (§. 76), consequente AB quadrante minus (§. 77). *Quod era alterum.*

COROLLARIUM.

87. Ergo si duo latera sunt quadrante minora, duo anguli sunt acuti.

THEOREMA LIII.

88. *Si in Triangulo Sphaerico ABC, singula latera fuerint quadrante majora, vel duo AB & AC quadrante majora, tertium BC quadrans; singuli anguli sunt obtusi.*

DEMONSTRATIO.

Ex A tanquam Polo intervallo quadrantis AD describatur circulus maximus DEF occurrentis lateri BC produc-
to in F; erunt anguli ad D & E recti
(§. 28), & quia BC vel quadrans, vel
quadrante majus, CF quadrante minus
(§. 20) & BF quadrante majus in casu
itroque; consequenter cum CE sit qua-
drante minus, quia AE quadrans, EF
quadrante minus (§. 81). Unde angulus
CF acutus (§. 75), adeoque ipsi deinceps
positus ACB obtusus (§. 43).
odem prorsus modo ostenditur angu-
los reliquos A & B esse obtusos. Q.e.d.

THEOREMA LIV.

89. Si in Triangulo Sphaerico obli-
u angulo ABC duo latera AB & AC
nt quadrante minora, tertium BC qua-
rante majus: erit angulus A, qui ma-
imo opponitur obtusus, reliqui duo B &
erunt acuti.

DEMONSTRATIO.

Producantur latera quadrante mino-
ra AB & AC, donec sibi mutuo occur-
nt in D, erunt latera BD & CD qua-
rante majora (§. 20) adeoque omnes
guli obtusi (§. 88); consequenter an-
gulus A obtusus (§. 32) & ABC atque
BC acuti (§. 43). Q.e.d.

THEOREMA LV.

90. Si Trianguli Sphaericci ABC ad
rectanguli singula latera, qua sunt

quadrante minora, continentur in F, Tab II.
E & D, donec fiant quadrantibus CD, Fig. 22.
CE. AF æquales; Arcus Circuli maxi-
mi DF transiens per puncta F & D est
quadrans. Arcum CE ad angulos rectos
secat, & per Punctum E transit.

DEMONSTRATIO.

Quia FA secat AC ad angulos rec-
tos per hypoth. FA per Polum ipsius
AC transit (§. 28). Quare cum FA sit
quadrans per construct. erit in F Polus
ipsius DC (§. 25), consequenter FD
quadrans est (§. cit.). Quod erat
primum.

Porro quoniam DF transit per Po-
lum F Arcus DC per demonstrata; DC
vicissim per Polum ipsius DF transit (§.
27). Quare cum DC sit quadrans
per construct. erit in C Polus ipsius DF
(§. 25); consequenter CE quadrans
(§. cit.) adeoque Arcus DF per Punc-
tum E transit, EC etiam Arcum EF
ad angulos rectos secat (§. 28). Quod
erat secundum & tertium.

COROLLARIUM.

91. Quoniam DE est mensura anguli
C (§. 31) & DF quadrans (§. 90); erit
Arcus EF complemento anguli C ad rec-
tum æqualis. Similiter quia DA mensura
anguli F (§. 31) & DC quadrans (§. 90)
erit angulus F complemento lateris AC
æqualis.

CAPUT III.

De Resolutione Triangulorum rectangulorum.

DEFINITIO IX.

Tab. II. Fig. 23. IN Triangulo Sphærico rectangu-
lo BAC partem medianam voco, quæ inter duas alias instar extremarum consideratas interjacet. Veluti si extre-
mæ sumantur AB & BC, pars media erit Angulus B.

DEFINITIO X.

93. Quodsi partes, quæ instar extre-
marum considerantur, mediæ fuerint contiguæ, aut inter medianam & extre-
marum alteram Angulus rectus A inter-
jacet, partes illas conjunctas appello.
E. gr. si B sit media, AB & BC erunt
partes conjunctæ.

COROLLARIUM.

94. Quodsi ergo fuerit.

1. AB	1. { AC 2. B.	2. { AB BC
media	3. BC erunt conjunctæ	3. { B C
	4. C	4. { BC CA
	5. AC	5. { C AB

DEFINITIO XI.

95. Si vero inter partes, quæ extre-
marum loco sunt, & inter medianam alia
quædam præter angulum rectum inter-
jacet; tum eas *sejunctas* dicere solco.
E. gr. si B sit media, erunt AC & C se-
junctæ: inter partem enim medium B &

extremam C interjacet hypotenusa BC
inter medium B & alteram extremam
AC, præter rectum A, qui hic non at-
tenditur, crus AB.

COROLLARIUM.

96. Quodsi ergo fuerit

1. AB	1. { BC C
2. B	2. { AC C
media	3. BC erunt sejunctæ
	3. { AB AC
	4. { B AB
	5. { BC B

LEMMA IV.

97. Si Planum EFC ad Planum GFT
inclinetur, sintque FG, EF & BI ad F
BH ad Planum FCG perpendiculares
anguli EFG & BIH *equales* sunt.

DEMONSTRATIO.

Fiat FS=IB & ex S demittatur S
ad FG perpendicularis. Quoniam FE &
BI perpendiculares ad FI, per hypoth. er-
FI ipsi BS parallela (§.26.Ggeom.) & B
tam ad FS, quam ad IB (§.230.Ggeom.
consequenter etiam ad SR in Plano FSI
& ad BH in Plano IBH perpendicularar
(§.484.Ggeom.). Quare cum BH sit pe-
pendicularis ad Planum GFC per hypoth.
adeoque ad HR (§.484.Ggeom.); erit HI

ipſi BS parallela (§. 256. Geom.), conſequenter SR = BH (§. 226. Geom.). Quare cum etiam ſit FS = IB per conſtruct. & Angulus FSR & IBH recti per demonſtr. adeoque æquales (§. 145. Geom.); erit angulus SFR alteri BIH æqualis (§. 179. Geom.). Q. e. d.

THEOREMA LVI.

98. In Triangulo Sphaerico ABC ad A rectangulo, Sinus totus eſt ad Sinum Hypothenuſæ BC, ut Sinus anguli obliqui C ad Sinum cruris ſibi oppoſiti AB, vel ut Sinus anguli B ad Sinum cruris ſibi oppoſiti AC.

DEMONSTRATIO.

Producantur latera CB in E, CA in D, AB in P, donec CE, CD, AP fiant quadrantes: circulus maximus DPNO transiens per D & P etiam tranſit per E (§. 90), eſtque ED mensura anguli C (§. 31). Quare ſi ad Radios FD, FA & FC demittantur perpendiculares EG, BH & BI; erunt eadem Sinus arcuum ED, BA & BC (§. 2. Trigon. plan.) & cum, ob quadrantem CE, angulus EFC it rectus (§. 143. Geom.), adeoque EF & FC perpendicularis (§. 78. Geom.); rit angulus EFG alteri BIH æqualis (§. 17); conſequenter ut FE Sinus totus ad BI Sinum Hypothenuſæ BC, ita EG Sinus arcus ED, ſeu anguli ACB, ad BH inum lateris ſibi oppoſiti AB (§. 267. Geom.). Eodem modo ostenditur, quod inus totus ſit ad Sinum BC, uti Sinus ad Sinum cruris AC.

Quodſi in Triangulo QAB crux num QDA fuerit quadrante maius, erit tiam Hypothenuſa QEB quadrante ma-

Wolfii Oper. Mathem. Tom. III.

jor (§. 79). Quare ſi Arcus QD & QE Tab. II. fiant quadrantes, & reliqua ut ante; in Fig. 25. hoc etiam caſu patet eſſe, Sinum totum FE ad Sinum BI Hypothenuſæ BEQ, ut Sinus EG anguli Q ipſi nempe Cæqualis (§. 32) ad Sinum BH cruris BA.

Denique ſi crura angulum rectum intercipientia fuerint OAB & ODE quadrante majora, erit Hypothenuſa BE quadrante minor (§. 77). Continuentur latera, donec ſe mutuo interſecent in P, erit angulus P ipſi O æqualis (§. 32), adeoque etiam rectus & PE atque PB erunt complementa crurum ad Semicirculum (§. 18). Sed in Triangulo BPE eſt ut Sinus totus ad Sinum Hypothenuſæ FB, ita Sinus anguli B ad Sinum cruris oppoſiti PE; ita etiam Sinus anguli E ad Sinum cruris oppoſiti PB per demonſtrata. Quare cum PE atque EDO, PB atque BAO, anguli ad B itemque ad E contigui eundem habeant Sinum (§. 5. Trigon. Plan.); erit etiam ut Sinus totus ad Sinum Hypothenuſæ BE, ita Sinus EBO ad ſinum EO, & ſinus BEO ad ſinum BO.

In omni adeo Triangulo rectangulo Sphaerico, cuius nullum latus eſt quadrans, eſt ut Sinus totus ad Sinum Hypothenuſæ, ita Sinus anguli obliqui, ad Sinum lateris ſibi oppoſiti. Q. e. d.

COROLLARIUM.

99. Eſt ergo rectangulum ex Sinu toto in Sinum cruris unius æquale rectangulo ex Sinu anguli eidem oppoſiti in Sinum Hypothenuſæ (§. 378. Geom.).

THEOREMA LVII.

100. In omnia Triangulo Sphaerico Tab. II. rectangulo ABC, cuius latus nullum eſt quadrans, ſi crurum AB & AC comple-

Tab. II. menta ad quadrantem considerentur ut
Fig. 22. crura ipsa, Rectangulum ex Sinu toto in
Cosinum partis mediae aequatur rectangulo
ex Sinibus partium sejunctarum.

DEMONSTRATIO.

Etenim pars media vel est crus alterum AB aut AC, vel Hypotenusa BC, vel angulus obliquus alteruter B aut C; adeoque in primo casu partes sejunctæ sunt Hypotenusa BC & angulus obliquus C vel B mediae AB vel AC oppositus; in secundo crura AB & AC; in tertio angulus obliquus alter C aut B cum crure adjacente AC vel AB (§. 96).

I. Est vero in casu primo rectangulum ex Sinu toto in Sinum partis mediae aequale rectangulo ex Sinibus sejunctarum (§. 99) & Cosinus complementorum ad quadrantem sunt Sinus ipsorummet laterum (§. 11. Trig. Plan.). Quare si pro cruribus AB & AC sumantur complementa ad quadrantem; erit rectangulum ex Sinu toto in Cosinum partis mediae, cruris AB vel AC, aequale rectangulo ex Sinibus sejunctarum, Hypotenusæ BC & anguli C vel B.

II. Si BC fuerit pars media & crura AB atque AC partes sejunctæ; continentur singula Trianguli latera in D, E & F, donec fiant quadrantes & per F ac D ducatur Circulus maximus, erit DF quadrans & transibit etiam per E secabitque EC ad angulos rectos (§. 90). Erit vero F complemento cruris AC, EB complemento Hypotenusæ BC & FB complemento cruris AB aequalis, per construct. Cum adeo rectangulum ex Sinu toto in Sinum

EB sit aequale rectangulo ex Sinibus anguli F & Arcus BF, (§. 99); erit rectangulum ex Sinu toto in Cosinum partis mediae BC aequale rectangulo ex Sinibus sejunctarum AB & AC.

III. Si C pars media, AB & B partes sejunctæ, continuatis ut ante lateribus, erit EF complemento anguli C (§. 91) & EBF suo verticali ABC aequalis (§. 43). Quare cum sit rectangulum ex Sinu toto in Sinum arcus EF aequale rectangulo ex Sinu anguli B in Sinum arcus BF (§. 99); erit denuo rectangulum ex Sinu toto in Cosinum partis mediae C aequale rectangulo ex Sinibus sejunctarum B & AB.

Patet adeo in omni casu, rectangulum ex Sinu toto in Cosinum partis mediae aequari rectangulo ex Sinibus sejunctarum, si complementis crurum AB & AC tanquam cruribus utaris. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

101. Si itaque Sinus fuerint artificiales, seu naturalium Logarithmi; erit Sinus totus cum Cosinu partis mediae aequalis Sinibus partium sejunctarum (§. 337. Arithm.).

COROLLARIUM II.

102. Quia in Triangulo rectilineo rectangulo ABC Sinus totus est ad Hypotenusam BC, ut Sinus anguli B vel C ad Sinum cruris oppositi AC vel AB (§. 33. Trigon. plan.); si pro laterum Sinibus sumantur latera ipsa, erit etiam hic Sinus totus cum Cosinu partis mediae AC vel AB, hoc est, cum ipsa AC vel AB, aequale Sinibus partium sejunctarum B vel C & BC, hoc est, Sinui B vel C & ipsi BC.

SCHOOLION.

103. En Regulam Sinuum Catholicam, seu partem primam Regule Trigonometria Catho-

Catholicæ, per quam omnia utriusque Trigonometriæ Problemata solvuntur, quando Simibus solis res peragitur. Evidem haud difficulter apparet, eam sine Theoremate § 6 demonstrari potuisse, cum Demonstratio additis iis, quæ in Demonstratione Casus primi Theorematis § 7 occurunt, sit ipsa Demonstratio Casus primi completa; sed ut Theoriam trademus, quæ etiam vulgari Methodo satisficeret, una à nobis exponendæ, ideo Theorema § 6 (§. 9.8) præmittere debuimus. NEPERUS (a) de istiusmodi Regula Catholica primus cogitavit; sed ipse utitur complementis Hypotenusa BC, & angulorum B ac C tantum Hypotenusa & angulis ipsis. Unde ipsius Regula Sinum Catholica hujus tenoris; Sinus totus cum Sinu partis mediae æquatur Cosinibus partium oppositarum seu nostra phrasí) sejunctorum. In hac vero Harmonia Trigonometriæ Plane & Sphæricæ non apparet, à me per meam primum animadversi, quam inveneram, antequam NEPERIAM vidisse (b), cum nempe CL. CRUGERUS, Mathematum Professor Bremensis mihi significaret, sibi communicatam esse à nonnemine regulam universalem, per quam omnes casus trigonometriæ Sphæricæ in Triangulis Rectangulari solvi possint, & quam instar arcani cœbat, nescius eam à NEPERO dudum in publicum esse emissam & à Scriptoribus Anglis issim adhiberi.

LEMMA V.

104. Sinus totus CA est medius proportionalis inter Tangentem AF & Cotangentem DB.

DEMONSTRATIO.

Sit ACB quadrans & AF Tangens anguli ACF; DB vero Cotangens (§. 1. Trigon.). Quoniam Cotangens DB: Radium BC perpendicularis (§. 8. I I. Trigon. Plan.) & AB mensura anguli

(a) In Canone mirifico.

(b) Vid. Præfat. ad Tabulas Sinuum à me editas.

ACB (§. 57. Geom.), adeoque angulus Tab. II. ACB rectus (§. 143. Geom.), consequen. Fig. 26, ter AC ad CB itidem normalis (§. 78. Geom.); erunt AC & DB parallelæ (§. 256. Geom.). Quare si ex D demittatur perpendicularis DE, erit ea ipsi BC parallela (§. cit.), adeoque EC Cotangenti DB, & DE Sinui toti BC æqualis (§. 226. Geom.). Quare cum etiam FA sit ad AC perpendicularis (§. 8. Trigon. plan.), adeoque ipsi DE parallela (§. 256. Geom.); erit CE: ED = CA: AF (§. 268. Geom.), hoc est, DB : AC = AC: AF, vi demonstratorum. Q. e. d.

THEOREMA LVIII.

105. In Triangulo Sphærico rectangulari ABC, cuius nullum latus quadrans, est ut Sinus totus ad Sinum cruris adjacentis AC, ita Tangens anguli adjacentis C ad Tangentem cruris oppositi AB.

DEMONSTRATIO.

Producantur latera AB, CA & CB, in P, D & E, donec fiant quadrantes & erectis perpendicularibus DL & AM ad radios FD & FA, ductaque AK ad radium FC perpendiculari; erit AK Sinus cruris AC (§. 2. Trigon. plag.), AM Tangens cruris AB & DL Tangens arcus DE (§. 7. Trigon. plan.); hoc est, quia hic mensura anguli C (§. 31), DL Tangens anguli C. Eodem vero, quo supra (§. 9.8), modo demonstratur, angulos DFL & AKM esse æquales. Quare cum Triangula DFL & AKM sint ad D & A rectangula per construct. erit FD: KA = DL: AM (§. 267. Geom.). Et simili modo ostenditur, esse Sinum totum ad Sinum lateris AB, ut Tangentem anguli adjacentis

Tab. II. tis B ad Tangentem cruris oppositi AC,
Fig. 25. lateribus nempe in oppositum produc-
tis. In reliquis casibus idem ostenditur
ut supra (§. 98). Q.e.d.

COROLLARIUM I.

106. Quia Cotangens anguli C est ad Sinum totum, ut Sinus totus ad Tangentem anguli C (§. 104), & ut Sinus totus ad Tangentem anguli C, ita Sinus AC ad Tangentem AB (§. 105. *Sphær.* & §. 173. *Arith.*); erit etiam Cotangens anguli C ad Sinum totum, ut Sinus cruris eidem adjacentis AC ad Tangentem oppositi AB (§. 167. *Arithm.*).

COROLLARIUM II.

107. Est igitur Rectangulum ex Sinu toto in Sinum cruris unius AC æquale Rectan-
gulo ex Tangente cruris alterius AB in Co-
tangentem anguli eidem oppositi C (§. 378. *Geom.*). Et similiter Rectangulum ex Sinu toto in Sinum cruris AB æquale Rectangu-
lo ex Tangente cruris AC in Cotangentem
anguli B.

THEOREMA LIX.

Tab. II.
Fig. 22. 108. In omni Triangulo Sphaerico
Rectangulo ABC, cuius nullum latus
est quadrans, sic rurum AB & AC com-
plementa ad quadrani vel excessus su-
pra quadrantem considerentur ut crura
ipsa, Rectangulum ex Sinu toto in Co-
sinum partis media æquale est Rectan-
gulo ex Cotangentibus partium conjunctarum.

DEMONSTRATIO.

Etenim pars media vel est crus alter-
num AB vel AC, vel angulus obli-
quus alteruter B & C, vel Hypothenu-
sa BC, adeoque in illo casu partes
conjunctæ sunt vel AC & B, vel AB
& C, in isto vel AB & BC, vel AC &
BC; in hoc denique B & C (§. 94).

I. In casu primo Rectangulum ex Sinu toto in Sinum cruris AC æquale est Rectangulo ex Tangente cruris alte-
rius AB in Cotangentem anguli C (§. 107). Quare cum Cosinus atque Cotangens complementi ad qua-
drantem sit Sinus & Tangens ipsius anguli vel arcus (§. 11. *Trigon. plan.*), si complementa crurum AC & AB ut crura ipsa considerentur, erit Rectangulum ex Sinu toto in Cosi-
num partis mediæ AC æquale Rectan-
gulo ex Cotangentibus partium con-
junctarum AB & C.

II. Si C sit pars media, AC & BC
sint partes conjunctæ; producantur
latera in E, D & F, donec fiant
quadrantes; erit angulus ad E rec-
tus (§. 90), EF complemento anguli
C, angulus vero F complemento
cruris AC (§. 91) & BE complemen-
to lateris BC æqualis per construct. Est vero Rectangulum ex Sinu toto in Sinum EF æquale Rectangulo ex Cotangente F in Tangentem EB (§ 107). Ergo Rectangulum ex Sinu toto in Cosinum Anguli C seu par-
tis mediæ æquatur, in Hypothesi Theoremati, Rectangulo ex Cotan-
gentibus laterum AC & BC, seu par-
tium conjunctarum. Idemque pro-
ductis lateribus Trianguli ABC in
oppositam partem, eodem modo de-
monstratur, si angulus B fuerit pars
media.

III. Si denique BC fuerit pars media,
B & C sint conjunctæ, producantur
latera AB, BC & AC in K, I &
H, donec BK, BI, AH fiant qua-
dran-

drantes & per H & K ducatur arcus Circuli maximi HK, qui etiam transit per I, & AI ad angulos rectos in I secat & quadrans est (§. 90). Quare cum KI sit mensura anguli B (§. 33), erit HI complementum anguli B. Porro CI complementum Hypotenusa BC per construct. & angulus HCI suo verticali BCA æqualis (§. 43). Est vero Rectangulum ex Sinu toto in Sinum CI æquale Rectangulo ex Cotangente anguli C in Tangentem HI (§. 107). Ergo Rectangulum ex Sinu toto in Cosinum Hypotenusa BC seu partis mediæ æquatur Rectangulo ex Cotangentibus angulorum C & B, seu partium conjunctarum.

In omni adeo casu Rectangulum ex Sinu toto in Cosinum partis mediæ æquale est Rectangulo ex Cotangentibus conjunctarum.

COROLLARIUM I.

109. Si ergo Sinus & Tangentes fuerint artificiales; Sinu totus cum Cosino partis mediæ æqualis est Cotangentibus partium conjunctarum (§. 337. Arithm.).

COROLLARIUM II.

110. Cum in Triangulo rectangulo rectilineo Tangentibus utamur, si ex cruribus AB & AC inveniri debet angulus C, tum Sinus totus ad Cotangentem C, hoc est ad Tangentem B, ut AB ad AC (§. 40. Trigon. plan.); in Triangulo quoque rectilineo, si pro Sinibus & Tangentibus laterum sumantur latera ipsa, erit Sinus totus cum Cosinu partis mediæ, hoc est cum C, æqualis Cotangentibus partium conjunctarum, hoc est, Cotangenti C seu Tangenti B & lateri AB.

SCHOLION I.

111. En Regulam Tangentium Catholicam, quæ partem alteram constituit Regula Trigonometriæ Catholicæ, per quam omnia utriusque Trigonometriæ Problemata solvuntur, in quibus Tangentibus opus est. Equidem apparet, eam sine Theoremate 58. (§. 105) demonstrari potuisse, cum ejus Demonstratio additis iis, quæ in Cor. 1. (§. 106) & in Demonstratione Theorematis 59. (§. 108) habentur, ipsa sit Demonstratio casus primi Theor. 59. completa: sed ob rationem supra allatam (§. 103), consultum nobis visum est Theorema 58. distincte primitere. Regula Tangentium NEPERIANA (a) facit ob rationem supra itidem allatam (§. 103) Sinum totum cum Sinu partis mediæ æqualem Tangentibus partium circum positarum seu (nostra phrasí) conjunctarum.

COROLLARIUM III.

112. Est igitur Trigonometriæ Universæ Regula Catholica; In Triangulo rectangulo (notatis notandis, hoc est, complementis crurum AB & AC instar crurum consideratis & in Triangulis rectilineis pro Sinibus & Tangentibus laterum lateribus ipsis assumtis) Sinus totus cum Cosinu partis mediæ æquatur Sinibus partium sejunctarum & Cotangentibus conjunctarum.

SCHOLION II.

113. Quoad Triangula rectilinea notandum, ex solis angulis datis de lateribus nil determinati concludi posse (§. 267. Geom.) & angulo uno obliquo dato alterum quoque notum esse (§. 241 Geom.); unde judicatur, quinam casus sint inutiles. Nec hoc negligendum est, non esse locum Regula Tangentium, si per Regulam Sinum quesitum inveniri potest. Egr Ex BC & B per Regulam Sinum invenitur AC, etiam si dentur C & BC, quia dato C datur quoque B: tum ergo Tangentium Regula locum non habet. Superest ut usum Regula nostræ in Triangulis Sphæricis exemplis commonstremus.

PROBLEMA I.

114. *Datis in Triangulo rectangulo Sphaerico, præter angulum rectum, duabus partibus quibuscumque, invenire reliquarum quamlibet.*

RESOLUTIO.

Tab. II. I. Per Regulas vulgares.

Fig. 22. 1. Ante omnia expendatur, utrum partes, quæ in quæstionem veniunt, sint sejunctæ, an conjunctæ (§. 94. 96).

2. Si partes sejunctæ sibi mutuo opponantur, veluti si Hypotenusa BC cum angulo C pro crure opposito AB detur, utendum est Analogia Theorematis 56 (§. 98), inferendo nempe :

ut Sinus totus

ad Sinum Hypotenusa BC;

Ita Sinus anguli C

ad Sinum cruris oppositi AB.

3. Si vero partes sejunctæ sibi mutuo non opponantur, veluti si AB cum angulo adjacente B, pro angulo opposito C, detur, latera trianguli continuanda sunt versus partem alterutram, donec fiant quadrantes, ut obtineatur novum Triangulum, in quo partes, quæ in quæstionem veniunt, sibi mutuo opponuntur, veluti in nostro casu Triangulum EBF, in quo datur BF, cruris AB complementum, & angulus B, pro EF complemento anguli C (§. 90. 91). Infertur adeo ut ante :

Ut Sinus totus

ad Sinum BF, seu Cosinum AB;

Ita Sinus anguli B

ad Sinum EF, seu Cosinum C.

4. Si inter partes conjunctas Hypotenusa non reperiatur locum, veluti si

crura AB & AC pro angulo uni eorum opposito C dentur; Analogia Theorematis 58 (§. 105) utendum est, inferendo nempe :

Ut Sinus AB

ad Sinum totum;

Ita Tangens AB

ad Tangentem C.

5. Si vero in numero partium conjunctarum Hypotenusa fuerit, veluti si Hypotenusa BC cum angulo C pro latere adjacente AC detur; latera Trianguli versus partem alterutram continuanda sunt, donec fiant quadrantes, ut novum obtineatur Triangulum, in quo Hypotenusa inter partes, quæ in quæstionem veniunt, non comparet, e. gr. in nostro casu Triangulum EBF, in quo EB complementum Hypotenusa BC, EF complementum anguli C & angulus F complementum cruris AC (§. 90. 91). Cum adeo in Triangulo EFB Hypotenusa in quæstionem non veniat, inferendum ut ante :

Ut Sinus EF, seu Cosinus C

ad Sinum totum;

Ita Tangens EB, seu Cotangens BC

ad Tangentem F, seu Cotangentem AC.

6. Quando Trianguli latera producenda, perinde est, in quamcumque partem ea produixeris, si nullus angulus acutus in quæstionem veniat: quodsi unus quæstionem ingreditur, latera continuantur per angulum obliquum alterum: quodsi uterque sit in nexu, per eum continuantur, qui lateri, quod est in

quæ-

quæstione, adjacet. Hac enim ratione semper obtineri Triangulum, in quo quæsitum per Regulam vel Sinuum, vel Trangentium invenitur, inductione omnium casuum constat.

II. Per Regulam Catholicam.

1. Expendatur, ut ante, utrum partes quæ in quæstionem veniunt, sint conjunctæ, an sejunctæ (§.94.96).
2. Si crus vel alterutrum, vel utrumque circa angulum rectum quæstionem ingreditur, pro eo inter data scribatur ejus complementum ad quadrantem.
3. Cum per Regulam Catholicam Sinus totus cum Cosinu partis mediæ æqualis Sinibus sejunctarum, & Cotangentibus conjunctarum; à summa datorum subtrahatur tertium datum, relinquetur Sinus aliquis vel Tangens, cui in Canone Triangulorum artificiali respondet angulus, vel latus quæsitum.

SCHOLION.

115. Quoniam Regula Catholica in postem uteatur, eandem ad omnes Casus applicare. Exemplis illustrare libet: quæ in casu parum sejunctarum vulgarem Methodum una illustrant, in casu autem conjunctarum alias solutiones admittunt. Utimur autem Sinibus & tangentibus artificialibus.

PROBLEMA II.

116. Datis Hypotenusa BC 60° , & angulo C $23^\circ 30'$; invenire crus oppositum B.

RESOLUTIO.

Quia AB pars media, C & BC sejunctæ (§.96), Sinus totus cum Cosinu

complementi AB, hoc est Sinu ipsius Tab. II. AB æqualis est Sinibus C & BC (§.112). Fig. 23.

$$\begin{array}{r} \text{Ergo à Sin. C } 96006997 \\ \text{& Sin. BC } 99375306 \\ \hline \end{array}$$

$$\begin{array}{r} \text{Summâ } 195382303 \\ \text{subduc. Sin. tot. } 100000000 \\ \hline \end{array}$$

relinquitur Sin. AB 9.5382303 , cui in Canone, quam proxime respondent $20^\circ 12'6''$.

PROBLEMA III.

117. Datis Hypotenusa BC 60° & crure AB $20^\circ 12'6''$ invenire angulum oppositum C.

RESOLUTIO.

Patet per Probl. præc. à summa Sinus totius & Sinus cruris AB subtrahendum esse Sinum Hypotenusa BC, ut relinquatur Sinus anguli C. Facile adeo Exemplum Casus præcedentis mutatur in Exemplum Casus præsentis.

PROBLEMA IV.

118. Datis crure AB $20^\circ 12'6''$ & angulo opposito C $23^\circ 30'$, invenire hypotenusam BC.

RESOLUTIO.

Patet per Probl. 2, à Summa Sinus totius & Sinus AB subtrahendum esse Sinum anguli C, ut relinquatur Sinus Hypotenusa BC. Exemplum Casus primi facile mutatur in Exemplum Casus præsentis.

PROBLEMA V.

119. Datis Hypotenusa BC 60° & crure uno AB $20^\circ 12'16''$, invenire crus alterum AC.

RESOLUTIO.

Quia BC est pars media, AB & AC partes sejunctæ (§.96); Sinus totus cum Cosinu Hypotenusa BC, æqualis est Sini-

Tab. II. Sinibus complementorum, hoc est, Co.
Fig. 23. sinibus crurum AB & AC (§. 112).

Ergo à Sin. tot. 100000000
& Cos. BC 96989700

Summâ 196989700

Subducatur, Cos. AB 99724279

relinquitur Cos. AC : 97265421,
cui in Canone quam proxime respon-
dent $32^\circ 11' 34''$. Ergo AC $57^\circ 48' 26''$.

PROBLEMA VI.

120. Datis cruribus AC $57^\circ 48' 26''$
& AB $20^\circ 12' 6''$; invenire Hypothenu-
sam BC.

RESOLUTIO.

Patet per Casum præcedentem, à summa Cosinum crurum AB & AC subducendum esse Sinum totum ut relinquatur Cosinus Hypothenusæ BC. Exemplum Casus præcedentis facile abit in Casum præsentem.

PROBLEMA VII.

121. Datis crure AC $57^\circ 48' 26''$ &
angulo adjacentे C $23^\circ 30'$; invenire an-
gulum oppositum B.

RESOLUTIO.

Quia B est pars media, AC & C par-
tes sc̄iunctæ (§. 96); Sinus totus cum
Cosinu B æquatur Sinui C & Sinui com-
plementi, hoc est, Cosinui AC (§. 112).

Ergo à Sin. C 96006997
& Cosin. AC 97265421

Summâ 193272418

subducatur Sin. tot. 100000000

relinquetur Cosin. B 93272438,
cui in Canone quam proxime respon-
dent $12^\circ 15' 56''$. Ergo B $77^\circ 44' 4''$.

PROBLEMA VIII.

122. Datis crure AC $57^\circ 48' 26''$ &
angulo oppositо B $77^\circ 44' 4''$; invenire ad-
jacentem C.

RESOLUTIO.

Patet per Casum præcedentem, à Sum-
ma Sinus totius & Cosinus B subtrahen-
dum esse Cosinum AC, ut relinquatur
Sinus C. Exemplum ejus haud invitum
transit in Casum præsentem.

PROBLEMA IX.

123. Datis angulis obliquis B 77°
 $44' 4''$ & C $23^\circ 30'$; invenire crus alieri
adjacens AC.

RESOLUTIO.

Patet per Probl. 7. (§. 121), à Sum-
ma Sinus totius & Cosinu B subtrahen-
dum esse Sinum C, ut relinquatur Cosi-
nus AC. Exemplum Problematis septi-
mi facile hoc applicatur.

PROBLEMA X.

124. Datis crure AC $57^\circ 48' 26''$ &
angulo adjacentе C $23^\circ 30'$; invenire
crus oppositum AB.

RESOLUTIO.

Quia AC est pars media, C & AB
partes conjunctæ (§. 94); Sinus totus
cum Cosinu complementi, hoc est, Sint
AC, æqualis est Cotangenti C & Co-
tangenti complementi; hoc est, Tangent
AB (§. 112).

Ergo à Sin. tot. 100000000
& Sin. AC 99275039

Summâ 199275039

subducatur Cotang. C 103616981

relinquitur Tang. AB 95658058
cui in Canone quam proxime respon-
dent $20^\circ 12' 6''$, prorsus ut supra (§. 116)
reperimus.

PROBLEMA XI.

125. Datis crure AB $20^\circ 12' 6''$ &
angulo oppositо C $23^\circ 30'$; invenire cru-
s adjacens AC.

RESO

RESOLUTIO.

Patet per Casum præcedentem, à summa Cotangentis C & Tangentis AB subtrahendum esse Sinum totum, ut relinquatur Sinus AC.

Exemplum ibi propositum facile hoc applicatur.

PROBLEMA XII.

126. Datis cruribus AB $20^{\circ} 12' 6''$ & AC $57^{\circ} 48' 26''$; invenire angulum C uni eorum oppositum.

RESOLUTIO.

Patet per Probl. 10 (§. 124), à summa Sinus totius & Sinus AC subtrahendum esse Tangentem BA, ut relinquatur Cotangens C.

Exemplum ibi propositum facile hoc applicatur.

PROBLEMA XIII.

127. Datis Hypothenusa BC 60° & angulo obliquo C $23^{\circ} 30'$; invenire crus adjacens AC.

RESOLUTIO.

Quia C pars media, BC & AC partes conjunctæ (§. 94); erit Sinus totus cum Cosinu C, æqualis Cotangenti BC & Cotangenti complementi, hoc est, Tangenti AC (§. 112).

Ergo à Sin. tot. 100000000
& Cosin. C. 99623978

Summâ	199623978
subducatur Cotang. BC	97614394
relinquetur Tang. AC	102009584 , cui in Tabulis quam proxime respondent $57^{\circ} 48' 26''$; prorsus ut supra reperimus (§. 119).

PROBLEMA XIV.

128. Datis crure AC $57^{\circ} 48' 26''$ & Wolfii Oper. Mathem. Tom. III.

angulo adjacentे C $23^{\circ} 30'$; invenire Tab. II.
Hypothenusam BC. Fig. 23.

RESOLUTIO.

Patet per Casum præcedentem, à summa Sinus totius & Cosinu C subtrahendum esse Tangentem AC, ut relinquatur Cotangens BC.

Exemplum ibi propositum facile hoc applicatur.

PROBLEMA XV.

129. Datis Hypothenusa BC 60° & crure AC $57^{\circ} 48' 26''$; invenire angulum adjacentem C.

RESOLUTIO.

Patet per Probl. 13. (§. 127) à summa Cotangentis BC & Tangentis AC, subtrahendum esse Sinum totum, ut relinquatur Cosinus C.

Exemplum ibi propositum facile hoc applicatur.

PROBLEMA XVI.

130. Datis Hypothenusa BC 60° & angulo uno C $23^{\circ} 30'$; invenire alterum B.

RESOLUTIO.

Quia BC est pars media, B & C partes conjunctæ (§. 94); erit Sinus totus cum Cosinu BC æqualis Cotangenti-bus B & C (§. 112).

Ergo à Sin. tot.	100000000
& Cosin. BC	96989700

Summâ	196989700
subducatur Cotang. C	103616981
relinquetur Cotang. B	93372719 , cui in Canone quam proxime respondent $12^{\circ} 15' 56''$. Est ergo B $77^{\circ} 44' 4''$, prorsus ut supra (§. 121).

PROBLEMA XVII.

131. Datis angulis obliquis B $77^{\circ} 44'$

S s

4¹¹

Tab. II. 4'' & C $23^{\circ}30'$, invenire Hypothenusam BC.
Fig. 23. sam BC.

RESOLUTIO.

Patet per Casum præcedentem, à summa Cotangentium C & B subducendum esse Sinum totum ut relinquatur Cosinus BC. Exemplum casus præcedentis haud invitum abit in casum præsentem

SCHOLION

132. Evidem in applicatione Trigonometriae Sphæricaæ ad Quæstiones Astronomicas, Geographicas, Gnomonicas aliasque hujus generis ex circumstantiis peculiaribus plerumque colligitur, utrum angulus inventus sit acutus, an vero obtusus, latus inventum vel quadrante minus, vel majus, ne tamen quicquam prætermisso videamur, ostendendum nobis adhuc erit, quomodo species anguli vel lateris inventi innotescat.

PROBLEMA XVIII.

133. In Triangulo Rectangulo anguli vel lateris inventi speciem determinare.

RESOLUTIO.

1. Si inter data fuerit angulus C; lateris oppositi AB species innotescit per Theor. 43. (§. 76), anguli vero species per speciem lateris constat (§. 75). Est nempe latus quadrante majus, si angulus obtusus; quadrante minus, si acutus & contra. Unde satisfit Probl. 2. 3. 7. 9. 10. 12.
2. Si inter data fuerit Hypothenusam BC & vel crus unum, vel ex angulis obliquis unus, species anguli vel lateris quæsiti patet per Theor. 48. (§. 81). Nempe si Hypothenusam quadrante minor & angulus acutus, vel crus quadrante minus; erit etiam angulus alter acutus vel crus quadrante minus: si Hypothenusam quadrante

minor & angulus obtusus, vel crus quadrante majus; erit etiam angulus alter obtusus, vel crus quadrante majus: si denique Hypothenusam quadrante major & angulus acutus vel crus quadrante minus; erit angulus alter obtusus, vel crus quadrante majus. Unde satisfit Probl. §. 13. 15. 16.

3. Si dentur anguli, species Hypothenusæ innotescit per Theor 47. (§. 78. 80). Est nempe quadrante major, si anguli diversæ speciei; quadrante minor, si ejusdem. Unde satisfit Probl. 17.
4. Si dentur crura, species Hypothenusæ innotescit per Theor 44. & 46 (§. 77. & 79). Est nempe quadrante minor, si illa fuerint speciei ejusdem, quadrante major, si diversæ. Unde satisfit Probl. 6.
5. Si angulus cum latere opposito detur pro angulo adjacenti, vel pro Hypothenusam, vel pro cruce altero: species quæsitorum generaliter determinari nequit. Unde etiam Probl. 4. 8. & 11. generaliter satisfieri nequit.
6. Si vero crus cum angulo adjacenti pro Hypothenusam detur; primum species cruris oppositi innotescit per n. 1. & inde porro Hypothenusam per n. 4. Et hinc satisfit Probl. 14.

PROBLEMA XIX.

134. Triangula Sphærica resolvere, in quibus duo vel tria latera sunt quadrantes.

RESOLUTIO.

1. Si latera tria AB, AC & BC fuerint quadrantes; erit mensura anguli A; arcus

arcus nempe BC, quadrans (§. 31) : unde constat angulum A esse rectum. Sunt vero B & C itidem recti (§. 72). Nullo igitur calculo opus est.

2. Similiter si duo latera AB & AC

sint quadrantes, anguli B & C Tab. II. erunt recti (§. 72) & BC mensura anguli A (§. 31), adeoque dato arcu BC, datur angulus A & contra; ut denuo calculo non sit opus.

C A P U T I V.

De Resolutione Triangulorum Obliquangulorum.

D E F I N I T I O XII.

135. **P**Artes laterales in Triangulo Sphærico Rectangulo voco, quæ mediæ vel conjunguntur, vel ab ea sejunguntur.

T H E O R E M A LX.

136. In omni Triangulo Sphærico, Sinus laterum sunt ut Sinus oppositorum angulorum.

D E M O N S T R A T I O.

Est enim in Triangulo Rectangulo ABC, ut Sinus totus ad Hypothenam BC, ita Sinus anguli C ad Sinum cruris AB, & ita Sinus anguli B ad Sinum cruris AC (§. 98.) Ergo etiam ut Sinus anguli C ad Sinum cruris AB, ita Sinus anguli B ad Sinum cruris AC (§. 167. Arithm.). *Quod erat unum.*

Si Triangulum fuerit Obliquangulum ACB, demisso ex C perpendiculo CD ad basin AB, erit ut Sinus AC ad Sinum totum, ita Sinus CD ad Sinum anguli A, ut Sinus totus ad Sinum CB, ita Sinus B ad Sinum CD (§. 98.). Ergo ex æquo, ut Sinus AC ad Sinum CB, ita Sinus B ad Sinum A (§. 198. Arithm.); consequenter ut Si-

nus AC ad Sinum B, ita Sinus C ad Tab. II. Sinum A (§. 179. Arithm.). Quodsi Fig. 28. perpendiculum ex angulo B in latus & 29. AC demittatur, eodem modo ostenditur, esse Sinum cruris CB ad Sinum A, ut Sinus AB ad Sinum C; consequenter etiam ut Sinus AC ad Sinum B, ita Sinus AB ad Sinum C (§. 167. Arithm.). *Quod erat alterum.*

T H E O R E M A LXI.

137. Si ex angulo uno C Trianguli Obliquanguli Spherici ACB in latus oppositum AB demittatur perpendiculum CD, & illud in duo Rectangula ACD & BCD resolvatur, sitque DC in utroque pars lateralium una, ac pro AD & BD sumantur complementa; erunt Cosinus partium medianarum in iisdem Triangulis ACD & BCD, ut Sinus partium lateralium reliquarum sejunctarum, sed ut Cotangentes partium lateralium conjunctarum.

D E M O N S T R A T I O.

Est enim in Triangulo ACD, ut Sinus totus ad Sinum CD, ita Sinus partis lateralis sejunctæ alterius ad Colinum mediae; & in Triangulo BCD similiter,

Tab. II. Sinus totus ut ad Sinum CD, ita Sinus partis lateralis sejunctæ alterius ad Cosinum mediae (§. 100). Ergo Sinus partis lateralis sejunctæ alterius ad Cosinum mediae in triangulo ACD, ut Sinus partis lateralis sejunctæ alterius ad Cosinum mediae in Triangulo altero BCD (§. 167. Arithm.); consequenter Cosinus mediarum sunt ut Sinus lateralium sejunctarum (§. 179. Arithm.). *Quod erat unum.*

Similiter in Triangulis ACD & BCD, est ut Sinus totus ad Cotangentem CD, ita Cotangens partis lateralis conjunctæ alterius ad Cosinum mediae (§. 108). Ergo Cotangens partis lateralis conjunctæ alterius est ad Cosinum partis mediae in Triangulo ACD, ut Cotangens partis lateralis conjunctæ alterius in Triangulo BCD ad Cosinum partis suæ mediae (§. 167. Arithm.); consequenter Cosinus partium mediarum in iisdem sunt ut Cotangentes lateralium conjunctarum (§. 179. Arithm.). *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

138. Est igitur rectangulum ex sinu partis sejunctæ vel Cotangente conjunctæ in Triangulo ACD in Cosinum mediae in altero CDB, æquale rectangulo ex sinu partis sejunctæ vel Cotangente conjunctæ in Triangulo CDB in Cosinum mediae in altero ACD (§. 378. Geom.).

COROLLARIUM. II.

139. Quare si Sinus fuerint artificiales, Sinus partis sejunctæ vel Cotangens conjunctæ in Triangulo ACD cum Cosinu mediae in altero CDB, æqualis est Sinui partis sejunctæ vel Cotangenti conjunctæ in triangulo CDB & Cosinui mediae in altero ACD (§. 337. Arithm.).

THEOREMA LXII.

140. In Triangulo Sphaerico obliquangulo ACB, demissæ ex angulo C perpendiculari CD in basin AB; Tangentes angularum ad basin A & B sunt reciproce ut Sinus arcuum DB & AD.

DEMONSTRATIO.

Est enim in Triangulo rectangulo ADC, ut Sinus totus ad Sinum AD, ita Tangens A ad Tangentem DC; & in altero, ut Sinus totus ad Sinum DB ita Tangens B ad Tangentem DC (§ 105). Quare cum etiam sit ut Sinus DB ad Sinum totum, ita Tangens DC ad Tangentem B (§. 179. Arithm.); erit ut Sinus DB ad Sinum AD, ita reciproce Tangens A ad Tangentem B (§. 198. Arithm.).

LEMMA VI.

141. Sinus summæ duorum arcuum BC & CE, quorum unusquisque quadrante minor, est ad summam Sinuum eorundem arcuum BC & CE, ut differentia eorundem Sinuum ad Sinum differentiæ arcuum.

DEMONSTRATIO.

Fiat CA = CB & FO = BF & AE = EN, ducanturque chordæ BA, AN, BO & diametri CD atque EF; erunt eadem ad illas perpendiculares, ipsasque bisecabunt (§. 291. Geom.); adeoque BP Sinus arcus BE seu summæ arcuum BC & CE, BG Sintis ipsius BC, AM Sinus ipsius AE seu differentiæ arcuum (§. 2. Trigon. plan.) & quia EA + AB + BF = EN + NO + FO (135. Geom.), AB = NO (§. 91. Arithm.), adeoque & BA + AN = AN + NO (§. 88. Arithm.); consequenter Chordæ AB

AB & NO, itemque AO & BN æquales sunt (§. 298. *Geom.*). Ducatur EH ipsi AB parallela: erit AE = BH, (§. 312. *Geom.*) = EN (§. 87. *Arithm.*) & hinc EA + AB + BH = BA + AE + EN (§. 88. *Arithm.*); consequenter Chordæ BN & EH æquales sunt (§. 298. *Geom.*). Est vero AB. NO + AN. BO = AO. BN (§. 324. *Analys. finit.*) hoc est, ob AB = NO & AO = BN = EH per demonstrata, $AB^2 + AN \cdot BO = EH^2$ (§. 98. *Geom.*) & ideo $AG^2 + AM \cdot BP = EI^2$, nempe pars quarta parti quartæ (§. 374. *Geom.*). Demittantur perpendiculares AL & BQ ad EH; erit AG = LI & GB = IQ (§. 283. *Geom.*) & $EL^2 + LI^2 + 2 EL \cdot LI = EI^2$ (§. 261. *Arithm.*) = $AG^2 + AM \cdot BP$ (§. 87. *Arithm.*), adeoque $EL^2 + 2 EL \cdot LI = AM \cdot BP$ (§. 91. *Arithm.*), hoc est, $(FL + 2 LI) \cdot EL$ seu EQ. $EL = AM \cdot BP$. Quare ut BP sinus summæ arcuum BC & CE ad EQ summam Sinuum GB & EI eorundem arcuum, ita EL differentia eorundem Sinuum ad AM Sinum differentiæ arcuum AE (§. 299. *Arithm.*). Q. e. d.

COROLLARIUM.

142. Ergo rectangulum ex Sinu summæ in Sinum differentiæ duorum arcuum equatur rectangulo ex-summa Sinuum in differentiam Sinuum eorundem (§. 378. *Geom.*).

LEMMA VII.

143. Sinus summæ duorum arcuum EB & ED quorum unusquisque quadrante minor, est ad Sinum differentiæ eorundem it summa Tangentium ad differentiam arum.

DEMONSTRATIO:

Tab. II.

Fig. 31.

Ducatur LG Tangens arcum DB in E (§. 311. *Geom.*) & Radiis CD atque CB productis in L & G occurrentes; erunt LE & EG Tangentes arcuum DE & EB (§. 7. *Trig. plan.*). Fiat EF = DE & demittantur perpendiculares DK & FI, quæ erunt Sinus summæ arcuum DE & EB, ac differentiæ eorundem FB (§. 2. *Trigon. plan.*), atque inter se parallelæ (§. 256. *Geom.*); & quia tam DH (§. 291. *Geom.*), quam LG, ad CE perpendicularis (§. 308. *Geom.*), erit DH ipsi LG parallelæ (§. 256. *Geom.*). Ducatur denique Radius CM: quia DE = EF per construct. erunt eorum Tangentes EL & EM æquales, adeoque LG Tangentium summa, MG differentia.

Est vero ob parallelismum rectarum LG & DH per demonstrata LG: MG = DH: FH (§. 275. *Geom.*) & ob parallelismum rectarum FI & DK, per demonstr. DH: FH = DK: FI (§. 268. *Geom.*). Ergo LG: MG = DK: FI (§. 167. *Arithm.*). Q. e. d.

THEOREMA LXIII.

144. In Triangulo Spherico obliquangulo ACB, demissò perpendiculari CD, est ut Sinus summæ angulorum ad basin A & B ad Sinum differentiæ eorundem A-B, ita Tangens basis dimidiæ AB ad Tangentem semidifferentiæ segmentorum AD & DB.

Tab. II.
Fig. 28.
& 29.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Sinus DB ad Sinum AD, ut Tangens A ad Tangentem B (§. 140) & basis AB semicirculo minor (§. 61); construatur Triangulum rectilineum HIK, cuius crura IH & HK sint æqualia Tan-

Tab. II. gentibus B & A, angulus ad verticem Fig. 28. H vero complemento basis AB ad semi-
29. & circulum: erunt anguli I & K junctim
32. sumti basi AB æquales (§. 240 & §. 143). Geom.), cumque sit ut Sinus I ad Sinum K, ita HK ad HI (§. 33. Trig. plan.). erit angulus I segmento BI, angulus K segmento DA æqualis, vi demonstratorum. Est vero & HI + HK ad HK - HI ita Tangens $\frac{1}{2}I + \frac{1}{2}K$ ad Tangentem $\frac{1}{2}I - \frac{1}{2}K$ (§. 40. Trig. plan.): ergo summa Tangentium Angulorum A & B est ad differentiam Tangentium eorundem angulorum, consequenter Sinus Summæ angulorum A & B est ad Sinum differentiæ eorundem (§. 143), ut Tangens basis dimidiæ AB ad Tangentem Semidifferentiæ arcuum AD & DB. Q. e. d.

LEMMA VIII.

145. Si fuerint quatuor quantitates proportionales A : B = C : D; erit Summa terminorum prima rationis A + B ad differentiam eorundem A - B, uti Summa terminorum secundæ C + D ad differentiam eorundem C - D:

DEMONSTRATIO.

Quia A : B = C : D per hypoth. erit A + B : B = C + D : D (§. 190. Arithm.) & A - B : B = C - D : D (§. 193. Arith.). Ergo A + B : A - B = C + D : C - D (§. 195. Arith.). Q. e. d.

THEOREMA LXIV.

Tab. III. 146. In Triangulo Sphaerico obliquan-
gulo ACB, cruribus CB & CA in F & E
Fig. 34. continuatis, donec fiant quadranti æqua-
les, ex Polo C d scripto arcu FD, do-
nec basi BA continuata in D occurrat; dif-
ferentia Cosinum crurum AC & BC est
ad Summam eorundem Cosinum, ut Tan-

gens basis dimidiæ AB ad Tangentem ar-
cus dimidiæ compositi ex BD & AD.

DEMONSTRATIO.

Cum enim anguli ad E & F sint recti (§. 28), ac ideo ut Sinus totus ad Sinum DB, ita Sinus anguli D ad Sinum BF; & ut Sinus totus ad Sinum AD, ita Sinus ejusdem anguli D ad Sinum AE (§. 136); erit etiam Sinus BD ad Sinum AD, ut Sinus BF ad Sinum AE (§. 196. Arithm.), hoc est, ut Cosinus cruris BC ad Cosinum cruris AC (§. 11. Trigon.); consequenter Cosinum BC & AC summa ad differentiam eorundem, ut summa Sinuum BD & AD ad differentiam eorundem (§. 145). Quodsi in Triangulo rectilineo HKI angul K & I habe-
rint mensuras arcubus BD & AD æqua-
les; erunt latera KH & HI ut Sinus ar-
cuum BD & AD (§. 33. Trigon.); con-
sequenter summa Sinuum BD & AD ac
differentiam eorundem. ut Tangen-
summa dimidiæ arcuum BD & AD ac
Tangentem semidifferentiæ eorundem
seu basis dimidiæ AB (§. 40 Trigon.)
Est itaque summa Cosinum crurum BC
& AC ad differentiam eorundem, ut Tan-
gens summae dimidiæ arcuum BD & AD
ad Tangentem basis dimidiæ (§. 167
Arithm.); adeoque differentia Cosi-
num crurum BC & AC ad summan
eorundem, ut Tangens basis dimidia
AB ad Tangentem summae dimidiæ ar-
cuum BD & AD (§. 169. Arithm.)
Q. e. d.

LEMMA IX.

147. Si in Triangulo aequicruro spha-
rico ABC ducatur Chorda Basis AC &
eiden

eidem per verticem B parallela DB: hæc Circulum & Sphærām in B tangit.

DEMONSTRATIO.

Quod si ne ges BD tangere Sphærām & Circulum ABC in C, tangat eam in eodem recta quæcunque alia BE. Ducantur arcuum AB & BC, per hypoib. æquallium Chordæ; erunt hæc inter se æquales (§. 289. Geom.), adeoque anguli ad basin A & C itidem æquales sunt (§. 184. Geom.). Est vero angulus EBC æqualis ipsi A (§. 323. Geom.); consequenter etiam ipsi C (§. 87. Arithm.). Ergo BE parallela ipsi AC (§. 255. Geom.): quod cum sit absurdum (§. 260. Geom.), BD Sphærām & Circulum naximum Sphæræ ABC in Puncto B angit. Q. e. d.

THEOREMA LXV.

148. Si in Triangulo Sphérico quo-
unque ABC crus minus CA continuetur
in D, donec arcus CD fiat cruri majori
BC æqualis, & ex crure majore CB rese-
etur arcus CE minori CA æqualis, per
puncta vero A & E, itemque per D & B:
ucantur arcus Circulorum maximorum;
in rectangulum sub Sinibus arcuum di-
vidiorum AGE & DHB æquale rectangu-
lum sub Sinibus differentiarum crurum à se-
ipsumma omnium laterum.

DEMONSTRATIO.

In arcum CD continuatum transfera-
r ex A in O & ex D in F basis AB.
Bisectetur arcus DO in L: cum sit AO
=DF per constr. adeoque AD=OF
(§. 91. Arithm.), erit etiam AL=LF (§.
3. Arithm.). Sit jam AC=b, BC=a,

AB=c; erit AD=a-b & ob AO=c;
DO=c-a+b, adeoque DL= $\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c$
 $-\frac{1}{2}a = \frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c - a$, hoc est, DL est
differentia cruris majoris BC à semisum-
ma omnium laterum. Quod si ad DL= $\frac{1}{2}a$
 $+\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c - a$ addatur AD=a-b; prodit
AL= $\frac{1}{2}a + \frac{1}{2}b + \frac{1}{2}c - b$, hoc est, AL est dif-
ferentia cruris minoris AC à Semisum-
ma omnium laterum AC, CB & BA.
Quoniam arcus AD=OF per demonst-
r. ex Centro Sphæræ, quod idem cum
Centro arcus AF (§. 15), ducatur
recta in Punctum L, quæ bisecabit
Chordas AF & DO in N & M, atque
ad angulos rectos (§. 291. Geom.), erit
que AN Sinus arcus LA seu differen-
tiæ cruris minoris à semisumma late-
rum, & DM Sinus arcus DL seu diffe-
rentia cruris majoris à semisumma om-
nium laterum. Quoniam arcus AD=EB,
per constr. & AD=OF, per demonstr.
erunt Chordæ AE & DB, itemque DO
& AF parallelæ (§. 312. Geom.); con-
sequenter & plana Triangulorum DOB
& AFE parallelæ (§. 500. Geom.) & an-
goli BDO & EAF æquales (§. 196.
Geom.). Quia AO=AB, per constr. si
PA ducatur Chordæ OB parallela, Sphærā-
ram in Puncto A tangit (§. 146); con-
sequenter & Circulum FAE per Punc-
tum A transeuntem & in Superficie
Sphæræ descriptum. Est itaque & an-
gulus PAF æqualis angulo AEF (§.
328. Geom.). Porro quia PA pa-
rallela ipsi OB, per constr. & AF
ipsi DO, per demonstr. erit angulus
PAF æqualis angulo DOB (§. 496.
Geom.); consequenter angulus AEF
ipsi DOB æqualis (§. 87. Arithm.).

Tab.
III.
Fig. 37.

Quare

Tab. III. Quare cum etiam sint $BDO = EAF$ & EAF æquales per demonstrata; erit $AE:DO = AF:DB$ (*§. 267. Geom.*), adeoque & $\frac{1}{2}AE:\frac{1}{2}DO = \frac{1}{2}AF:\frac{1}{2}DB$ (*§. 181. Arithm.*); consequenter rect. ex $\frac{1}{2}AE$ in $\frac{1}{2}DB =$ rect. ex $\frac{1}{2}DO$ in $\frac{1}{2}AF$ (*§. 378. Geom.*). Sunt vero $\frac{1}{2}AE$, $\frac{1}{2}DB$, $\frac{1}{2}DO$, $\frac{1}{2}AF$ Sinus arcuum dimidiorum AE , DB , DO , AF , seu arcuum GE , HB , DL & AL , adeoque Rectangulum ex Sinibus arcuum dimidiorum AGE & DHB æquale Rectangulo ex Sinibus differentiarum crurum à semisumma omnium laterum. *Q.e.d.*

THEOREMA LXVI.

149. In omni Triangulo Sphærico ABC , est Rectangulum sub Sinibus crurum AC & CB ad quadratum Sinus totius, ut Rectangulum sub Sinibus differentiarum crurum à semisumma omnium laterum ad quadratum Sinus dimidii anguli verticalis C , qui scilicet basi AB opponitur.

DEMONSTRATIO.

Fiat $CE = AC$, & CA continuetur in D , donec $CD = CB$. Per Puncta A & E , itemque D & B ducantur arcus Circulorum maximorum AE & DB , nec non per verticem Trianguli C arcus Circuli maximi CK bisecans angulum verticalem ACB . Erit $AG = GE$ & $DH = BH$ atque anguli contigui ad G & H æquales (*§. 55*); adeoque utrobique recti (*§. 43*). Est vero in $\triangle ACG$ ad G Rectangulo per demonstr. ut Sinus totus ad Sinum cruris AC , ita Sinus dimidii anguli verticalis ACG ad Sinum arcus AG , & in $\triangle DCH$ ad H Rectangulo, per demonstr. ut Sinus totus ad Sinum cruris CD vel CB ita

Sinus dimidii anguli verticalis DCK ad Sinum arcus DH (*§. 136*). Quare, ut quadratum Sinus totius ad Rectangulum sub Sinibus crurum AC & CB ita quadratum Sinus dimidii anguli verticalis C ad Rectangulum sub Sinibus arcum AG & DH (*§. 213. Arithm.*). Enimvero Rectangulum sub Sinibus arcum AG & DH æquale est Rectangulo sub Sinibus differentiarum crurum à semisumma omnium laterum (*§. 149*) Itaque ut Rectangulum sub Sinibus crurum ad quadratum Sinus totius, ita rectangulum sub Sinibus differentiarum crurum à semmisumma omnium laterum ad quadratum Sinus dimidii Anguli verticalis (*§. 168. Arithm.*). *Q.e.d.*

COROLLARIUM.

150. Quoniam differentia cruris uniuà semisumma omnium laterum $\frac{1}{2}a + \frac{1}{2}\frac{1}{2}c - a =$ semidifferentia ejusdem cruris à summa basis & cruris alterius $\frac{1}{2}b + \frac{1}{2} - \frac{1}{2}a$; rectangulum sub Sinibus differentiarum crurum à Semisumma omnium laterum est æquale rectangulo sub Sinibus semidifferentiarum cruris uniuscuiuslibet summa basis & cruris alterius. Est igitu ut rectangulum sub Sinibus crurum ad quadratum Sinus totius, ita rectangulum sub Sinibus Semidifferentiarum cruris uniuscuiusque à basi & crure altero ad quadratum dimidii anguli verticalis (*§. 168. Arithm.*)

LEMMA X.

151. Si Coni Scaleni ACB Sect. Triangularis ACB fuerit ad basin perpendicularis, & Conus fecetur planus FIG, ad Sectionem Triangularem perpendiculari, ea lege, ut Diameter Sectionis FG cum lateribus Coni AC &

CB eosdem efficiat angulos, quos cum iisdem efficit Diameter DE Sectionis parallela DIE, sed contraria ratione positos, scilicet ut angulus DFG sit aequalis angulo DEG; erit Sectio FIG Circulus.

DEMONSTRATIO.

Quoniam angulus DFH = HEG per hypoth. & verticales ad H aequales (§. 156. Geom.); erit FH:DH = HE:HG (§. 267. Geom.); consequenter rectangulum ex DH in HE aequale rectangulo ex FH in HG (§. 378. Geom.). Jam Sectio Triangularis ad basim AB perpendicularis, & Sectio DIE basi parallela, per hypoth. Ergo & Sectio parallela DIE ad Triangularem CAB perpendicularis (§. 497. Geom.). Quare cum etiam sit Sectio subcontraria FIG ad Triangularem ACB perpendicularis, per hypoth. communis parallelae & subcontrariæ Sectio IH erit ad rectas DE & FG perpendicularis (§. 508. Geom.). Est vero Sectio parallela DIE Circulus (§. 468. Geom.), adeoque $Hl^2 = \text{rect. ex } DH \text{ in } HE$ (§. 377. Anal. fin.). Quamobrem um sit rect. ex FH in HG = rect. ex DH in HE, per demonstrat. erit etiam Sectio sub contraria FIG Circulus. Q.e.d.

LEMMA II.

152. Si Axis Sphærae fuerit perpendicularis ad aliquod Planum & ex Polo idem projiciatur Circulus maximus per Polum transiens; Projectio in isto Plano erit Linea recta, qua Circulum tangit. Omnis vero Circulus alius, qui per Polum Sphærae non transit, repræsentatur in Plano Projectionis per Circulum.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

DEMONSTRATIO.

Sit in A Polus Sphærae & Axis AB ad Tab. rectam BG in Plano Projectionis perpendicularis (§. 484. Geom.). Sit porro Fig. 39. ACB Semicirculus maximus per Polum transiens & recta BG in Plano Circuli maximi. Quodsi jam Oculus fuerit in Polo & in Punctum C dirigatur; erit cum Puncto C in eodem Plano; adeoque in Plano Semicirculi ACB; consequenter recta, juxta quam dirigitur visus, AC rectam BG in Puncto E attingit. Cum eodem modo ostendatur, Punctum D repræsentari in F & B in B; evidens est Semicirculi ACB arcum DC repræsentari per rectam FE & arcum BC per rectam BE. Circulus adeo maximus per Polum transiens in Plano Projectionis repræsentatur per rectam ad Diametrum perpendiculararem; consequenter quæ Circulum tangit. Quod erat primum.

In casibus ceteris Radii ex Polo per singula Circuli in Sphæra descripti Puncta ducti Conum producunt, cuius Sectio est hic ipse Circulus & Planum Projectionis eundem Conum secat (§. 467. Geom.). Quodsi ergo Circulo projectando parallelum fuerit Planum Projectionis; erit Sectio communis hujus Plani & basi Coni parallela, consequenter Circulus (§. 468. Geom.). Quamobrem cum hæc ipsa Sectio sit repræsentatio Circuli in Sphæra descripti in hoc ipso Plano; idem in Plano Projectionis per Circulum repræsentatur. Quod erat secundum.

Sit Circulus in Sphæra descriptus ad Tab. I V. Planum Projectionis inclinatus, adeoque Fig. 40.

T t

Diamet-

Tab. Diameter Circuli projiciendi CG, Linea in quam projicitur, EH, & Oculus seu Polus Sphæræ in B. Cum BCA sit rectus (§. 317. Geom.) & Axis Sphæræ AB ad Lineam in Plano Projectionis DH in F perpendicularis, per hypoth. & §. 484. Geom.); erit etiam EFB rectus (§. 78. Geom.), consequenter BCA = EFB (§. 145. Geom.). Quare cum porro angulus FBE utriusque Triangulo FBE & ABC communis sit; erit etiam angulus BEF = BAC (§. 246. Geom.). Est vero BAC = CGB (§. 315. Geom.). Ergo BEF = CGB (§. 87. Aritm.). Quamobrem cum angulus CBG utriusque triangulo & EBH communis sit: erit etiam BHE = GCB (§. 246. Geom.); consequenter cum CG repræsentet Circulum projiciendum; EH repræsentabit Circulum in Plano Projectionis, adeoque Circulus inclinatus repræsentatur per Circulum (§. 151). *Quod erat tertium.*

Sit denique Circulus projiciendus ad Planum Projectionis perpendicularis, adeoque ejus Diameter GI. Quoniam anguli BIG & BCG æquales (§. 315. Geom.) & BHE = BCG, per antea demonstrata; erit BIG = BHK (§. 87. Aritm.). Quamobrem cum angulus GBI utriusque Triangulo GBI & BHK communis sit, erit angulus BGI = BKH (§. 246. Geom.); consequenter cum GI repræsentet Circulum projiciendum, cuius nempe Diameter est, etiam KH Circulum in Plano Projectionis repræsentat, cuius itidem Diameter est (§. 151). Circulus itaque ad Planum Projectionis perpendicularis, sed non transiens per Polos, per Circulum projicitur. *Quod erat quartum.*

SCHOLION.

153. *Ne in concipienda Demonstratione Imaginatio negotium facebat, tenendum est, CB & BH esse latera Sectionis Triangularis Coni, cuius basis est circulus habens Diametrum Diametro CG Circuli projiciendi parallelam & EH esse communem Sectionem istius Trianguli & Plani Projectionis atque adeo lineam, in quam projicitur Diameter Circuli in Sphera descripti G: similiter IB & BH esse latera Sectionis Triangularis Coni, cuius Basis est Circulus habens Diametrum Diameter Circuli projiciendi IG parallelam, KH vero esse communem Sectionem istius Trianguli & Plani Projectionis, atque adeo Linem, in quam projicitur Diameter Circuli in Sphera descripti IG.*

THEOREMA LXVII.

154. *In Triangulo sphaerico obliquangulo ABC, demissæ ex vertice B perpendiculari BD, est ut Tangens basis dimidia AC ad Tangentem semisumma crurum AB & BC; ita Tangens semidifferentia eorundem crurum ad Tangentem semidifferentia segmentorum bascos AI & DC.*

DEMONSTRATIO.

Sit Triangulum Sphaericum ABC & HA Diameter Sphæræ: crus Bi transiens per A, si ex altera parte continetur, transibit per H, quemadmodum & basis AC (§. 17). Describatu ex B tanquam Polo in Superficie Sphæræ Circulus CFGE: erit BE = BI = BC, adeoque AE summa crurum AG differentia crurum &, quia ex Demonstratione Theorematis 66. (§. 149) constat perpendicularum BD basin FC Trianguli æquicruri FBC secare in duas partes æquales FD & DC, erit porro AF differentia segmentorum basis AD & DC.

Con

Concipiamus Sphæram in Puncto A tangere Planum Projectionis. Quoniam G & E sunt in eodem Circulo maximo per Polos Sphæræ A & H transeuntis, si per ea ducantur rectæ HM & HN, erunt Puncta M & N, in quibus Planum Projectionis attingunt, cum Puncto A in eadem recta AM (§. 152). Et ex eadem ratione si per C & F ducantur rectæ HK & HL, erunt Puncta L & K cum Puncto A in eadem recta AK. Jam cum recta HA sit ad Planum Projectionis perpendicularis; per hypoth. erit eadem perpendicularis ad rectas AK & AM (§. 484. Geom.). Quare si AH sumatur pro Sinu toto, erit AK Tangens anguli AHK, AL Tangens anguli AHL, AM Tangens anguli AHM & denique AN Tangens anguli AHN. Jam anguli AHK mensura est arcus dimidijs AC seu basis dimidia, anguli AHL mensura est arcus dimidijs AF seu semidifferentia segmentorum basis, anguli AHM mensura est arcus dimidijs AE seu semisumma crurum, & denique anguli AHN mensura est arcus dimidijs AG seu semidifferentia crurum (§ 314. Geom.), consequenter AK Tangens basis dimidiæ, AL Tangens semidifferentiæ segmentorum basis, AM Tangens semisumma crurum & denique AN est Tangens semidifferentiæ crurum.

Quoniam Puncta E, C, F, G, quæ rojiciuntur in M, K, L, N sunt in 'eripheria Circuli Sphæræ inscripti, sed non transeuntis per Polos H & A per onstr. erunt Puncta M, K, L, N, in 'eripheria Circuli (§. 152). Quamobrem cum sit ut AK ad AM ita AN

ad AL (§. 333. Geom.); evidens est esse Tab. ut Tangentem dimidiæ basis ad Tangentem semisumma crurum, ita Tangentem semidifferentiæ crurum ad Tangentem semidifferentiæ segmentorum basis. *Q. e. d.* IV. Fig. 41.

SCHOLION.

155. *Demonstratio continet Artificium Analyticum, quo NEPERUS (a) hoc Theorema invenit, modo notes ipsum imitatum esse solutionem Trianguli rectilinei, qua ex tribus lateribus investigantur anguli (§. 41. Trig.).*

THEOREMA LXVIII.

156. *Triangulum Sphericum ABC Fig. 33: potest transformari in aliud MLK, in quo latera singula ML, LK, KM angulis singulis A, C, B alterius (aut eorum complementis ad duos rectos, si qui fuerint obtusi) & anguli singuli M, L, K lateribus singulis CB, BA, AC alterius (aut eorum complementis ad semicirculum, si que fuerint quadrante majora) aequalia sunt.* Tab. II.

DEMONSTRATIO.

Latus unum AB continuetur in Circulum AEPA, reliqua duo BC & AC producantur, donec Circulo isti occurrant. Ex A, B & C tanquam Polis describantur, quadrantis AE, BG & CI intervallo, arcus EP, GO & IN, qui erunt partes Circulorum maximorum in Sphæra (§. 26). Quoniam Circulus ABGPA per Polos A & B Circulorum EP & GO transit per construct. hi vicissim per illius Polos transeunt (§27). Est ergo Circuli AEPA Polus in L, ubi EP & GO se mutuo intersecant.

Tt 2 Simili

(a) Vid. Descripto Canonis mirifici Logarithmorum Lib. II. C. 6. p. m. 49. & seqq.

Tab.II. Simili modo patet, in K esse Polum Circuli AF, quia is transit per Polos A & C Circulorum EP & NI se mutuo secantium in K, & in M esse Polum Circuli BH, quia is transit per Polos B & C Circulorum GO & NI se mutuo in M secantium. Sunt adeo LE & GL, itemque MQ & MH, KD & KI, AD, BQ & CH quadrantes, (§.25), & hinc ED=LK, GQ=LM, HI=MK, AB=EG, AC=DI, BC=QH, ablato nempè à quadrantibus æqualibus in casu primo arcu DL, in secundo LF, in tertio HK, in quarto BE, in quinto CD, in sexto CQ (§.91. Arithm.). Sed ED mensura anguli BAC, GQ ipsius EBC, HI ipsius ICQ (§.33), consequenter verticalis BCA (§.43); EG ipsius ELG seu MLK (§ cit.), DI ipsius LKH, QH ipsius LMK (§.33). Ergo in Triangulo LMK latus LK angulo BAC, LM ipsi EBC, MK ipsi BCA, & angus'us MLK lateri AB, LKH ipsi AC, LMK ipsi BC æquatur. *Q.e.d.*

SCHOLION.

157. *Ex jactis hactenus fundamentis soluntur omnes Casus Trigonometriae Sphæriæ circa Triangula obliquangula. Aut enim dantur sola latera, aut soli anguli, aut duo latera cum uno angulo, aut uno anguli cum uno latere. Duobus Casibus prioribus satisfit per Theor. 64. 66 & 67. (§. 146 : 149. 155); duobus posterioribus per Theor. 60 (§.136), si partes in questionem venientes sibi mutuo opponuntur, sed per Theor. 61. (§. 137), si oppositioni locus non est. Erimvero è re esse judicamus, ut hæc expressius doceantur.*

PROBLEMA XX.

158. *Datis in Triangulo Sphærico*

obliquangulo ABC duobus lateribus BC T. & AB, cum angulo uni eorum opposito F A; invenire alterum C.

RESOLUTIO.

Inferatur (§.136):

Ut Sinus lateris BC
ad Sinum anguli oppositi A,
ita Sinus lateris BA
ad Sinum anguli oppositi C.
Si e.gr. BC $39^{\circ} 29'$, A $43^{\circ} 20'$, BA $66^{\circ} 45'$:
erit

Sin. BC	98033572
Sin. A	98364771
Sin. BA	99632168
	197996939

Sin. C 99963367, cui in Tabulis quam proxime respondent $82^{\circ} 34' 7''$.

PROBLEMA XXI.

159. *Datis in Triangulo Sphærico obliquangulo ABC duobus angulis C $82^{\circ} 34' 7''$, & A $43^{\circ} 20'$, una cum latere AB $6^{\circ} 45'$ uni eorum C opposito; invenire laterus BC alteri A oppositum.*

RESOLUTIO.

Inferatur (§.136):

Ut Sinus anguli C
ad Sinum lateris oppositi AB;
ita Sinus anguli A.
ad Sinum lateris oppositi BC.
Exemplum Casus præcedentis facile mutatur in Casum præsentem.

PROBLEMA XXII.

160. *Datis in Triangulo Sphærico obliquangulo ABC duobus lateribus AB $66^{\circ} 45'$ & BC $39^{\circ} 29'$, una cum angulo uni eorum opposito A $43^{\circ} 20'$; invenire angulum comprehensum B.*

RESO-

RESOLUTIO.

- Ponamus angulum C esse acutum :
quia alter A etiam acutus, perpendicu-
lum CD intra Triangulum cadit (§. 82).
1. In Triangulo itaque rectangulo ABE,
ex datis angulo A & latere AB, in-
venitur angulus ABE (§. 130).
 2. Quoniam BE pro parte lateralı as-
sumta in Triangulo AEB, pars media
est angulus ABE, conjuncta vero la-
tus AB & in Triangulo EBC pars
media est angulus EBC, conjuncta
latus BC (§. 94); reperietur Cosinus
anguli EBC, si à summa ex Cosinu
anguli ABE & Cotangente BC sub-
trahatur Cotangens ipsius AB (§.
1. 9.).
 3. Quodsi anguli ABE & EBC addan-
tur, aut perpendiculo extra Trian-
gulum cadente à se invicem subtra-
hantur; prodibit quæsitus ABC.

1. gr. Sin. Tot.	100000000
Cosin. AB	95963154

Summa	195963154
Cot. A	100252805

Cot. ABE	95710349
----------	----------

cui in
abulis quam proxime respondent $20^{\circ} 5' 35''$. Est adeo ABE $69^{\circ} 34' 25''$.

Cos. ABE	95428300
Cotang. BC	100841529

Summa	196269829
Cotang. AB	96330985

Cosin. EBC	99938844
------------	----------

cui in
abulis quam proxime respondent, $80^{\circ} 4' 26''$.

Est ergo EBC	$9^{\circ} 35' 34''$
Addatur ABE	$69^{\circ} 34. 25$

erit ABC	$79^{\circ} 9' 59''$
----------	----------------------

PROBLEMA XXIII.

- 161 Datis duobus angulis A $43^{\circ} 20'$ Tab. II.
& B $79^{\circ} 9' 59''$, una cum latere adjacen- Fig. 28.
te AB $66^{\circ} 45'$; invenire latus BC uni
eorum oppositum.

RESOLUTIO.

1. Ex angulo uno datorum B demisso
perpendiculo EB in latus ignotum
AC; in Triangulo rectangulo ABE,
ex datis angulo A & Hypothenuſa
AB, inveniatur angulus ABE (§.
130) : qui
2. Ex angulo ABC subductus relinquit
angulum EBC. Quodsi perpendicu-
lum extra triangulum caderet, an-
gulus ABC subtrahi deberet ex ABE.
3. Quoniam perpendiculo BE pro una
partium lateralium assumto, in Trian-
gulo ABE pars media est angulus
ABE, conjuncta vero AB; in Trian-
gulo EBC media angulus EBC,
conjuncta BC (§. 94); Cotangens la-
teris BC invenitur, si è summa Co-
tangentis AB & Cosinus EBC subtra-
hatur Cosinus EBA (§. 139).

Exemplum Problematis præcedentis facile
mutatur in Casum præsentis.

PROBLEMA XXIV.

162. Datis in Triangulo obliquan-
gulo ACB duobus lateribus AB $66^{\circ} 45'$
& BC $39^{\circ} 29'$, una cum angulo A uni
eorum opposito $43^{\circ} 20'$; invenire latus
tertium AC.

RESOLUTIO.

1. Demisso ut ante perpendiculo BE ,
in Triangulo rectangulo ABE ex
datiſ angulo A & Hypothenuſa AB,
inveniatur latus AE (§. 127).
2. Quoniam perpendiculo BE pro parte

Tab. II.
Fig. 28.

laterali assumto, in Triangulo AEB pars media est AB, sejuncta AE, in Triangulo BEC media BC, sejuncta EC (§. 96); reperietur Cosinus EC, si à summa Cosinuum AE & CB subtrahatur Cosinus AB (§. 139).

3. Quodsi segmenta AE & EC in unam summam colligantur (aut, perpendiculari extra Triangulum cadente, à se invicem subtrahantur); prodibit latus quæsumum

E. gr. Sin. totus	100000000
Cosin. A	98617576
Summa	198617576
Cotang. AB	96330985

Tang. AE 102286591, cui in Tabulis quam proxime respondent $59^{\circ} 25' 52''$.

Cosin. AE	97063540
Cosin. BC	98875102
Summa	195938642
Cosin. AB	95963154
Cosin. EC	99975488, cui in Tabulis quam proxime respondent $83^{\circ} 55' 6''$.

Est ergo EC	$6^{\circ} 4' 54''$
addatur AE	$59^{\circ} 25' 52''$
erit AC	$65^{\circ} 30' 46''$

PROBLEMA XXV.

163. Datis duobus lateribus AC $65^{\circ} 30' 46''$ & AB $66^{\circ} 45'$, cum angulo intercepto A $43^{\circ} 20'$; invenire latus tertium BC eidem oppositum.

RESOLUTIO.

1. Demisso perpendiculari BE, in Triangulo rectangulo queratur ut in Problemate praecedente segmentum AE (§. 162), quod

2. Ex AC subductum relinquit EC. Si perpendiculari extra Triangulum cadit AC ex AE subducendum.

3. Quoniam perpendiculari BE pro parte lateralii assumto, in Triangulo AEB pars media est AB, sejuncta AE, in Triangulo BEC pars media CB, sejuncta EC (§. 69); reperietur Cosinus BC, si à summa Cosinuum AB & EC subtrahatur Cosinus AE (§. 139).

Exemplum Problemaris praecedentis facile abit in Casum præsentem.

PROBLEMA XXVI.

164. Datis duobus angulis A $43^{\circ} 20'$ & B $79^{\circ} 9' 59''$, una cum latere CB alteri eorum opposito $39^{\circ} 29'$; invenire latus uirique adjacens AB.

RESOLUTIO.

1. Demisso ex angulo incognito C in latus oppositum AB perpendiculari CD, quod intra Triangulum cadit ob A & B acutos (§. 82), in Triangulo rectangulo BCD, ex datis angulo B & Hypotenusa BC, invenietur segmentum DB (§. 127).

2. Quoniam perpendiculari CD pro parte lateralii assumto, in Triangulo CDB pars media est DB, conjuncta vero angulus B, & in Triangulo CDA pars media AD, conjuncta angulus A (§. 94), Sinus segmenti AD reperitur, si ex summa Sinus DB & Cotangentis anguli A subtrahatur Cotangens anguli B (§. 139).

3. Quod si segmenta AD & DB addantur (aut, perpendiculari extra Triangulum cadente, à se invicem subtrahantur), prodibit latus quæsumum AB.

E. gr.

E. gr.	Sinus totus	100000000
Cosin.	B.	92740596
Summa		192740596
Cotang.	BC	100841529

Tang.	DB	91899067	cui in	
			Tabulis	quam proxime respondent $8^{\circ} 48' 8''$.
	Sin.	DB	91847599	
	Cotang.	A	100252805	
	Summa		192100404	
	Cotang.	B	92818698	
	Sin.	AD	99281706,	
ui			in Tabulis respondent $57^{\circ} 56' 50''$	
		addatur DB	8 48 8	
	erit	AB	66 44 58	

PROBLEMA XXVII.

165. Datis duobus lateribus AB $66^{\circ} 15'$ & BC $39^{\circ} 29'$, cum angulo intercepto B $79^{\circ} 9' 59''$; invenire angulum & unius eorum oppositum.

RESOLUTIO.

- i. Demisso perpendiculari CD, inveniatur ut in Problemate praecedente segmentum DB (§. 164); quod
 - ii. Ex AB subductum relinquatur AD. Quodsi perpendicularum extra Triangulum cadit, AB ad DB addendum.
 - iii. Quoniam perpendiculari CD pro parte laterali assumto, in Triangulo CDB pars media est DB, conjuncta vero angulus B, & in Triangulo CDH media AD, conjuncta angulus A (§. 94); Cotangens anguli A reperitur, si à summa Cotangentis anguli B & Sinus AD subtrahatur Sinus DB (§. 139),
- xemplum Problematis praecedentis facile ut applicatur.

PROBLEMA XXVIII.

166. Datis in Triangulo Sphaerico

obliquangulo ABC duobus angulis A Tab. II. $43^{\circ} 20'$ & B $79^{\circ} 9' 59''$, una cum lateri adjacente AB $66^{\circ} 45'$; invenire angulum eidem oppositum C.

RESOLUTIO.

1. Ex angulo uno datorum B demisso in latus oppositum AC perpendiculari BE, in Triangulo rectangulo ABE, ex datis angulo A & Hypotenusa AB, invenitur angulus ABE (§. 130); qui
2. Ex ABC subductus relinquatur angulum EBC. Quodsi perpendicularum extra Triangulum cadit, ABC ex ABE auferri debet.
3. Quoniam perpendiculari BE pro parte lateralii assumto, in Triangulo CEB pars media est angulus C, conjuncta angulus CBE. in Triangulo ABE media angulus A, conjuncta angulus ABE (§. 96); Cosinus anguli C habetur, si ex summa Cosinus anguli A & Sinus EBC subtrahatur Sinus anguli ABE..

E. gr.	Sinus totus.	100000000
Cosin.	AB.	95963154
Summa		195963154
Cotang.	A.	100252805
Cotang.	ABE	95710345, cui in
Tabulis	respondent $20^{\circ} 25' 35''$. Est adeo	
	ABE $69^{\circ} 34' 25''$,	
	sed ABC $79^{\circ} 9' 59''$,	
Ergo	EBC $9^{\circ} 35' 34''$	
	Cosin A	98617576
	Sin. EBC	92217908
	Summa	190835484
	Sin. ABE	99717958
	Cosin. C	91117526, cui in
Tabulis	respondent quam proxime $7^{\circ} 25' 54''$.	
	Est vero C. $82^{\circ} 34' 6''$.	

PRO-

PROBLEMA XXIX.

Tab II. 167. *Datis in Triangulo Sphaerico*
Fig. 28. *obliquangulo ABC duobus angulis A 43°*

20' & C 82° 34' 6", una cum latere BA uni eorum opposito 66° 45'; invenire angulum reliquum.

RESOLUTIO.

1. Ex angulo quæsito B demisso perpendiculari BE, in Triangulo rectangulo AEB, ex datis angulo A & Hypothenusâ BA, invenitur angulus ABE (§. 130).
2. Quoniam perpendiculari EB pro parte laterali assumto, in Triangulo ECB pars media est angulus C, sejuncta angulus CBE & in Triangulo AEB pars media angulus A, sejuncta angulus ABE (§. 94); Sinus anguli EBC habetur, si ex summa Cosinus C & Sinus ABE subtrahatur Cosinus A (§. 139).
3. Quodsi ABE & EBC addantur (aut, perpendiculari extra Triangulum cadente, à se invicem subtrahantur); prodibit angulus ABC quæsusitus.

Exemplum Problematis præcedentis facile mutatur in Casum præsentem.

PROBLEMA XXX.

168. *Datis in Triangulo Sphaerico obliquangulo tribus lateribus; invenire angulum uni eorum oppositum.*

RESOLUTIO.

Tab. II. I. Si latus unum AC fuerit quadrans,
Fig. 20. & crus AB quadrante minus, quæraturque angulus A;

I. Continetur AB in F, donec AF fiat quadranti æqualis & ex Polo A du-

catur arcus CF (§. 25), qui arcum AF secabit in F ad angulos rectos (§. 28).

2. Quoniam in Triangulo CBF ad F rectangulo, datur Hypothenusâ BC & latus BF seu complementum ipsius AB ad quadrantem, reperietur perpendiculari CF (§. 119); quod cum sit mensura anguli CAB (§. 31), eundem repertum esse patet.

Si e. gr. $AB = 67^\circ$, $BC = 49^\circ$; erit Cosinus BC cum Sinu toto Sinibus complementorum BF & CF, hoc est, Sinui AB & Cosinui CF seu anguli A æqualis, (§. 112) adeoque

Sin. tot.	100000000
Cosin. BC	98169429
Summa	198169429
Sin. AB	99640261
Cosin. A	98529168

cui in Tabulis quam proxime respondent $45^\circ 27' 22''$. Est adeo $A = 44^\circ 32' 38''$.

- II. Si latus unum AC fuerit quadrans, alterum AB quadrante majus, quæraturque denuo angulus A;

- I. Ex AB resecetur quadrans AD & ex Polo A describatur arcus CD (§. 25), qui arcum AB secabit in D ad angulos rectos (§. 28).

2. Quoniam in Triangulo CDB ad D rectangulo Hypothenusâ BC & latus DB seu excessus lateris AB supra quadrantem datur, reperietur ut ante perpendiculari CD (§. 119), quod est mensura anguli quæsiti A (§. 31).

Si e. gr. $AB = 158^\circ$, $BC = 78^\circ$, erit $DB = 68^\circ$, adeoque (§. 112) Cosinus BE cum Sinu toto æqualis Sinibus complementorum

torum DB & DC, hoc est, Sinui comple-
menti lateris AB ad Semicirculum & Cosi-
nui anguli A æqualis. Ergo

Sinus totus	100000000
Cosin. BC	92805988
Summa	192805988
Cosin. BD	95735754

Cosinus A 97070234, cui in
Tabulis quam proxime respondent $30^{\circ} 37' 16''$. Est ergo A $59^{\circ} 22' 44''$.

III. Si Triangulum ACF fuerit æquicru-
rum, ut nempe AC = CF, quæra-
turque e. gr. angulus ACF: divida-
tur AF bifariam in D & per D atque
C ducatur arcus DC. Quoniam eodem
modo, quo idem de Triangulis
rectilineis demonstravimus (§. 184.
Geom.) ostendi potest, quemadmo-
dum ex Demonstratione *Theorema-
tis* 66. (§. 149) patet, esse CD ad
AF perpendicularem, angulos A & F,
itemque ACD & DCF æquales; ex da-
tis in Triangulo rectangulo ACD Hy-
pothenusa AC & crure AD invenitur
angulus ACD (§. 117), cuius duplus
est quæsitus ACF. Angulus vero
A vel F reperiri ex iisdem datis po-
test (§. 129).

E. gr. Sit AC = 65° BA = 38° , erit AD = 19° , adeoque

Sin. totus	100000000
Sinus AD	95126419

Subtr. Sinus AC	99572757
-----------------	----------

Sin. ACD 95553662, cui in
Tabulis quam proxime respondent $21^{\circ} 3' 9''$.
Est ergo angulus ACF = $42^{\circ} 6' 8''$.

V. Si Triangulum ACB fuerit scale-
num, quæraturque angulus A;

I. Ex angulo C demittatur per Tab II.
pendiculum CD & quæratur se- Fig. 28.
midifferentia segmentorum AD &
DB inferendo (§. 154).

Ut Tangens Basis dimidiæ
AB
ad Tangentem semisummæ
crurum AC & CB
ita Tangens semidifferentiæ eo-
rumdem
ad Tangentem semidifferen-
tiæ segmentorum AD
& DB.

2. Addatur semidifferentia segmen-
torum ad Basin dimidiæ, ut ha-
beatur majus segmentum; eadem
ab eadem subtrahatur, ut ha-
beatur minus (§. 39. *Trigon.*
plan.).

3. Datis jam in Triangulo CAD
rectangulo ad D Hypotenusa AC
& latere AD, invenitur angulus
A (§. 129). Eodem modo in
altero CDB, ex datis CB & DB,
invenitur B.

Sit e. gr. AB = $66^{\circ} 45'$, AC = $65^{\circ} 30' 46''$, BC = $39^{\circ} 29'$ erit $\frac{1}{2} AB = 33^{\circ} 22' 30''$, AC + BC = $104^{\circ} 59' 46''$, AC - BC = $26^{\circ} 1' 46''$, adeoque $\frac{1}{2} AC + \frac{1}{2} BC = 52^{\circ} 29' 53''$, $\frac{1}{2} AC - \frac{1}{2} BC = 13^{\circ} 0' 53''$. Quare

Tang. $\frac{1}{2} AB$ 98187224

Tang. $\frac{1}{2} AC + \frac{1}{2} BC$ 101149889

Tang. $\frac{1}{2} AC - \frac{1}{2} BC$ 93638728

Summa 194788617

Tang. $\frac{1}{2} AD - \frac{1}{2} DB$ 96601393,
cui in Tabulis quam proxime respondent
 $24^{\circ} 34' 18''$.

Tab.II.
Fig. 28.

$\frac{1}{2} AB = 33^\circ 22' 30''$
$24 \quad 34 \quad 18$
<hr/>
$AD = 57 \quad 56 \quad 48$
<hr/>
Cotang. AC 96584473
Tang. AD 102033115
<hr/>
Summa 198617588
Sin. tot. 1000000000

Cosin. A 98617588 , cui in
Tabulis quam proxime respondent $46^\circ 40'$.
Est igitur angulus A $43^\circ 20'$.

Aliter.

Inferatur (§. 149)

Ut rectangulum sub Sinibus crurum
AB & AC,
ad quadratum Sinus totius ;
Ita rectangulum sub Sinibus differen-
tiarum crurum AB & AC à semi-
summa omnium laterum AB, AC
& BC,
ad quadratum Sinus dimidii anguli A
cruribus AB & BC comprehensi.

Sit AB $= 66^\circ 45' 0''$
AC $= 65 \quad 30 \quad 40$
BC $= 39 \quad 29 \quad 0$
<hr/>
Summa Lat. $171 \quad 44 \quad 46$
<hr/>
Semif. Lat. $85 \quad 52 \quad 23$
Crus AB $66 \quad 45 \quad 0$
<hr/>
Differ. I. $= 19 \quad 7 \quad 23$
Semif. Lat. $85 \quad 52 \quad 23$
Crus AC $65 \quad 30 \quad 46$
<hr/>
Differ. II. $= 20 \quad 21 \quad 37$
Sin. AB $= 99632168$
Sin. AC $= 99590670$
<hr/>
Rectang. I. $= 199222838$
Sin. tot. 1000000000
<hr/>
\square sin. tot. 2000000000
<hr/>
Sin. Differ. I. $= 95153231$
Sin. Differ. II. $= 95414820$
<hr/>
Rectang. II. $= 190568051$

$$\text{Rectang. I.} = 199222838$$

$$\square \sin. \text{tot.} = 2000000000$$

$$\text{Rectang. II.} = 190568051$$

$$\text{Summa Logg.} 390568051$$

$$\square \sin. \frac{1}{2} A = 191345213$$

Sin. $\frac{1}{2} A = 95672606$, cui in
Tabulis proxime respondent $21^\circ 40'$.

Est igitur angulus A $43^\circ 20'$, quemadmo-
dum ante repertus.

Adhuc aliter.

Inferatur (§. 150)

Ut rectangulum sub Sinibus crurum,
ad quadratum Sinus totius ;
Ita rectangulum sub Sinibus semidif-
ferentiarum cruris uniuscujusque à
basi & crure altero ,
ad quadratum Sinus dimidii anguli
verticalis.

Sit ut ante AB $66^\circ 45'$, AC $65^\circ 30' 46''$, BC
 $39^\circ 29'$; erit

AC $= 65^\circ 30' 46''$
BC $= 39 \quad 29 \quad 0$
<hr/>
AC + BC $= 104 \quad 59 \quad 46$
AB $= 66 \quad 45 \quad 0$
<hr/>
Differ. I. $= 38 \quad 14 \quad 46$
<hr/>
Semidiff. I. $= 19 \quad 7 \quad 23$
AB $= 66^\circ 45' 0''$
BC $= 39 \quad 29 \quad 0$
<hr/>
AB + BC $= 106 \quad 14 \quad 0$
AC $= 65 \quad 30 \quad 46$
<hr/>
Differ. II. $= 40 \quad 43 \quad 14$
Semidiff. II. $= 20 \quad 21 \quad 37$

Reliqua sunt prorsus ut ante.

Adhuc aliter.

Si, datis tribus lateribus AC, CB
& BA, inveniendus angulus A; basis
CB & crus alterum CA, continuen-
tur in F & E, donec fiant quadranti-
bus æquales & ex Polo C descripto
arcu

arcu FD, donec cruri alteri BA continuato in D occurrat,

1. Quæratur arcus dimidiis compositus ex BD & AD inferendo (§. 146), Ut differentia Cosinuum basis CB & cruris unius AC ad summam eorumdem laterum, ita Tangens cruris dimidii alterius AB ad Tangentem arcus dimidii compositi ex BD & AD.

2. Ex arcu invento subducatur crus AB, ut relinquatur duplum ipsius AD.

3. Datis, in Triangulo AED ad E rectangulo (§. 28), Hypotenusa AD vi num. 2. & latere AE complemento cruris AC ad quadrantem vi num. I. invenitur angulus A (§. 129), qui suo verticali BAC æqualis (§. 43).

4. Quodsi latera LA & LB fuerint quadrante majora, continentur ad Semicirculum & loco Trianguli ALB solvatur Triangulum ACB.

E.gr. Sit ut ante $AB = 66^\circ 45'$, $AC = 65^\circ 30' 46'$, $BC = 39^\circ 29'$, erit

Cosinus BC	7718096
Cosinus AC	4144902

Summa Cosin.	11862998
Differ. eorund.	3573194

Respondent in Tabulis

Summæ Tang.	$49^\circ 52' 19''$
Differentiæ Sinus	$20^\circ 56' 8''$

Cum adeo summa Cosinuum AB & BC & Tangens arcus $49^\circ 52' 19''$, itemque differentia Cosinuum AC & BC atque Sinus ar-

cus $20^\circ 56' 8''$ eundem habeant Logarithmum, erit

Log. Differ. Col.	95530544
Summæ Col.	100742159
Tang. $\frac{1}{2}$ AB	98187223

Summa	198929382
-------	-----------

Tang. $\frac{1}{2}$ AD + $\frac{1}{2}$ DB	103398838
-------------------------------------------	-----------

cui in Tabulis quam proxime respondent
 $65^\circ 25' 47''$

Quare AD + AB	130 51 34
AB	66 45 0

2 AD	64 6 34
------	---------

AD	32 3 17
----	---------

CE	90 0 0
----	--------

AC	65 30 46
----	----------

AE	24 29 14
----	----------

Cot. AD	102032881
---------	-----------

Tang AE	96584473
---------	----------

Cosin. A	198617354
----------	-----------

cui in Tabulis proxime respondent
 $46^\circ 39' 50''$

Ergo angulus A $43^\circ 20' 10''$.

Cum tædiosa sit Logarithmorum summæ ac differentiæ Cosinuum AC & BC inventio; præstat uti modis anterioribus.

S C H O L I O N.

169. Quodsi in illatione prima solutionis primæ Casus quarti pro Tangentibus crurum & basis sumantur ipsi crura & basis, produbit ea, qua ex datis tribus lateribus in Triangulo rectilineo investigamus angulos (§. 41. Trigon. Plan.). Patet adeo, casum difficultimum Trigonometria Sphærica eadem facilitate solvi posse, qua in Trigonometria Plana solvitur. Quare si praxin speßes, Trigonometria Sphærica nunc ad eandem facilitatem reducta est, qua Plana gaudet.

PROBLEMA XXXI.

170. *Datis tribus angulis A, B & C in Triangulo Sphærico obliquangulo ABC, invenire latus quodcumque.*

RESOLUTIO.

Quia loco Trianguli dati aliud assumi potest, in quo latera æqualia sunt angularis, anguli vero lateribus datis (§. 156); Problematis resolutio non differt à resolutione præcedentis.

FINIS TRIGONOMETRIÆ SPHÆRICÆ.



















FIG. SPHERIC. TAB. I.



















FIG. SPHÆRIC. TAB. II.






FIG. SPHAR. TAB. III.












FIG. SPHÆR. TAB. IV.






ELEMENTA ASTRONOMIE. P R A E F A T I O.



Umma Numinis immensi Majestas, & Excellentia Intellectus Humani prorsus insignis non aliunde clarius, quam ex Astronomia elucescit, quæ per structuram Universi simplicitate ac vastitate sua admirandam, motusque Siderum Leges Scientiæ, Sapientiæ, Potentiæ, immo Bonitatis Divinæ immensitatem, vulgo ab Hominibus nonnisi confuse cognitam, distincte cognoscendam exhibet & Intellectui Humano, si eodem rite utamur, ad abscondita maxime & à sensibus remota aditum patere exemplis evidentissimis demonstrat. Commendandum igitur est Astronomiæ Studium tum iis, qui ex cognitione perfectionum Divinarum voluptatem capiunt, ut voluptate summa perfundantur; tum etiam illis, qui propriis aliquando meditationibus veritates adhuc latentes in apricum producere & Naturalem in primis Scientiam ulterius perficere cupiunt, ut summa Intellectus perfectio nonnisi genuino usu

comparanda ipsis concilietur. Utrique fini ut satisfacerem, omnem Astronomiam ita pertractandam esse statui, ut figura Veterum, quibus partim ob præjudicia nonnulla, partim ob Instrumentorum, Tubi præsertim Optici atque Micrometri, defectum, ad veritatem liquidam pertingere non licuit, rejicerem & principiis COPERNICI atque KEPLERI, quorum ille veram Mundi fabricam restauravit, hic jura Poli primus manifestavit, totam Theoricæ Doctrinam superstruerem, singula vero more EUCLIDEO in Sphærica demonstrarem. Quoniam nimirum dupli modo considerari potest Universum, tum quomodo Sensui apparet, tum quomodo Intellectui obvium, utraque vero consideratio ad accuratam Temporum rationem ineundam apprime facit; ideo dudum Astronomi Astronomiam diviserunt in Sphæricam & Theoricam quarum partium illa priori, altera vero posteriori considerationi satisfacit, si Recentiorum inventis debire utamur. Cæterum Chronologia & Gnomonica, immo etiam Geographia tanquam rivuli ex Astronomiæ fonte deducuntur, ut adeo iis circa plurima cœcutiat, qui Astronomia nondum salutat: ad illas Scientias digreditur: Physica vero pulcherrimam su partem de Universi Systemate & natura ac proprietatibus Corporum totalium totam eidem debet, ut adeo nil sani in scriptis Physicorum de hoc argumento reperiatur, nisi quod e: Astronomia desumptum.



ELEMENTA ASTRONOMIÆ.

P A R S P R I M A.

ELEMENTA ASTRONOMIÆ SPHÆRICÆ.

C A P U T P R I M U M.

Observationes communes recenset, ac inde prima Astronomia Sphaerica Principia stabilit.

D E F I N I T I O I .

1. *ASTRONOMIA est Scientia Universi ac Phænomenorum ejus, quæ talis.*

D E F I N I T I O I I .

2. *Astronomia Sphaerica est, quæ niversum considerat, quale in Oculos currit.*

D E F I N I T I O I I I .

3. *Astronomia Theorica est, quæ niversi veram structuram considerat & us Phænomena inde determinat.*

D E F I N I T I O I V .

4. *Per Observationes communes intellego ea, quæ ad perceptiones Phænomenorum Universi veluti sponte sua se offentes attenti cognoscimus.*

D E F I N I T I O V .

5. *Observationes Astronomicas appollo ea, quæ ad perceptiones Phænomenorum Universi studio nostro in nobis productas attenti cognoscimus.*

S C H O L I O N .

6. *Observationes communes primæ omnium sunt & Astronomicis ansam dant. Quamobrem ut intelligatur, quomodo Astronomia enata fuerit suaque incrementa cuperit, ab Observationibus communibus ordiendum nobis erit: id quod & aliis Scientiis lucem affundit.*

O B S E R V A T I O I .

7. *Si noctu Cœlum Stellatum intuemur, omnes Stellæ æqualibus intervallis à nobis distare videntur: & hæc apparentia constans est quovis Anni tempore atque ubivis locorum.*

C O R O L L A R I U M I .

8. *Quia distantiarum magnarum differentias, etsi admodum ingentes, visus non discernit (§. 250. Optic.) ; sensuum judicio constare nequit, utrum Stellæ omnes à nobis æqualibus intervallis revera distent, nec ne.*

S C H O L I O N .

9. *Hoc probe notandum est, ne vitio subreptionis judicium præcipitantes periculo errandi nos exponamus & progressum Scientiæ impediamus.*

COROLLARIUM II.

10. Cœlum igitur cuivis Spectatori insitar Hemisphærii cavi apparet, in cuius superficie Stellæ sint constitutæ, in Centro autem ipse sit collocatus (§.471. Geom.): hinc tamen inferri nequit, hæc revera ita se habere (§. 8.).

OBSERVATIO II.

II. Stellæ, quæ vertici nostro immiment, aliquo temporis spatio præterlapsò, ab eodem distare videntur versus dextram, aliis nunc super vertice conspicuis, quæ ante versus levam distabant, facie nempe illuc versa, ubi Solem circa meridiem contuemur. Stellæ, quas versus dextram prope extremitatem Cœli ante conspiciebamus, disparuerunt & alia vertici viciniores locum earundem occupant: contra quæ versus sinistram extremas Cœli partes replebant, vertici propiores videntur, in ipsorum vero locis aliæ ante nondum præsentes cernuntur. Ceterum distantia Stellarum inter se, quamdiu eas conspicimus, eadem apparet. Postero die, iisdem horis redeuntibus, eadem Cœli facies conspicitur. Eadem interdiu de Sole, noctu de Luna observamus.

SCHOLION.

12. In hac Observatione recensenda consulto abstinemus à terminis Astronomicis, quibus excogitandis eadem inserviit.

COROLLARIUM I.

13. Stellarum igitur, Solis ac Lunæ situs respectu Puncti cujusdam fixi in superficie Telluris continuo, sed per insensibilia incrementa mutatur.

SCHOLION.

14. Repetenda hic sunt, quæ de vitando vitio subreptionis supra inculcavimus (§.9).

COROLLARIUM II.

15. Quoniam Spectator locum in Terra non mutat, adeoque seipsum tanquam immotum spectat; Cœlum moveri videtur (§.13), & quidem circa Terram (§.11).

COROLLARIUM III.

16. Cum tamen in omni situ Figuran Hemisphærii cavi referat (§.10); Planus sectionis ubivis lócorum est Circulus maximus (§.19. Sphæric.); adeoque Cœlum Teræ incolis instar Sphæræ cavæ apparet (§.13. Sphær.) in cuius Centro ipsi constitui (§.15. Sphær.), & quæ circa Terram quotidie gyratur (§. 15.).

COROLLARIUM IV.

17. Et quoniam Stellæ eandem à se in vicem distantiam servant (§.11), superficie Sphæræ cavæ quasi affixæ videntur.

COROLLARIUM V.

18. Cum Astronomia Sphærica Mundus consideret, qualis in Oculos incurrit (§.2) in ea recte assumitur, Mundum esse Spharam cavam, quæ circa Tellurem in Centrum ejus collocatam rotatur, Stellis ejus superficie affixis, ac inde Phænomena reliqui determinantur, quæ ex hac apparentia cosequuntur.

DEFINITION VI.

19. Cum Sidus apparere incipit quod antea latebat, *Oriri* dicitur: quando vero disparet, quod ante apparuit, *Occidere* dicitur. Est nempe *Orta* apparentia Sideris ante latentis: *Occidens* vero occultatio Sideris antea conspicu Denotant quoque vocabula *Ortus* & *Occidens* loca, ubi Sidera oriuntur & occidunt.

SCHOLION.

20. Has sane, non alias *Ortus* & *Occidens* notationes habemus (§.19.Meth.Mathem. quæ adeo motum Siderum non involvunt.

DEFINITIO VII.

21. Motus, quo Stellæ cum Sphæra mundana circa Tellurem ab Ortu ad Occasum moveri videntur, vocatur
Motus Primus communis, diurnus; item Motus Primi mobilis.

SCHOLION.

22. Hunc motum potissimum Astronomia Sphærica expendit &, qualia inde Phænomena in Terra spectanda pendeant, determinat.

OBSERVATIO III.

23. Si Stellas notemus, quibus Luna vicina videtur; easam die sequente ab eadem aliquo intervallo versus Occasum distare observamus; Luna vero prope Stellas alias cernitur. Atque hec distantie mutatio quotidie accidit, donec tandem 27 circiter diebus elapsis in vicinia earundem Stellarum conspiciatur, inter quas in prima Observatione hærebat.

COROLLARIUM.

24. Luna igitur interea, dum quotidie cum Sphæra mundana circa Tellurem rotatur (§. 16), in dies certo intervallo à Stellis sociis versus Ortum digredi, adeoque motu contrario ab Occasu versus Ortum, 27 circiter dierum intervallo, circa eandem moveri videtur (§. 23).

DEFINITIO VII.

25. Stellæ fixæ dicuntur, quæ eandem à se invicem distantiam constanter servant.

OBSERVATIO IV.

26. Si Stellas notemus, quæ in ea Cœli parte conspiciuntur, ubi Sol visui nostro se subduxit, Observationibus per plures dies continuatis, animadvertisimus, quæ

in anterioribus vertici erant propiores, eas in posterioribus Occasui esse proximas, donec tandem, annuo spatio 365 circiter dierum elapsò, idem Cœli situs redeat.

COROLLARIUM.

27. Sol adeo æque ac Luna interea temporis, dum cum Sphæra mundana circa Tellurem rotatur, ad alias aliasque Fixas ab Occasu versus Ortum progredi, sicque motu contrario intra anni spatium circa Tellurem moveri videtur.

OBSERVATIO V.

28. Si Stellarum distantias à se invicem quotidie attentius contemplamur, præter Lunam ac Solem quinque adhuc Stellarum situm suum quotidie mutare observamus, quamvis earum distantia à Fixa quadam data non eadem quantitate in singulis mutetur, ita ut prima nonni si triginta circiter, secunda duodecim, tercia duobus annis præterlapsis, duæ autem à Sole non multum digredientes, eumque interdum præcedentes, interdum sequentes, annuo circiter spatio, in eodem Cœli loco rursus conspiciantur.

COROLLARIUM.

29. Quinque igitur Stellæ perinde ac Sol & Luna interea temporis, dum cum Sphæra mundana circa Tellurem gyrantur, motu contrario ab Occasu versus Ortum inæqualibus temporum intervallis circa eandem moveri videntur.

DEFINITIO IX.

30. Motus secundus seu proprius appellatur, quo Stella ab Occasu versus Ortum indies certo intervallo promovetur.

DEFINITIO X.

31. *Planetæ seu Stelle erraticæ* vocantur Sidera, quorum à Fixis distan-
tia indies mutatur.

DEFINITIO XI.

32. *Saturnus* est Planeta debiliore lumine conspicuus, intra 30 circiter annos Periodum suam circa Tellurem motu proprio absolvens.

DEFINITIO XII.

33. *Jupiter* est Planeta, insigni splen-
dore resplendens, intra 12 circiter annos
motu proprio Periodum suam circa Tel-
lurem absolvens.

DEFINITIO XIII.

34. *Mars* est Planeta, lumine sub-
rubido corruscans, intra biennium cir-
citer motu proprio Periodum circa Tel-
lurem absolvens.

DEFINITIO XIV.

35. *Venus* est Planeta, splendore suo lumen omnium superans, Solem con-
stanter comitans, nec ultra 47 circiter gradus ab eo digrediens. Quando So-
lem præcedit, *Phosphorus* seu *Lucifer*; quando sequitur, *Hesperus* vocatur.

DEFINITIO XV.

36. *Mercurius* est Planeta exiguus, lumine tamen satis claro fulgens, Solis individuus comes, nec ultra 28 gradus ab eodem digrediens.

SCHOLION.

37. *Ex his Definitionibus proprio quilibet marte Planetas agnosceret. Si enim post occasum Solis videat Planetam Ortui quam Oc-*

*casui vicinorem, inde colligit nec Venerem, nec Mercurium esse (§. 35. 36). An vero sit Saturnus, an Jupiter, an Mars, ex lumine ulterius dignoscit (§. 32. 33. 34). Qui Sa-
turnum, Jovem & Martem agnoscit, ex lu-
mine quoque Venerem & Mercurium distin-
guit (§. 35. 36). Contra si quis, illis adhuc
sibi ignotis, Planetam observat à Sole rece-
dentem, mox iterum ad eum redeuntem, is
Venerem vel Mercurium esse inde colligit :
utrum vero Venus, an Mercurius sit, ex lu-
mine dignoscit (§. 35. 36). Cognitis vero Ve-
nere & Mercurio reliquos ex solo lumine ag-
noscit (§. 32. 33. 34).*

DEFINITIO XVI.

38. Sol atque Planetæ certis signis indigitari solent. Est nempe

☿	signum	Saturni.
♃		Jovis.
♂		Martis.
♀		Veneris.
♄		Mercurii.
⊙		Solis.
☽		Lunæ.
♁		Terræ.

OBSERVATIO VI.

39. *Si distantias Solis & Planeta-
rum à vertice minimas in maxima ea-
rum elevatione quotidie observamus; eas
ad certum usque terminum continuo cres-
cere, dein rursus decrescere disceimus: qui
tamen uterque terminus in singulis di-
versus notatur.*

COROLLARIUM.

40. Omnes igitur sub Circulo aliquo Sphæræ mundanae, non tamen uno eodem que motu proprio incedunt.

C A P U T I I.

De Circulis Sphæræ mundanae.

DEFINITIO XVII.

41. Per Circulos Sphæræ mundanae intelligo eos, qui Sphæræ mundanam secant & Peripheriam habent vel in ipsa superficie ejus mobili, vel in alia immobili isti contermina & æquidistante.

DEFINITIO XVIII.

42. Circulus mobilis est, cuius Peripheria in superficie Sphæræ mundanae mobili existit; adeoque cum Sphæra motu diurno rotatur.

DEFINITIO XIX.

43. Circulus immotus est, cuius Peripheria in superficie Sphæræ mundanae immobili existit, adeoque cum Sphæra motu diurno non rotatur.

DEFINITIO XX.

44. Axis mundi est recta PQ, circa quam Sphæra mundana motu diurno rotatur.

SCHOLION.

45. Nimurum illud temporis spatium, quo Sphæra mundana unam revolutionem circa Tellurem absolvit, dies dicitur in communem sermone. Unde motus iste circa Axem proprium diurnus appellari solet.

DEFINITIO XXI.

46. Poli Mundi sunt Puncta P & Q in superficie Sphæræ mundanae, per quæ Axis PQ transit. Polus nobis conspicuus P dicitur Arcticus seu Borealis; ipsi vero oppositus Q Antarcticus seu Australis.

SCHOLION.

47. Denominatio Poli Arctici est à Side-Tab. I. re vicino, quod Ursæ minoris fert nomen. Fig. I. Antarcticus vero ita dicitur, quod Arctico opponatur.

DEFINITIO XXII.

48. Äquator DA est Circulus Sphæræ mundanae maximus, mobilis & eosdem cum ipsa Polos P & Q habens.

COROLLARIUM I.

49. Singula Äquatoris Puncta à Polis Mundi quadrantis intervallo distant (§. 25. Sphæric.).

COROLLARIUM II.

50. Äquator Sphæræ mundanæ in duo Hemisphæria dividit (§. 19. Sphæric.), in quorum uno est Polus Borealis, in altero Australis (§. 46. 49).

DEFINITIO XXIII.

51. Hemisphærium Boreale seu Septentrionale est dimidium Sphæræ mundanae DPA Äquatore DA terminatum, in cuius vertice est Polus Borealis P.

DEFINITIO XXIV.

52. Hemisphærium Australis seu Meridionale est dimidium Sphæræ mundanae DQA Äquatore DA terminatum, in cuius vertice est Polus Australis Q.

DEFINITIO XXV.

53. Circulus Äquinoctialis est Circulus maximus immotus, sub cuius Peripheria Äquator motu diurno movetur.

SCHOLION I.

Tab. I. 54. Nempe si Semidiameter Sphæræ per Fig. I. Punctum Äquatoris producatur (que eadem est cum Semidiametro Äquatoris (§. 15. Sphæric.) , in superficie immobili Peripheria Äquinocialis describitur, dum Sphæra circa Axem rotatur (§. 131. Geom.).

SCHOLION II.

55. Circulus Äquinocialis vulgo cum Äquatore confunditur, quia idem sunt Planum, nisi quod Planum Äquatoris mobile, Äquinocialis immobile spectetur & Äquinocialie veluti spatium consideretur, intra quod Äquator continetur.

DEFINITIO XXVI.

56. Circulus diurnus est Circulus immotus, in cuius Peripheria Stella aliqua aut Punctum aliquod in Superficie mundana mobili datum motu diurno movetur.

SCHOLION.

57. Nempe si recta ex Centro Stellæ ad Axem mundi perpendicularis ultra superficiem Sphæræ mundanæ producta concipiatur, in superficie immota Peripheriam Circuli diurni describit, dum Sphæra circa Axem rotatur (§. 131. Geom.).

DEFINITIO XXVII.

58. Zenith seu Punctum verticale est Punctum Z. in superficie Sphæræ mundanæ immobili, ex quo ducta recta per verticem Spectatoris per Centrum Terræ transit. Quod ipsi diametraliter opponitur N., vocatur Nadir.

COROLLARIUM I.

59. Tot sunt Zenith, quot diversa in Terra loca, è quibus Cœlum spectari potest.

COROLLARIUM II.

60. Mutato igitur loco, mutatur etiam Zenith.

DEFINITIO XXVIII.

61. Horizon rationalis sive verus est Circulus maximus immotus HR, cujus Poli sunt Zenith Z atque Nadir N. Horizon rationalis etiam simpliciter Horizon dicitur.

COROLLARIUM I.

62. Singula Horizontis Puncta à Zenith atque Nadir quadrantis intervallo distante. (§. 25. Sphæric.).

COROLLARIUM II.

63. Horizon verus Sphærā mundanam in duo Hemisphæria dividit (§. 19. Sphær.).

DEFINITIO XXIX.

64. Hemisphærium superius est dimidium Sphæræ mundanæ HZR Horizonte HR terminatum, in cuius vertice est Zenith Z.

DEFINITIO XXX.

65. Hemisphærium inferius est dimidium Sphæræ mundanæ HNR Horizonte HR terminatum, in cuius vertice est Nadir N.

DEFINITIO XXXI.

66. Horizon sensibilis sive apparens est Circulus hr, qui partem Sphæræ mundanæ conspicuam à latente separat.

COROLLARIUM.

67. Quia rectæ à Zenith Z ad singula Horizontis apparentis hr Puncta ductæ æquales apparent; Horizontis sensibilis Polus est Zenith Z (§ 12. Sphæric.); consequenter cum Nadir N ipsi Zenith diametraliter opponatur (§. 58), Nadir est alter Horizontis apparentis Polus (§. 23. Sphær.).

DEFINITIO XXXII.

68. Horizon ortivus est pars Horizontis, in qua Sol ortitur.

DEFINITIO XXXIII.

69. Horizon occidens est pars Horizontis, in qua Sol occidit.

DEFINITIO XXXIV.

70. *Circulus verticalis* est Circulus Sphæræ maximus immotus, per Zenith Z atque Nadir N. & Punctum quodcumque aliud in Sphæra mundana ductus.

SCHOLION.

71. *Datis nempe in superficie Sphæræ tribus Punctis, Circulus determinatur* (§. 294. Geom.).

DEFINITIO XXXV.

72. *Meridianus* est Circulus verticalis AZBN per Polos mundi P & Q transiens. *Verticalis primarius* dicitur, qui per Polos Meridiani D & E transit.

DEFINITIO XXXVI.

73. *Altitudo Stellæ vel Puncti in Sphæra mundana* est distantia ejus ab Horizonte. *Profunditas* appellatur si Stella vel Punctum fuerit in Hemisphærio inferiori. Utraque vera dicitur, si Horizon spectetur verus; *apparens*, si apparentia.

SCHOLION.

74. *Horizon* nempe *instar Basis, Centrum Stellæ vel Punctum quodlibet aliud in Sphæra mundana datum instar Verticis alicujus Objecti consideratur* (§. 115. Geom.).

DEFINITIO XXXVII.

75. *Declinatio Stellæ S aut Puncti in Sphæra mundana dati* est distantia ejus ab Äquatore.

COROLLARIUM I.

76. Est ergo Arcus Circuli maximi GS, inter Punctum datum S & Äquatorem AQ interceptus, atque ad eum perpendicularis (§. 38. Sphær.).

COROLLARIUM II.

77. Circulus adeo, cuius Arcu declinationem GS metitur, per Polos Äquatoris (§. 28. Sphær.); consequenter per Polos Mundi P & K transit (§. 48.).

DEFINITIO XXXVIII.

78. Hinc *Circulus Declinationis* est Circulus maximus PGDK per Polos Mundi P & K transiens. Tab. I. Fig. 3.

COROLLARIUM.

79. Est ergo GP Arcus inter Äquatorem AQ & Punctum P interceptus Circuli quadrans (§. 25. Sphær.).

DEFINITIO XXXIX.

80. *Cardines Mundi* sunt Puncta Horizontalis A, D, B, E, in quibus Meridianus AZBN & Circulus verticalis primarius ZDNE Horizontem ADBE secant. Est autem *Cardo Septentrionis* A, Punctum intersectionis Meridiani & Horizontalis, cui Polus Borealis P vicinus. *Cardo Meridiei* est Cardo mundi B Cardini Septentrionis A oppositus. *Cardo Orientis* E est Punctum intersectionis Horizontalis ortivi & Verticalis primarii. *Cardo* denique *Occidentis* D est Punctum intersectionis Horizontalis occidui & Verticalis primarii. Tab. I. Fig. 2.

DEFINITIO XL.

81. *Linea Meridiana* est intersectio AB Planorum Meridiani AZBN & Horizontalis ADBE. Eodem quoque nomine venit recta quæcunque alia eidem in Piano Meridiani parallela.

COROLLARIUM.

82. Transit ergo per Cardinem Septentrionis A & Meridiei B (§. 80).

THEOREMA I.

83. *Dimidia Äquatoris pars supra Horizontem rationalem, dimidia infra eum existit.*

DEMONSTRATIO.

Est enim tam Äquator (§. 48), quam Horizon rationalis Circulus maximus

Tab. I. (§.61). Se mutuo itaque bifariam secant Fig. 2. (§.20. *Sphær.*), consequenter Æquatoris pars dimidia supra Horizontem rationalem, dimidia infra eum existit. *Q. e. d.*

THEOREMA II.

84. Meridianus Æquatorem & Horizontem rationalem bifariam & ad angulos rectos secat.

DEMONSTRATIO.

Meridianus est Circulus verticalis (§. 72), adeoque maximus (§.70). Cum itaque & Æquator (§.48), & Horizon rationalis sit Circulus maximus (§.61); Meridianus tam Æquatorem, quam Horizontem rationalem bifariam secat (§. 20. *Sphær.*). *Quod erat unum.*

Quia Zenith atque Nadir sunt Poli Horizontis rationalis (§. 61), & Poli Mundi iidem cum Polis Æquatoris (§. 48), Meridianus cum per Polos Horizontis rationalis, tum per Polos Æquatoris transit (§.70 & 72). Secat igitur Horizontem rationalem atque Æquatorem ad angulos rectos (§. 28. *Sphær.*). *Quod erat alterum.*

THEOREMA III.

85. Quilibet Circulus Verticalis Horizontem rationalem bifariam & ad angulos rectos secat.

DEMONSTRATIO.

Eadem est, quæ Theorematis præcedentis.

THEOREMA IV.

86. Horizon rationalis & Æquator per Polos Meridiani transit.

DEMONSTRATIO.

Quia enim Poli Horizontis rationalis sunt Zenith atque Nadir (§.61), Æquatoris vero Poli iidem cum Polis Mundi

(§.48); Meridianus per Polos Horizontis rationalis & Æquatoris transit (§.70 & 72). Ergo Horizon & Æquator vicissim per Polos Meridiani transeunt (§. 27. *Sphær.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

87. Ibi adeo sunt Poli Meridiani, ubi Æquator & Horizon rationalis se mutuo intersecant.

COROLLARIUM II.

88. Cum Meridianus sit Circulus verticalis (§.72), adeoque immotus (§.70); Poli ejus erunt quoque Puncta immota (§. 25. *Sphær.*), adeoque Æquator Horizontem rationalem in eodem semper Puncto secat, dum Sphæra mundana circa Axem convertitur.

COROLLARIUM III.

89. Arcus Æquatoris inter Horizontem & Meridianum, & Arcus Horizontis inter Æquatorem atque Meridianum interceptus est quadrans (§.25. *Sphær.*).

THEOREMA V.

90. Horizon sensibilis Poli sunt Zenith atque Nadir.

DEMONSTRATIO.

Recta ZC ex Zenith Z ad Planum Horizontis sensibilis ADBE demissa perpendicularis est ad Planum (§.58), adeoque ad singulas rectas per Punctum C in eodem Plano ductas (§.484. *Geom.*). Sed rectæ CH, CB, CD, CA æquales sunt (§.7). Ergo etiam ZB, ZE, ZA, ZD (quas ductas concipere licet), æquales sunt (§. 179. *Geom.*); consequenter Zenith Z est unus Horizontis sensibilis Polus (§.12. *Sphær.*). Quare cum Nadir ipsi diametraliter opponatur (§8); erit hoc Punctum ejusdem Polus alter (§.24. *Sphær.*). *Q. e. d.*

COROL.

COROLLARIUM I.

91. Horizon ergo sensibilis & rationalis eodem habent Polos (§. 61).

COROLLARIUM II.

92. Est adeo Horizon sensibilis rationali parallelus (§. 42. Sphær.).

THEOREMA VI.

93. Circuli Verticales Horizontem sensibilem bifariam & ad angulos rectos secant.

DEMONSTRATIO.

Cum Zenith atque Nadir sint Poli Horizontis sensibilis (§. 90), Meridianus & quilibet Verticalis per Polos Horizontis sensibilis transit (§. 70. 72). Secat ergo eundem bifariam & ad angulos rectos (§. 30. Spheric.). Q.e.d.

THEOREMA VII.

94. Altitudo alicujus Puncti in Sphaera mundana, itemque profunditas ejus est arcus Circuli Verticalis inter ipsum & Horizontem interceptus.

DEMONSTRATIO.

Cum altitudo & profunditas sint distantiae ab Horizonte (§. 73); erunt eadem arcus Circulorum maximorum inter Puncta data & Horizontem intercepti atque ad eundem perpendiculares (§. 83. Sphær.). Sed Circuli Verticales sunt maximi (§. 70) atque ad Horizontem perpendiculares (§. 85). Ergo eorum arcus inter Puncta in Hemisphaerio superiori & inferiori data atque Horizontem intercepti sunt illorum altitudines, horum vero profunditates. Q.e.d.

COROLLARIUM I.

95. Quia Meridianus Circulus Verticalis (§. 72); altitudo meridiana, hoc est, altitudo Puncti in Meridiano constituti, est arcus Meridiani inter ipsum & Horizontem interceptus.

COROLLARIUM II.

96. Et quia Meridianus per Polos Mundi transit (§. 72); altitudo Poli itemque Aequatoris in Hemisphaerio superiori & profunditas in inferiori est arcus Meridiani quadrante minor inter Polum ac Horizontem interceptus.

THEOREMA VIII.

97. Altitudo Aequatoris cum altitu- Tab. I. dine Poli quadranti aequalis. Idem va- Fig. 3. let de profunditate ejus.

DEMONSTRATIO.

Sit AQ Aequator, HR Horizon, Z Zenith, P Polus, erit HZPN Meridianus (§. 72. 70), PR altitudo Poli, HA altitudo Aequatoris & QR profunditas ejusdem (§. 97). Est vero PA quadrans (§. 49) & HA + AP + PR Semicirculus (§. 84). Ergo HA + PR quadrans. Quod erat unum.

PR + RQ esse itidem quadrantem patet per Cor. I. Def. 22. (§. 49). Quod erat alterum.

COROLLARIUM.

98. Qua tam HA + PR, quam PR + RQ quadrans est (§. 98); erit HA = QR (§. 91. Arithm.), hoc est, altitudo Aequatoris maxima æquatur ejus profunditati maxima.

DEFINITIO XLI.

99. Altitudo Poli & Aequatoris PR & AH communiter etiam vocatur Ele- vatio Poli & Aequatoris.

THEOREMA IX.

100. Mensura anguli O, quem efficit Aequator AO ad Horizontem HO sive ortivum, sive occiduum, aequalis est elevationi Aequatoris HA.

DEMONSTRATIO.

In O est Polus Meridiani HZRN (§. 87) & hinc OA & OH quadrantes (§. 25. Sphær.).

Tab. I. *Sphær.*). Est ergo HA mensura anguli
Fig. 3. O, sive O fuerit in Horizonte occiduo,
sive in ortivo (§.31. *Sphær.*). Q.e.d.

SCHOLION.

101. Non mirum, quod anguli ex intersectione Äquatoris & Horizontis tam ortivi, quam occidui orti, eandem habeant mensuram: sunt enim æquales (§.32. *Sphær.*).

THEOREMA X.

Tab. I. 102. Cardines Orientis D & Occi-
Fig. 2. dentis E sunt Poli meridiani, à Cardini-
bus Septentrionis A & Meridiei B qua-
drantis intervallo distant, sibique mu-
tuu diametraliter opponuntur.

DEMONSTRATIO.

Circulus Verticalis primarius ZDNE, qui transit per Cardines Orientis D & Occidentis E (§.80), transit etiam per Polos Meridiani (§.72). Sed Poli Meridiani sunt in Horizonte (§.86): ergo Cardines Occidentis D & Orientis E sunt Poli Meridiani, adeoque sibi mu-
tuu diametraliter opponuntur (§. 24. *Sphäric.*) &, quoniam Cardines Meridi-
ei ac Septentrionis in intersectionibus Horizontis atque Meridiani A & B exis-
tunt (§.80), adeoque arcus Äquato-
ris inter Polos Meridiani & ipsos inter-
ceptus quadrans (§.89), quadrantis in-
tervallo ab iisdem distant (§.54 *Sphær.*
Q.e.d.

COROLLARIUM.

103. Quoniam adeo recta DE ex Car-
dine Orientis in Cardinem Occidentis duc-
ta per Centrum Sphärae C transit (§. 470.
Geom.) & AD quadrans Circuli existit (§.
102); erit ACD angulus rectus (§. 143.
Geom.), adeoque recta DE ad Lineam Me-
ridianam AB perpendicularis (§.78. *Geom.*).

THEOREMA XI.

104. Altitudines apparentes MB &
mb æquales sunt & sub eodem angulo vi-
dentur, si veræ MA & ma fuerint æqua-
les.

DEMONSTRATIO.

MA = ma per hypoth. Sed Horizon
apparens hr Horizonti vero HR paralle-
lus (§.92); adeoque AB & ab æquales
sunt (§.42. *Sphär.*). Ergo etiam MB
= mb (§.61. *Aithm.*). Quod erat
unum.

Cum itaque Chordæ cognomines
MB & mb (§.289. *Geom.*) atque rec-
tæ TB & tb (§. 7), itemque anguli
MBT & mbt, utpote eodem modo de-
terminati (§.93.) & per demonstr. simi-
les (§. 120. *Geom.*) adeoque æquales
sint (§.174. *Geom.*); erunt quoque an-
guli BTM & bTm, sub quibus magnitu-
dines apparentes BM & bm videntur,
inter se æquales (§.179. *Geom.*). Quod
erat alterum.

SCHOLION.

105. Posthac evincemus, altitudines ve-
ras & apparentes ad sensum non differre,
nisi fere in Luna sola. Sed antequam id con-
stet, utendum est altitudinibus apparentibus,
tanquam à veris diversis, ne in leges accu-
rata Methodi, quam mihi proposui, imping-
atur. Et quoniam altitudinum, præsertim
meridianarum, Observatio præcipuum totius
Astronomiae fundamentum existit; ideo è re-
esse videtur, ut Quadrantem Astronomicum,
quali recentiores Astronomi in obser-
vandis Siderum altitudinibus utuntur, dis-
tingue describamus. Quare cum PHILIPPUS
DE LA HIRE; Observator celeberrimus, ta-
llem dederit descriptionem (a); eam hoc trans-
ferre libet.

PRO-

(a) In Tabulis Astronomicis p.56. & seqq.

PROBLEMA I.

106. Quadrantem Astronomicum construere.

RESOLUTIO.

1. Fiat Quadrans 'ABC, cuius radius AC trium circiter pedum, ut divisiones satis minutæ admittat, non tamen nimia mole molestus sit, si hinc inde transferendus aut manibus tractandus.
2. Limbus ferreus AB supra regulas ferreas AC, CB, CD, AE & EB mediocris crassitie paululum emineat ac Lamina orichalcea exacte levigata superinducatur.
3. In Centro aptetur Lamina Circularis C, ferrea & crassa, sed alia orichalcea superinducenda, ita ut cum Limbo AB exacte in eodem sit Plano.
4. In Centro Laminæ fiat foramen rotundum C, cuius Diameter $\frac{1}{3}$ circiter unius digiti.
5. Per hoc foramen adigatur Cylindrus ex orichalco tornatus & bene politus DE, cuius Basis DF ultra Laminam C paululum extet.
6. In Centro Basis Cylindri I defigatur mucro Acus tenuissimæ GI cuius caput G Anconi ferreo DG mastice agglutinetur.
7. Ex mucrone Acus suspendatur Capillus FH cum pondere K duarum circiter unciarum ope annuli satis ampli, ne nodus H Laminæ centrali C occurrens motui remoras injiciat: quem in finem etiam Basis DF aliqualem habere debet convexitatem.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

8. Ne Capillus FK aëris motu agitetur, Tab. II. in Lamina centrali supra ferream Fig. 5. Laminam inseratur annulus planus circa Centrum volubilis; Cylindro tamen DE minime occurrens, ita ut ejus superficies ultra superficiem Laminæ orichalceæ non emineat, & eidem Tubus ex ea parte, qua Instrumentum respicit, planus duarum Cochlearum ope annexatur, cum Pendulo quaquaversum mobilis.
 9. Circa Centrum gravitatis Instrumenti E, ope Cochlearum, ad Regulas ferreas AE, EB & DC firmetur Cylindrus ferreus, longitudine 8 digitorum, Diametro 10 linearum, ad Planum Quadrantis perpendicularis, circa quem Quadrans in usu vertitur.
 10. Fiat porro Regula ferrea EO, cuius crassities 3 linearum, longitudo 8 & latitudo $1\frac{2}{3}$ pollicum, eique appetentur annuli ferrei elastici, ope Cochlearum P & Q ad arbitrium constringendi, intra quos immittatur Cylindrus ED seu Axis quadrantis, hoc artificio in situ quolibet firmiter detinendus.
 11. Regulæ EO afferruminetur Cylindrus ferreus Axi æqualis & intra Tubum ferreum RS fulcro affixum reponendus & mediante Cochlea T ad libitum firmandus.
 12. Fulcri SVXY, cuius structura ex sola inspectione Figuræ manifesta, non excedat pedes quatuor cum semisse.
 13. Limbus Quadrantis AB in 90 gradus & horum quilibet in dena pri-
- Y y ma

Tab. II.
Fig. 5.

ma seu 6 partes æquales quam accuratissime subdividatur.

n. 4. 14. Ex Centro Quadrantis ducantur in Limbo duo Arcus concentrici, quorum distantia *bd* digiti intervallum non excedat & sexta cujuslibet gradus pars, qualis *ce*, dividatur in 10 partes æquales eodem artificio, quo in Scala Geometrica dividenda utimur (§. 277. *Geom.*) ; nisi quod loco rectarum parallelarum ducantur Arcus extremis *ab* & *cd* paralleli, qui in uno gradu *abcd* pro lineis rectis citra errorem sensibilem haberí possunt. Immo patet eodem prorsus modo minores divisiones in dena vel quina secunda haberí posse, siquidem amplitudo Instrumenti tales ferre queat.

n. 5. 15. Prope Centrum Quadrantis affigatur Cochleis Quadrum ferreum *g* & eidem firmiter agglutinetur Vitrum utrinque convexum, cuius Focus Semidiametri Quadrantis intervallo circiter aut alio quocunque ab eo distat, quæ dicitur *Dioptra objectiva*.

16. In Foco hujus Lentis *A* affigatur Quadrum ferreum aliud, in quo cera firmentur duo fila serica se mutuo ad angulos rectos secantia, ita ut unum eorum sit ad planum Quadrantis perpendicularare, alterum vero eidem parallelum : quæ *Dioptra Ocularis* dicitur.

17. Inter Quadra *g* & *A* aptetur Tubus ex lamina ferrea factus, duabus partibus constans, qualem in Dioptrica (§. 337) descripsimus.

18. Dioptræ oculari *A* jungatur Lens *T* ocularis utrinque convexa, objecti- *F* væ *g* proportionata (§ 365. *Dioptr.*), Tubo mobili inclusa, ut pro diversa Oculi Observatoris constitutione eidem adinoveri possit, sicque Objectum una cum filis sericis distincte videatur (§. 374. *Dioptr.*).

19. Quodsi interdiu in Solem collimare libuerit, inter Lentem ocularem & Oculum collocetur Vitrum coloratum vel fuligine infectum (§. 467. *Dioptr.*) : si vero noctu in stellas Oculum dirigere volueris, ut una cum iis videantur fila serica, orificium Tubi objectivum tegatur tela serica ex filis tenuissimis contexta & hæc candela eminus posita illuminetur.

20. Quoniam Perpendiculum *CK* *Lineam fiduciae*, juxta quam nempe fit collimatio, seu quæ ex Oculo per decussationem filorum in Objectum ducitur, sub eodem angulo secare debet, quo Quadrantem fecat, necesse est Radio Quadrantis *AC* ex Centro *C* per ultimum divisionis punctum *A* ducto sit parallela (§. 255. *Geom.*), hoc est, ut primum divisionis Punctum *B* à Linea fiduciae distet intervallo 90° . Ut igitur hoc Punctum obtineas, ducatur in Quadrante recta *AC* per Centrum Axi Tubi ad sensum æstimato parallela & ex eodem Centro erigatur normalis *m.c.* Mox elevetur Quadrans, donec Perpendiculum *CK* fecet eundem in *m* & notetur Punctum in Objecto aliquo procul remo-

remoto, quod decuslatiō filorum respondet. Hinc Tubo immoto Quadrans invertatur, ita ut Radius AC sit in eadem, qua ante, altitudine constitutus & idem ejusdem Objecti Punctum filorum decuslatiōni respondeat. Quodsi perpendiculum, ita applicatum ut Quadrantem in m secet, transeat per Centrum C; erit m primum divisionis punctum. Si vero Perpendiculum in alio punto veluti n Quadrantem secare debet (quod tentando definitur), ut per Centrum C transeat; Arcu nm bifariam diviso, erit B Punctum divisionis primum (§. 910. Mechan.). Quadrante igitur in situ priorem restituto, Perpendiculum CK eum in B secabit.

SCHOLION I.

107. Dari Lineam fiducia constantem in Dioptris Telescopicis, etiam si decussatio filorum non sit in Axe Tubi, facile demonstratur. Sit AB Axis Lentis objectivæ FG & ecussatio filorum extra Axem in C. Quoniam omni Lente convexa est Punctum aliquod, per quod transiens Radius post alteram fractionem incidenti fit parallelus (§. 243. Dioptr.); sit Radius iste CE. Cum in C sit locus Radiorum parallelorum per hypoth. sunt omnes Radii ab eodem Puncto egressi & sensum ipsi CE paralleli. Quare cum assit Lentis respectu distantia Objecti irritatis contemnenda existat, adeoque ius incidentium DE ad sensum in directum situs ipsi CE; Punctum aliquod Objecti ibebit constanter Imaginem in decussatione orum, quam'iu ipsum & Dioptra sunt immota. Erit igitur DC Linea ficticia.

SCHOLION II.

108. Dioptrias Telescopicas Observatores recentiores adhibent, tum quod Myopes ac Presbytae non minus distincte remota contemplari possunt, quam qui Oculis valent, tum quod per fila serica locus exactissime Stellis assignatur, ita ut Observator celeberrimus PHILIPPUS DE LA HIRE (a) se nescire profiteatur, an unquam in tota Astronomia practica aut industria, aut utilitatis majoris aliquid inventum fuerit. TYCHO DE BRAHE usus est Dioptris, quarum Oculo proxima duas vel quatuor habet fissuras ope Cochlear striata nunc coactandas, nunc laxandas, prout usus tulerit; altera Centro Quadrantis erecta est Lamella quadrata, in Centro autem Sextantis vel Octantis constituta Cylindrus, ejus quidem latitudinis, quanta est rimularum distantia. Et has quoque adhibuit HEVELIUS (b). Ad capiendas altitudines Solis Lamellam in medio perforavit & in Dioptra oculari Circulum designavit, cujus Peripheria Lumen per foraminulum transmissum continetur, si Axis Coni luminosi fuerit in Linea fiducie. Stellas vero accedere ad Planum Verticalis, in quo Quadrans collocatur, manifestum est, quamprimum à Dioptra objectiva teguntur.

PROBLEMA II.

109. Observare altitudinem Sideris Tab. I. apparentem. Fig. 7.

RESOLUTIO.

1. Quadrans ACB ita constituatur, ut filum Perpendiculi CE à pondere D extensem tangat Limbum illius.

Y y 2

2. Hinc

(a) Loc. cit. p. 59.

(b) Vid. Mach. Cœlest. Tom. I. Cap. XIV. f. 219. & seqq.

Tab. I. 2. Hinc circa Axem suum vertatur, donec Oculo per Tubum AC aut Dioptras collineanti Stella S occurrat, ita ut S appareat in intersectione filorum, aut à Dioptra centrali (si Telescopio non utaris) tegatur,
 Fig. 7. Dico Arcum EB esse mensuram anguli, sub quo altitudo apparet Stellæ S. videtur.

DEMONSTRATIO.

Quia Perpendiculum CD à pondere D extensum Quadrantem tangit, per hypoth. Quadrans cum ipso in eodem est plano. Quare cum Perpendiculum continuatum per Centrum Terræ transcat (§. 212. Mechan.); Planum etiam, in quo Quadrans existit, per Centrum Terræ transit, adeoque Circulus Sphæræ maximus (§. 15. Spher. & §. 16. Astron.). Sed idem transit per Zenith Z Centri Quadrantis C (§. 58): est ergo Circulus verticalis (§. 70), consequenter Arcus hujus Circuli inter Stellam S. & Horizontem Quadrantis HR interceptus est altitudo apparet Stellæ super eodem Horizonte (§. 94), quæ adeo sub angulo SCR videtur. Est vero ACE + ECB = 90° &, quia Planum, in quo Quadrans hæret, Horizontem sensibilem ejus HR ad angulos rectos fecit (§. 93), ZCS + SCR = 90° (§. 143 Geom.). Quoniam itaque ZCS = ACE (§. 156. Geom.); erit ECB = SCR (§. 91. Arithm.); consequenter cum Arcus EB sit mensura anguli ECB (§. 57. Geom.), idem quoque Arcus est mensura anguli SCR (§. 142. Geom.), sub quo apparet alti-

tudo Stellæ S videtur, per demonstr. T.
 Q. e. d.

OBSERVATIO VII.

110. Si Fixæ cujuscunque altitudinem observes in Circulo Verticali quoque & in eodem Quadrans per plures dies fuerit immotus; Stellæ ad eum redentis eadem constanter erit altitudo. Immo Stellarum non occidentium altitudo utraque in eodem Circulo Verticali per dies plures non variatur. Quodsi ope Horologii oscillatorii (§. 994. Mechan.) notaveris tempus integra revolutionis; idem quoque in pluribus Observationibus deprehenditur.

SCHOLION.

111. Evidem fieri solet, ut in minutis quibusdam seu scrupulis secundis differentia subinde aliqua occurrat; sed si plures Observations instituere libuerit, facile apparebit, differentiam illam exiguum inde esse, quod omninoda accuratione institui nequeant. Eadem nempe nocte nunc in excessu, nunc in defectu. peccabis.

COROLLARIUM I.

112. Horizon adeo sensibilis, consequenter etiam rationalis (§. 92), Sphæræ mundanæ per plures dies eodem modo fecat.

COROLLARIUM II.

113. Et quia Arcus Circuli Verticalis ST est altitudo Stellæ S (§. 94); Circulus Declinationis idem PK, per plures dies eundem Circulum Verticalem ZN in eodem punto S fecat.

THEOREMA XII.

114. Polus P in eadem rotatione Sphæræ Mundanae non mutatur.

DEMONSTRATIO.

Ponamus eundem mutari: aut igitur ex P ascendet in p versus Zenith Z, aut

aut inde in π versus Horizontem HR descendet. Ascendat, si fieri potest in p . Quoniam altitudo maxima SR Stellæ nunquam occidentis S per plures dies eadem observatur (§. 110), Stella S ad Polum p continuo accedit. Sed quia altitudo minima $f R$ ejusdem Stellæ eadem itidem deprehenditur (§. cit.); à Polo p recedat necesse est. Quare cum fieri nequeat, ut eadem Stella S ad Polum continuo accedat & una ab eodem recedat; Polus ex P in p intra plures dies non ascendit, adeoque multo minus in eadem rotatione ascendit.

Descendat Polus ex P in π , si fieri potest. Quoniam altitudo maxima SR Stellæ nunquam occidentis S eadem observatur (§. 110); Stella S à Polo π recedit. Sed quia maxima $f R$ similiter non mutatur, ad Polum π accedat necesse est. Quare cum fieri nequeat, ut eadem Stella f à Polo eodem tempore recedat & ad eundem accedat; Polus ex P in π intra plures dies non descendit, adeoque multo minus in eadem rotatione descendit.

Quoniam itaque in eadem rotatione Polus nec versus Zenith ascensit, nec versus Horizontem descendit, per demonstrata; locum suum prorsus non mutat. Q. e. d.

COROLLARIUM.

115. Cum idem Circulus Declinationis PK Verticalis eundem ZN in eodem Puncto S fecerit (§. 113) Declinatio Stellæ SG non mutatur in una Sphæræ Mundanæ revolutione.

SCHOLION.

116. Non licet excipere, antequam Platum Meridiani determinetur, observari non

posse, utrum Stellæ semper apparentis altitudo Tab. I. maxima & minima perinde ac reliquæ non Fig. 3. mutentur, nec ne. Sufficit enim illud utcunque cognitum esse. Quadrante firmato in eo situ, quando Stellæ altitudo maxima observatur. Præterea si Stella S à Polo P magis distaret, quam Polus P ab Horizonte, cum antea esset SP $<$ PR; qua semper antea apparuerat, nunc occideret: quod cum de nulla Stella intra paucos dies observetur, qua de altitudinibus immutatis extra Meridianum observantur, ad Meridianas quoque extendi debere manifestum est.

OBSERVATIO VIII.

117. Si Solis altitudo in Circulo Verticali quocunque eo anni tempore observetur, quo Vertici proximus in Meridie apparet, hoc est, præsenti aeo circa 21 Junii, & Quadrante immoto die subsequente eadem Observatio repetatur, differentia altitudinum nonnisi in minutis secundis consistet.

COROLLARIUM.

118. Cum Polus P interea temporis locum non mutet; Declinatio Solis SG intra 24 horas illo tempore parum mutatur, adeoque multo magis intervallo temporis minore sensibiliter non mutatur.

THEOREMA XIII.

119. Si duo in Sphera Mundana Tab. II. Fig. 9. Punkta F & f in parte Cæli Orientali & Occidentali aquales altitudines FE & fe atque Declinationes FG & fg habuerint; Arcus æquatoris AG & Ag inter Meridianum atque Circulos Declinationum PG & Pg, itemque Arcus Horizontis HE & He inter Meridianum atque Circulos Verticales ZE & Ze intercepti aquales sunt.

DEMONSTRATIO.

Tab. I. Quia in P Polus mundi & AQ Äquator per hypoth. erit P Polus Äquatoris (§.48) & PG atque Pg erunt Quadrantes (§.49). Quare cum $GF=gf$ per hypoth. erit $PF=Pf$ (§.91. *Ariih.*). Similiter quia in Z Zenith & HR Horizon; erunt ZE & Ze Quadrantes (§.62). Quare cum $FE=fe$ per hypoth. erit $ZF=zf$ (§.91. *Ariihm.*). Est vero latus PZ utriusque Triangulo PFZ & PfZ commune: ergo tam anguli FPZ, & fPZ, quam FZP & fZP (§.58. *Sphær.*), adeoque etiam his deinceps positi EZH & ezH (§.43. *Sphær. Ric.*), consequenter etiam tam illorum mensuræ AG & Ag, quam horum mensuræ HE & He (§.31. *Sphær. Ric.*) æquales sunt. Q.e.d.

PROBLEMA III.

120. *Invenire Lineam Meridianam.*

RESOLUTIO.

1. Plaga Meridiei præter propter cognita, in parte Orientali obseruetur altitudo Stellaæ alicujus FE, dum Meridiano HZRN fuerit vicina.
2. Quadrante circa Axem immoto, ut perpendicularum constanter eundem in eodem gradu secet, sed in partem Occidentalem verso, expectetur, donec eandem habuerit altitudinem fe.
3. Angulus ECe ex intersectione Planorum, in quibus constituitur Quadrans in duabus Observationibus, dividatur bifariam per rectam HR. Dico HR esse Lineam Meridianam.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Declinatio Stellæ illo temporis intervallo, quod inter Observationses intercedit, non mutatur (§.115); erit $FG=fg$. Quare cum etiam $FE=fe$, per observ. arcus Horizontis inter Meridianum ZHNR & utrumque Verticalem ZEN & Zen inrercepti EH & He æquales sunt (§.119). Sed Circuli Verticales se mutuo interfecant in recta ZC ex Zenith Z ad Planum Horizontis perpendiculari (§.93) & in eadem est Centrum Horizontis, consequenter Arcus Ee (§.10), qui est mensura anguli ECe (§.57. *Geom.*). Ergo si angulus ECe bifariam dividatur per rectam HR; erit ea Linea Meridiana (§.81). Q.e.d.

Aliier.

1. In Plano Horizontali, quod haud difficulter determinatur (§.219. *Mechan.*) ex eodem Centro C describantur aliquot Arcus Circuli BA, ba &c.
 2. In eodem Centro C erigatur Stylus ad Planum ACB perpendicularis, cuius longitudine dimidii, immo integræ pedis.
 3. Circa 21. Junii ante meridiem ab hora circiter 9 usque ad 11 & meridie ab hora circiter prima usque ad tertiam notentur puncta B, b &c. A, a, &c. in quibus terminatur umbra Styli.
 4. Arcus AB, ab &c. biseccentur in D, d &c.
- Quod si eadem recta DE bisecet omnes Arcus AB, ab &c. erit ea Linea meridiana quæsita.

DEMONSTRATIO.

Quia Stylus in Centro Arcum AB, ab &c. erectus, per hypoth. umbræ in eadem Peripheria terminatæ AC & BC, aC & bC &c. æquales sunt (§. 40. Geom.). Quamobrem cum etiam æquales sint Cotangentes altitudinum Solis (§. 149. Optic.), consequenter distantiæ Solis à Vertice, altitudinum complementa (§. 94), Sol in Circulis Verticalibus qui Horizontale Planum in AC & BC, aC & bC &c. secant, eandem habet altitudinem. Quare cum Declinatio Solis exiguo illo temporis spatio, quod inter duas Observationes intercedit, non mutetur (§. 115); si Arcus AB, ab &c. bisecentur ut nempe sit AD = BD, ad = bd &c. erit DE intersectio Meridiani & Horizontis (§. 119), hoc est, Linea Meridiana (§. 81). Q. e. d.

SCHOLION I.

121. Circuli plures ex Centro C describuntur, ut plurium Observationum consensu accurationem confirmet.

SCHOLION II.

122. Quia extrellum umbræ difficulter admodum observatur; ideo consultius est, ut Stylus in planum destinat exiguo foramine pertusum & Punctum lucidum in Arcus AB & ab incidens loco extremitatis umbræ notetur. Alias quoque suadetur, ut Circuli non atramento, sed colore flavo aut solo Circini ductu designentur, ut finis umbræ in Oculum distinctius incurrat.

SCHOLION III.

123. Nonnulli peculiaria excogitarunt Instrumenta ad Lineam Meridianam observandam, aut æquales potius altitudines Solis in parte Cœli tam Orientali, quam Occidentali deprehendendas. Enimvero cum prior Methodus satisfaciat Observatoribus, poste-

rior ad Praxes communes sufficiat; iis def- Tab. I.
cribendis superseedemus. Fig. 10.

COROLLARIUM I.

124. Quoties umbra Styli Lineam Meridianam tegit, Centrum Solis in Meridiano hæret (§. 125. Optic.), adeoque meridies existit.

SCHOLION IV.

125. Usus ergo est Lineæ Meridianæ in momento temporis determinando, quo Centrum Solis in Meridiano existit, consequenter in motu Horologiorum ad motum Solis aptando. Index nimirum ad lineam Horæ duodecimæ adducitur, quando umbra Styli Lineam Meridianam tegit.

COROLLARIUM II.

126. Quodsi Linea Meridiana in Centro C, ubi erigitur Stylus, vel in Puncto, cui in observandis altitudinibus Centrum Quadrantis perpendiculariter imminet, per rectam OV dividatur ad angulos rectos; erit OV intersectio Horizontis & Circuli maximi per Polos Horizontis transversantis (§. 28. Sphær.), adeoque Verticalis (§. 70. 61); consequenter cum puncta intersectionum O & V à Meridiano, qui in D & E secat Horizontem (§. 81), Quadrantis intervallo removeantur (§. 173. Geom.) ac ideo Poli Meridiani sint (§. 25. Sphær.), recta OV est intersectio Horizontis & Verticalis primarii (§. 72). Hinc O Cardinem Orientis, & V Cardinem Occidentis monstrat (§. 80).

COROLLARIUM III.

127. Quando itaque umbra Styli lineam CO vel CV tegit; Sol in Verticali primo existit (§. 125. Optic.).

COROLLARIUM IV.

128. Quodsi in plano quounque alio Horizontali perpendiculariter, in Verticali autem seu perpendiculari ad Horizontem utcunque Stylum infigas &, dato à socio signo, quando umbra Styli Lineam Meridianam in alio Plano inventam tegit, in apice umbræ à Stylo altero projectæ Punctum

Punctum notetur; in rectam per Punctum istud & pedem Styli ductam, seu Punctum illud, in quod cadit recta ex Vertice Styli ad Planum perpendicularis, in momento meridiei umbra Solis cadet (§. 125. Optic.) ; consequenter ope Lineæ Meridianæ unius in aliquo Plano repertæ, in alio etiam Plano quoque Lineam Meridianam designare licet.

COROLLARIUM V.

129. Si Planum Quadrantis, hoc est, Planum, in quo Radius ejus unus Lineam fiduciaæ ad angulos rectos secat, ita consti-tuatur, ut Planum Horizontale in Linea Meridiana ad angulos rectos intersecet; altitudines siderum Meridianas obser-vare licet.

SCHOLION V.

130. Altitudinum Meridianarum Observa-tio præcipuum totius Astronomiae fundamen-tum est; unde summa cura adhibenda, ut Planum Quadrantis exacte in Plano Meridi-anii existat. TYCHO DE BRAHE in hunc usum Quadrantem ingentem muro in ipso Plano Meridiei, hoc est super Linea Meridiana perpendiculariter excitato, firmiter aptavit (a). Quadrans supra descriptus, præcipiente Observatore celeberrimo PHILIPPO DE LA HIRE (b) ad observandas altitudines Meridianas ita collocandus, ut Regula VY Linea Fig. 5. Meridianæ congruat, seu ejus longitudines n. 3. eidem sint parallelæ, & Cochlea Y Planum Quadrantis inclinandum, donec Observatore ad Y sedente Plano Meridiei accommodetur, duabus reliquis S & X Instrumentum paullum elevandum aut deprimendum, donec filum Penduli altitudinem optatam indicet. Addit, accidere interdum, quod in convertendis Cochleis in S vel X positis, Instrumen-tum à vera positione deflectatur. Suadet ergo, ut si paucula desint minuta, pondus mobile è Quadrantis compactione appendatur & ita mutato Centro Gravitatis inclinatio Quadran-tis mutetur. Immo cum difficillimum sit Pla-

(a) Vid Historia Cœlestis Prolegomena f. 113.

(b) In Tab. Astronom. p. §8.

num Quadrantis Plano Meridiei aptare, con-sultum eidem videtur, (c) præsentim in pe-regrinationibus, ut Quadrante portatili per singula minuta temporis ante transitum per Meridianum observetur altitudo Sideris & Observationes continuuntur, donec decresce-re incipient; earum enim maxima erit Meridianæ.

COROLLARIUM VI.

131. Quodsi in Limbo Quadrantis qui-dam gradus fuerint divisi ultra nonagesi-mum ipsi Zenith respondentem & ejus facie divisa in Orientem conversa observetur alti-tudo Meridianæ Stellæ à Zenith non procul distantis (§. 129), mox nocte sequente ea-dem Observatio repetatur, sed Limbi facie divisa in Occidentem conversa, punctum medium Arcus inter duas Observationes intercepti, erit primum divisionis Punc-tum. Atque ita Dioptrarum positio probatur. Quare si contingat, Punctum illud incidere in gradum nonagesimum, Diop-trarum positio exacta erit; sin minus, aut restituenda sunt in situum debitum (§. 107), aut semiarcu isto utendum est tanquam excessu vel defectu in corrigendis altitudinibus, quas Instrumento capere libuit.

SCHOLION VI.

132. Cum A. 1671. PICARDUS, celebris Astronomus Gallus in Observatorio TYCHO-NIS Uraniburgico Lineam Meridianam du-cret, eam non sine admiratione reperit à TYCHONICA 18 minutis aberrantem: unde nonnulli & cum his WALLISTUS (d) suspi-cati sunt, Polos Mundi, consequenter Meridianum, qui per eos dicitur (§. 72) esse mu-tabiles. Sed cum DE CHAZELLES (e) in Ægypto observaverit, quatuor Pyramidis maxi-mæ latera quatuor Mundi Cardines exac-te respicere, nec hac positio fortuita censi-ri possit, evidens est, per 3000 annorum spatium nullam in Meridiano variationem contigisse: quod

(c) Loc. cit. p. 95.

(d) In Transact. Anglican. n. 255. p. 285. 286.

(e) Histoire de l'Academie Royale des Sciences, A. 1710. p. 194.

quod etiam, quamvis minori intervallo temporis, confirmatur Linea Meridiana à Cemberrimo CASSINO 1655 in Templo S. Petronii Bononiæ ducta.

DEFINITIO XLI.

133. Culminatio Stellaæ est transitus ejus per Meridianum. Unde Sidus culminare dicitur, quando per Meridianum transit.

PROBLEMA IV.

134. Invenire culminationem Stellaæ.

RESOLUTIO.

1. Super Linea Meridiana AB perpendiculariter extendatur filum DC & ex D in E aliud DE secans Meridianam oblique sub angulo quocunque. Secabit ergo Triangulum filare DCE Planum Horizontale in Linea Meridiana ad angulos rectos, eritque adeo in Plano Meridici (§. 84).
2. Oculo ita constituto, ut filum DE tegat filum DC, expectetur, donec Stella biseccetur per Triangulum DCE. Tum enim Oculus pariter, ac Stella cum Triangulo DCE erunt in eodem Plano, consequenter Stella in Meridiano existit, vi num. 1. hoc est, culminat (§. 133).

COROLLARIUM I.

135. Quodsi Stellarum quotcunque culminationem duabus noctibus immediatae se vicem subsequentibus observes & interalla temporis ab una culminatione usque ad alteram interjecta ope Horologii oscillorii exacte dimetiaris; eadem inter se qualia deprehendes.

COROLLARIUM II.

136. Sphæra igitur Mundana motu æquili circa Tellurem movetur (§. 24. Mechan.).

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

PROBLEMA V.

137. Ope Gnomonis Astronomici ob- Tab. I, servere altitudinem Meridianam Solis. Fig. 12.

RESOLUTIO.

1. Super Linea Meridiana perpendiculariter erigatur Stylus insignis altitudinis.
2. Notetur Punctum, ubi desinit umbra Gnomonis in Lineam Meridianam incidens.
3. Investigetur distantia ejus à Gnomone, hoc est, longitudine umbræ.
4. Data enim altitudine Gnomonis & longitudine umbræ invenitur altitudo Solis apprens (§. 147. Optic.)

Aliter.

1. In Lamina orichalcea fiat foramen circulare, per quod transmissi Radii Solis Imaginem in pavimento sensibilem efficere valent.
2. Firmetur eadem in loco sublimi & ad observandum commodo, ita ut Horizonti sit parallela.
3. Demissio Plumbo, quod filo alligatur, exploretur distantia foraminis à pavimento, quæ erit altitudo seu Pes Gnomonis (§. 227. Geom.).
4. Pavimentum juxta libellam complanetur, ut sit exacte Horizontale, ac dealbetur, ut Imago Solis distincte in ea expressa cernatur.
5. Ducatur in eo Linea Meridiana (§. 120. 128) transiens per pedem Gnomonis.
6. Notentur Puncta extrema Diametri Solaris in Linea Meridiana K & L, & utrinque auferatur recta Semidiagramma foraminis æqualis, nempe KH ex una parte, LI ex altera: erit HL

Z z

Dia-

Tab. I. Diametri Solaris Imago, qua bifaria divisa in B, habetur Punctum, ad quod Radius è Centro Solis pertinet.

7. Datis ergo recta AB & altitudine Gnomonis AG invenitur denuo angulus ABG (§.40. *Trig. plan.*) seu altitudo Centri Solis apparet (§.145. *Optic.*).

DEMONSTRATIO.

Non aliud demonstrandum, quam cur à recta KI subtrahi debeant KH & LI Semidiametro foraminis FG aequales, ut habeatur Diametri Solaris Imago HL: quod et si iis pateat, quæ de Lumine Solis per foramen in Cameram obscuram immisso demonstrata sunt (§.304. *Optic.*), idem tamen etiam hoc modo demonstrari potest.

Sint ergo CH & DL Radii ab extremitatibus Diametri Solaris D & C per Centrum foraminis G propagati: subtendet HL angulum HGL, qui cum sit aequalis suo Verticali CGD (§.156. *Geom.*), etiam aequalis est Diametro apparenti Solis ex Centro Laminæ G visæ (§.208. *Optic.*). Sit Diameter foraminis EF: Radii adeo extini DF & CE pertinent ad I & K. Jam cum Radii DL & DI ex eodem Puncto Solis D procedant; erunt ad sensum parallelî (§.94. *Optic.*). Est vero etiam GF ipsi LI parallela per construct. ergo LI=GF (§.257. *Geom.*). Et eodem prorsus modo patet esse KH=EG. Q.e.d.

SCHOLION I.

138. Hac Demonstratio convenit quoque Theoremati 66 Optica, ad quod provocavimus.

COROLLARIUM.

139. Quoniam ex datis AH & AG angulus AGH & ex datis AL & AG angulus AGL invenitur (§.40. *Trigon. plan.*), si angulus AGH ex AGL subtrahatur, relinquatur Semidiameter Solis apparet HGL (§.208. *Optic.*).

SCHOLION II.

140. CL. DE LA HIRE (a) observavit foraminis Lamina calefacta non satis exacte exprimi Solis in pavimento Imaginem. Suadet itaque, ut Lamina tegatur, nonnisi Observationis momento retegenda.

SCHOLION II.

141. Gnomonis usum Quadrantibus minoribus preferendum esse haud inviti larguntur, qui Observationibus operam aedere, praesertim cum accurata ejus excitatio multo minus industria requirat, quam instrumentorum exacta divisio, ususque Gnomonis facilior sit, quam Quadrantum. Unde & Veteres, & Recentiores Gnomonibus usi sunt ad Observationes selectissimas instituendas (b). ULUCH BEIGH, Rex Parthiæ ac Indiæ, magni TAMERLANIS nepos, circa annum Christi 1437 usus est Gnomone, cuius altitudo 180 pedes Romanos superavit. Gnomon IGNATII DANTIS in Templo S. Petronii Bononiæ An. 1576. erectus fuit 67 circiter pedum Bononiensium; Gnomon. CEL. CASSINI in Aëribus MALVATICIS Bononiæ An 1655. excitatus pedum 20, correctus vero in Aëribus S. Petronii pedum Romanorum antiquorum $95\frac{1}{4}$; RICCIOLI Gnomon in Templo S. Lucia Bononeensi pedum 66, unciarum $10\frac{3}{8}$; R. P. HEINRICHII Gnomon Vratislaviæ An. 1705. erectus pedum 35 (c).

PRO-

(a) In Tab. Astron. p. 102.

(b) Videatur RICCIOLUS Astronomia Reformatæ Lib. I. f. 5. & seqq. & Geogr. Reform. Lib. VII. C. 15. f. 286.

(c) Vid. Altitudo Poli Vratislaviae Part. I. p. 5.

PROBLEMA VI.

142. Altitudinem Stella Meridianam ope Gnomonis observare.

RESOLUTIO.

1. In Plano Horizontali ope libellæ accuratius constructæ aut canalis aqua repleti determinato inveniatur Linea Meridiana (§. 120) aut cum CASSINO super fulcris suis collocetur canalis ligneus, pice illitus & aqua plenus AB, ita ut linea per medium ejus ducta sit Horizonti parallela, nec ullibi margo ultra aquæ superficiem emineat.
2. In fastigio Templi aut domus, vel in Vertice Styli perpendiculariter erecti C ita affigatur Regula orichalcea DE, octo circiter digitos aut pedem unum longa, ut ejus latus superior sit Horizonti parallellum.
3. Ex medio C demittatur filum cum appenso pondere F & notetur Punctum G, ubi canalem aut Lineam Meridianam interfecat, simulque exploretur distantia puncti C à Linea Meridiana vel canali AB, hoc est altitudo Gnomonis CG (§. 284. Geom.).
4. In M aptetur Furcula ultro citroque mobilis cum filo bombycino tenui IL, ad Horizontem parallelo.
5. Observetur culminatio Stellæ S (§. 134) & mox furcula moveatur aut retrahatur, donec Oculo in O constituto Centrum Stellæ à Regula DE bisecta in recta LC appareat.
5. Distantia fili à Linea Meridiana aut

aquæ in canali stagnantis superficie KM accurate dimensa subtrahatur ab altitudine Gnomonis GC, ut habeatur CN.

7. Porro investigetur longitudo KN & tandem,
8. Ex datis in Triangulo CKN ad N rectangulo cruribus KN & NC inveniatur angulus CKN (§. 40. Trigon. plan.), qui erit altitudo Stellæ apprens super Horizonte KN (§. 145. Optic.).

OBSERVATIO IX.

143. Si ad umbram Sole oriente vel Tab. I. occidente à Stylo C ad Lineam Meridianam DE perpendiculari projectam quotidie attendas; bis in anno eandem in intersectionem Verticalis primarii & Horizontis OV incidere advertes. Tam autem tempus ab ortu usque ad occasum Solis elapsum, Horologio oscillatorio indice, erit duodecim Horarum seu semidiurnum. Tanti quoque temporis deprehenditur mora Stellæ supra Horizontem, quæ ope Trianguli filaris super linea OV extensi eo modo, quo Stellæ culminatio observatur (§. 134), in Circulo Verticali primario oriri deprehenditur. Tales Stellæ sunt superior in cingulo Orionis, Stella exigua in collo Antinoi, Nodus pisium.

COROLLARIUM I.

144. Quoniam Semicirculus diurnus Solis ac Stellæ tempore Observationis supra Horizontem sensibilem existit (§. 56); Horizon sensibilis hr per Centrum Diurni transit. Sed Centrum Diurni est in Axe PQ (§. 44. 56), qui per Centrum Terræ C

Tab. I.
Fig. 15.

Tab. I. transit (§. 44); erit ergo extra Centrum
 Fig. 15. Terræ in O, consequenter Sol & Stella non
 oritur in Cardine Orientis apparente c, sed ultra eum versus Septentrionem in O: quod cum Observationi repugnet, quia Verticalis primarius Horizontem in Cardine Orientis & Occidentis interfecat (§. 126) necesse est distantiam cO esse imperceptibilem; consequenter Semidiametrum Telluris Cc respectu motus primi Solis atque Fixarum evanescere.

COROLLARIUM II.

145. In motu adeo primo Solis atque Fixarum Horizon sensibilis hr atque verus HR coincidunt, hoc est, Arcus Meridiani Hb inter utrumque interceptus insensibilis; consequenter altitudines Solis atque Fixarum apparentes cum veris eadem sunt.

COROLLARIUM III.

146. Tellus itaque, in Astronomia Sphærica, salvis Phænomenis pro Puncto habetur.

PROBLEMA VII.

147. Observare altitudinem Poli.

RESOLUTIO.

1. Tempore hiberno, quando longitudine noctis horas 12 excedit, adeoque Stellæ semper apparentes bis in Meridiano observari possunt, observetur altitudo Meridiana Stellaris Polaris, hoc est, ultimæ in Cauda Ursæ minoris, cum maxima SR, tum minima MR (§. 109. 142).

2. Subtrahatur MR ex SR & differentia MS bifariam dividatur, ita enim prodibit Stellaris à Polo distantia PM (§. 114).

3. Addatur PM altitudini minimæ MR: erit summa PR altitudo Poli quæsita.

E. gr. COUPLETUS junior Ulyssipone A. 1697. circa finem Septembris observavit (a)

(a) Memoire de l' Acad. Royal. des Sciences, A. 1700.
 p. m. 175.

	SR = 41° 5' 40"
	MR = 36 28 0
Ergo	SM = 4 37 40
	PM = 2 18 50
	MR = 36 28 0
	PR = 38 46 50

SCHOLION I.

148. Ut altitudo Poli, quæ cum Linea Meridiana basis est omnium Observationum Astronomicarum satis exacta habeatur, altitudines meridianæ SR & MR ex doctrina Refractiōnum inferius tradenda corrigenda: unde CΟUPLΕΤΟΣ in Exemplō proposito subtrabit. ulterius 1' 25", ut PR sit 38° 45' 25".

COROLLARIUM I.

149. Quodsi elevatio Poli PR ex quadrante seu 90 gradibus auferatur, relinquatur altitudo Äquatoris AH (§. 97),

$$\begin{array}{l} \text{E. gr. in nostro exemplō:} \\ PR + AH = 89^\circ 59' 60'' \\ PR = 38 45 25 \\ AH = 51 14 35 \end{array}$$

COROLLARIUM II.

150. Si altitudo meridiana Stella vel Solis HD observata major fuerit altitudine Äquatoris AH; hæc ex illa subducta, relinquit Declinationem ejus Borealem AD; sin vero altitudo Stellaris HT minor altitudine Äquatoris HA, illa ex hac subducta relinquit Declinationem Stellaris vel Solis Australis TA.

E. gr. TYCHO Uraniburgi observavit Caudæ Leonis altitudinem meridianam

$$\begin{array}{r} HD 50^\circ 59' 00'' \\ Alt. Äquat. HA 34 5 20 \\ \hline \text{Ergo Declinatio AD} 16 53 40 \end{array}$$

COROLLARIUM III.

151. Si Stella fuerit in quadrante ZR; tum altitudo minima MR à Poli altitudine PR subducta relinquit distantiam à Polo PM: quæ si porro subducatur à quadrante PQ (§. 49), relinquetur Declinatio MQ.

E. gr.

E. gr. in Observatione COUPLETI PM erat $2^{\circ} 18' 50''$, his ergo ex 90° subductis, relinquitur MQ $87^{\circ} 41' 10''$. Vel cum QR = AH (§.98), altitudo minima MR additur elevationi Äquatoris, ut prodeat Declinatio MQ, veluti in dato Exemplo ubi neglecta refractione AH $51^{\circ} 13' 10''$ & MR $36^{\circ} 28' 0''$, MQ $87^{\circ} 41' 10''$.

SCHOLION II.

152. Et hac ratione per Observationes construuntur Tabulae Declinationum Fixarum, quales exhibent RICCIOLUS (a) atque DECALES (b).

COROLLARIUM IV.

153. Collatio Observationum recentiorum cum antiquioribus variabilitatem Declinationis Fixarum arguit in diversis Stellis diversam. In aliis enim crescit, in aliis decrescit, quantitate minime eadem. Maximum incrementum & decrementum intra decennium minuta tria cum dimidio non excedit.

COROLLARIUM V.

154. Data Declinatione Stellæ ab aliis observata (§.150) & ejus altitudine meridiana à nobis observata (§.109 142), inveniri potest altitudo Äquatoris in nostro Observatorio (§.150) & inde porro altitudo Poli pro eodem (§.97).

COROLLARIUM VI.

155. Si altitudines Solis meridianæ per totum annum observatae conferantur cum altitudine Äquatoris; Solem quotannis bis in Äquatore hærente, reliquo tempore vel ultra eum ad certum terminum ascendere, deinde rursus ad eundem descendere, vel infra eum descendere ad terminum certum, deinde rursus ab eodem ad illum ascendere deprehendimus.

COROLLARIUM VII.

156. Circulus itaque, sub quo Centrum Solis motu proprio incedit, Äquatorem duobus in punctis intersecat.

(a) Astron. Reform. lib. 4. c. 9. f. 288.

(b) Tom. III. Mund. Math. in Tract. de Navigat. Lib. VII. f. m. 325. & seqq.

DEFINITIO XLIII.

157. Circulus ille in Sphæræ Mundanæ superficie immobili descriptus, sub quo Centrum Solis motu proprio incedit, dicitur *Ecliptica*.

DEFINITIO XLIV.

158. Puncta Äquinocialia sunt Puncta intersectionum Äquatoris & Eclipticæ. *Vernale* dicitur, unde Sol versus Polum Borealem ascēdit: *Autumnale*, unde idem versus Polum Australē descendit. Tempus, quando Sol in Punctum Äquinocialia ingreditur, dicitur *Äquinōctium*, quod adeo vel *Vernale*, vel *Autumnale*.

DEFINITIO XLV.

159. Puncta Solstitialia sunt Puncta Eclipticæ, in quibus terminatur ascensus Solis supra Äquatorem & descensus infra eundem. Punctum prius dicitur *Aestivum*; posterius *Brumale* seu *Hibernali*. Tempus, quando Sol in Puncta Solstitialia ingreditur, vocatur *Solsticium*, quod adeo vel *Aestivum*, vel *Brumale*.

DEFINITIO XLVI.

160. Signum Cœlestē est duodecima pars in 30 gradus divisa. Primi principium est in Puncto Äquinociali Vernali. Nomina Signorum Cœlestium ac ordo his versiculis continentur:

Sunt Aries, Taurus, Gemini,
Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens;
Caper, Amphora, Pisces.

Signis sequentibus indigitantur
♈,♉,♊,♋,♌,♍,♏,♐,♏,♑,♒,♓.

DEFINITIO XLVII.

161. *Signa Vernalia* sunt Aries, Taurus & Gemini: *Æstiva*, Cancer, Leo & Virgo: *Autumnalia*, Libra, Scorpius & Arcitenens seu Sagittarius: *Brumalia*, Capricornus, Amphora seu Aquarius & Pisces.

DEFINITIO XLVIII.

162. *Signa Borealia* vel *Septentrionalia* sunt *Signa Vernalia* & *Æstiva*: *Signa Australia* vel *Meridionalia* sunt *Signa Autumnalia* & *Brumalia*.

PROBLEMA VIII.

163. Obserware Declinationem maximam Ecliptice.

RESOLUTIO.

1. Circa Solstitium Æstivum vel Brumale per aliquot dies observetur maxima cum cura altitudo Solis meridiana (§. 129).

2. Ab altitudine maxima subtrahatur elevatio Æquatoris.

Residuum est Declinatio maxima in Puncto Solstitiali (§. 149).

E. g. RICCIOLUS An. 1646. Bononiae observavit (a) altitudinem Solis meridianam

d. 20 Jun.	$68^{\circ} 59' 55''$
21	$69^{\circ} 0' 10''$
22	$68^{\circ} 59' 55''$

Erat ergo altitudinem meridianarum Solis maxima

Elevat. Æquat.	$69^{\circ} 0' 10''$
Declinat. max.	$45^{\circ} 29' 50''$
	$23^{\circ} 30' 20''$

COROLLARIUM.

164. Quodsi alio tempore altitudines Solis meridianæ observentur, eodem mo-

(a) Astron. Reform. Lib. I. c. 5. f. 18.

do Declinationes in aliis Eclipticæ Punctis eliciuntur.

OBSERVATIO X.

165. Declinationem maximam Ecliptica observarunt.

<i>Ante Christ.</i>		<i>D. M.</i>
A.	324 Pytheas	23. 52.
	230 Eratosthenes	23. 51.
	140 Hipparchus	23. 51.
<i>Post Christ.</i>		
A.	140 Ptolemæus	23. 51.
	880 Albategnius	23. 35.
	1460 Regiomontanus	23. 30.
	1476 Waltherus	23. 30.
	1525 Copernicus	23. 28.
	1570 Rothmannus & Byrgius	23. 30.
	1587 Tycho	23. 30.
	1627 Keplerus	23. 30.
	1636 Gassendus	23. 31.
	1646 Ricciolus	23. 30.
	Hevelius	23. 30.
	Moutonus	23. 30.
	1702 Philippus de la Hire	23. 29.
	1715 De Louville	23. 28.

Eadem Declinatio reperitur in utroque Puncto Solstitiali. Ostendit autem RICCIOLUS (b) ERATOSTHENEM ex Observationibus suis falso conclusisse Declinationem maximam $23^{\circ} 51' 20''$, cum vi earundem esse debeat $23^{\circ} 31' 5''$. Similiter PYTHEAS Massiliæ umbram Solstitialem ad Gnomonem observavit ut $213\frac{1}{3}$ ad 600 seu ut $3195\frac{1}{2}$ ad 90000; GASSENDUS cum PERESCIUS ibidem A. 1636 ut 31950 ad 90000 (c).

COROL-

(b) In Astron. Reform. c. 6. §. 4. f. 19.

(c) In Vita Peirescii.

COROLLARIUM I.

166. Quia Observationes intra duo Secula postrema peractæ in scrupulis secundis tantum differunt, nec ERATOSTHENIS errore correcto, quem HIPPARCHUS atque PTOLEMÆUS retinuerunt, major differentia reperitur inter antiquissimas & recentiores, GASSENDUS insuper umbram Solstialem ejusdem longitudinis deprehendit, quantam annis fere bis mille ante obseruaverat PYTHEAS; Declinationem Eclipticæ immutabilem esse communiter concluditur.

SCHOLION.

167. *Qui errores ERATOSTHENIS atque PYTHEÆ in modo, quo ex Observationibus suis Declinationem maximam Eclipticæ collegerunt, non agnoverunt PURBACHIUS, REINHOLDUS, REGIOMONTANUS, COPERNICUS, RHETICUS, TYCHO, LONGOMONTANUS, SNELLIUS, LANSBERGIUS, BULLIALDUS aliique, eam variabilem statuerunt. In primis nostro tempore EUGENIUS DE LOUVILLE (a) operose adstruit, Eclipticæ obliquitatem singulis Seculis uno minuto primo decrescere. HERODOTUS autor est, ex Ægyptiorum traditione Eclipticam ad Circulum Äquinoctialem fuisse perpendicularē: unde patet ipsos diminutionem obliquitatis Eclipticæ agnovisse: Cumque teste DIODORO SICULO Chaldaei jactaverint Observationes tam antiquas, ut à primis suis Observationibus usque ad ingressum ALEXANDRI M. Babilōnem 403 millia annorum numerarent, ex mutabilitate autem Eclipticæ ab ipso asserta consequatur bac Periodus, si initium statuatur in eo tempore, quo Ecliptica per Polos mundi transiit; unde concludit Chaldaeos quoque mutabilitatem Declinationis Eclipticæ observeasse & quantitatem diminutionis agnoscisse. Sed de his futuris Setulis certius quid statuere licebit. Sumamus interim Declinationem Eclipticæ constantem.*

(a) in Dissertatione de mutabilitate Eclipticæ, quæ legitur in Actis Eruditorum A 1719. p. 281. & seqq.

COROLLARIUM II.

168. Ob plerarumque Observationum consensum communiter assumitur, Declinationem eclipticæ maximam esse $23^{\circ} 30'$. Sed quia CL. DE LA HIRE eandem ex Observationibus prope Äquatorem habitis (ubi, per inferius independenter ab his demonstranda, Refractio non adeo turbat Observationes altitudinum meridianarum) $23^{\circ} 29'$ colligit, nos cum ipso in posterum eadem utemur.

OBSERVATIO XI.

169. Si in Solsticio Brumali obseruetur transitus Stella alicujus per Meridianum (§. 134), noteturque ope Horologii oscillatori tempus culminationis; eadem vero nocte vel aliis subsequentibus eodem modo observeatur temporis intervallum, quod inter culminationes ejusdem aliarumque Stellarum Fixarum intercedit, ac tandem in Solsticio Ästivo observetur culminatio unius ex istis Stellis una cum momento, quo accidit, & ex anterioribus Observationibus colligatur tempus, quo Stella prima Observationis illo die sit culminatura; hoc à tempore culminationis duodecim horis dfferre deprehenditur.

COROLLARIUM

170. Quoniam motus Sphæræ Mundanæ aquabilis (§. 136) & duodecim horæ præterlabuntur à culminatione Puncti Solstitalis Brumalis usque ad Punctum Solstitalis Ästivum (§. 169); Puncta Solstitalia sibi mutuo diametraliter opponuntur.

THEOREMA III.

171. *Ecliptica est Circulus Sphaera maximus.*

DE-

Tab. I. DEMONSTRATIO.

Fig. 16. Sit AEQL Meridianus, AQ Äquator, EL Ecliptica. Quoniam Puncta Solstitialia sibi mutuo diametraliter opponuntur (§. 170), si E fuerit Ästivum, erit L Brumale. Sunt vero AEQ & ALQ semicirculi (§. 84. *Sphær.*), adeoque $AE + EQ = AL + LQ$ (§. 177. *Arithm.*). Quare cum sit $AE = QL$ (§. 165); erit etiam $EQ = AL$ (§. 91. *Arithm.*), consequenter $EQ + QL = EA + AL$ (§. 88. *Arithm.*). Transit ergo EL per Centrum Sphæræ C (§. 135. *Geom.*) & hinc Ecliptica Circulus maximus Sphæræ Mundanæ (§. 15. *Sphær.*). *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

172. Ecliptica Äquatorem bifariam secat (§. 20. *Sphær.*).

COROLLARIUM II.

173. Puncta igitur Äquinocialia sibi mutuo diametraliter opponuntur (158) adeoque Signa Borealia sunt in Hemisphærio Boreali, Australia in Australi (§. 51. 52. 161. 162).

COROLLARIUM III.

174. Cum & Meridianus (§. 70. 72) & Ecliptica (§. 171) sit Circulus maximus; se mutuo bifariam secant (§. 20. *Sphær.*). Et eodem modo patet, Eclipticam ab Horizonte tam rationali (§. 61), quam sensibili (§. 145) bifariam secari.

COROLLARIUM IV.

175. Arcus adeo Eclipticæ inter Horizontem & Meridianum interceptus Quadrans est.

COROLLARIUM V.

176. Quare si ponamus Punctum Solstiale Ästivum E esse in Meridiano, cum tunc alterum L etiam sit in Meridiano (§. 174), Puncta Äquinocialia sibi mutuo dia-

metraliter opposita (§. 173) sint in Horizonte (§. 174), Puncta Solstitialia ab Äquinocialibus Quadrantis intervallo distare manifestum est (§. 175. *Astron.* & §. 54. *Sphær.*).

COROLLARIUM VI.

177. Sunt adeo Puncta Solstitialia in principio Cancri & Capricorni, Äquinocialia vero in principio Arietis atque Librae (§. 160).

COROLLARIUM VII.

178. Cum Declinatio maxima Eclipticæ AE sit Arcus Circuli maximi (§. 75), quadrantis intervallo à Punctis Äquinocialibus distans (§. 176); erit eadem mensura Obliquitatis Eclipticæ, hoc est, anguli EGA ex intersectione Äquatoris AQ & Eclipticæ EL orti (§. 33. *Sphæric.*). Sunt vero omnes illi anguli AGE, LGQ, AHE, QHL inter se æquales (§. 32. 43. *Sphær.*).

COROLLARIUM VIII.

179. Cum distantia Poli Eclipticæ M ab Ecliptica EM quadrans sit (§. 25. *Sphæric.*) & AP itidem quadrans sit (§. 49); distantia Poli Eclipticæ à Polo Äquatoris, consequenter à Polo Mundi (§. 48) PM, est Declinationi maximæ æqualis (§. 91. *Arithm.*), adeoque $23^\circ 29'$ (§. 168).

COROLLARIUM IX.

180. Quia angulus Obliquitatis Eclipticæ immutabilis (§. 166); Sol constanter sub eodem Circulo motu proprio incedit.

DEFINITIO XLIX.

181. *Tropici* sunt Circuli inamobiles ME & NL cum Äquatore AD paralleli, per Puncta Solstitialia duæti. *Tropicus Cancri* vocatur, qui per principium Cancri E transit: *Tropicus* vero *Capricorni*, qui per principium Capricorni L transit.

COROLLARIUM I.

182. Quoniam Declinatio Eclipticæ est arcus EA vel LD ad Äquatorem AD perpendicularis (75); erit EN distantia Tropicorum

picorum (§. 83. *Sphæric.*). Est vero EA = LD (165) & AN = DL (§. 42 *Sphær.*). Ergo EA = AN (§. 87. *Airthm.*), consequenter distantia Tropicorum EN Declinationis maximæ EA dupla.

COROLLARIUM II.

183. Quare si altitudinem Solis meridianam observes cum in Solstitio Brumali, tum in Aëstivo (§. 129. 237. & illam ex hac auferas: relinquetur distantia Tropicorum, cuius dimidium est Declinatio Eclipticæ maxima, independenter adeo ab elevatione Aequatoris invenienda.

DEFINITIO L.

184. Circuli Polares sunt Circuli immobiles cum Aequatore paralleli & à Polo Mundi tanto intervallo distantes, quanta est Declinatio Eclipticæ maxima. Polo Arctico vicinus dicitur *Polaris Arcticus*; qui vero Antartico proximus, *Polaris Antarcticus*.

COROLLARIUM.

185. Quia Polus Eclipticæ à Polo mundi tanto intervallo distat, quanta est Declinatio Eclipticæ maxima (§. 179); Circuli Polares sunt Circuli diurni Polorum Eclipticæ (§. 56).

DEFINITIO LI.

186. Coluri sunt Circuli Sphæræ

maximi mobiles per Polos Mundi & Puncta Eclipticæ Solstitialia & Aequinoctialia ducti. *Colurus Aequinoctiorum* est, qui per Puncta Aequinoctialia transit: *Colurus Solstitialium* est qui transit per Solstitialia.

DEFINITIO LII.

187. Circuli excussum sunt Circuli cum Ecliptica paralleli & ab ea tanto intervallo distantes, quanto Planetarum versus Polos Eclipticæ excursus coercenti possunt, quod 10 vulgo statuitur gradum.

DEFINITIO LIII.

188. *Zodiacus* est fascia Circulis excussum terminata. Dividitur in 12 Signa seu *Dodecatemoria* ejusdem nominis ac ordinis cum Signis Eclipticæ (§. 160).

SCHOLION.

189. Circuli omnes optime dignoscuntur ex Sphæra armillari, in qua P & Q sunt Poli Mundi, AD Aequator, EL Ecliptica cum Zodiaco, PAQD Meridianus, vel etiam Colurus Solstitialium, T Terra, FG Tropicus Canceris, MN Circulus Polaris Arcticus, HI Tropicus Capricorni, OV Polaris Antarcticus, N & O Poli Eclipticæ, RS denique Horizon.

Tab.
III.
Fig. 17.

C A P U T I I I.

De motu communi Solis, indeque pendentibus Phænomenis.

DEFINITIO LIV.

190. *Ascensio recta* est Punctum Aequatoris cum Stella aut alio quounque in Sphæræ Mundanæ superficie dato Puncto culminans, à Puncto Aequinoctiali Vernali numeratum.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

DEFINITIO LV.

191. *Ascensio obliqua* est Punctum Aequatoris cum Stella aut alio quounque Puncto in Sphæræ Mundanæ superficie dato per Horizontem ortivum transiens, à Puncto Aequinoctiali Vernali numeratum.

Aaa

DE-

DEFINITIO LVI.

192. *Descensio obliqua* est Punctum Äquatoris cum Puncto in superficie Sphæræ Mundanæ dato per Horizontem occiduum transiens, à Puncto Äquinoc-tiali Vernali numeratum.

DEFINITIO LVII.

193. *Differentia Ascensionalis* est dif-ferentia inter Ascensionem rectam & obliquam ejusdem Puncti: *differentia Descensionalis* est differentia inter Af-censionem rectam & Descensionem obli-quam ejusdem Puncti.

DEFINITIO LVIII.

194. *Azimuthum* est arcus Horizon-tis inter Circulum Verticalem datum & Meridianum interceptus.

DEFINITIO LIX.

195. *Amplitudo ortiva* est distantia Puncti orientis à Cardine Orientis: *Amplitudo vero occidua* est distantia Puncti occidentis à Cardine Occidentis.

COROLLARIUM I.

196. Est itaque Amplitudo ortiva & occi-dua arcus Horizontis inter Punctum oriens & occidens atque Cardinem Orientis & Occidentis interceptus (§. 54. *Sphær.*).

COROLLARIUM II.

197. Azimuthum est Amplitudinis or-tivæ & occiduæ complementum ad qua-drantem (§. 194).

PROBLEMA IV.

198. *Datis obliquitate Eclipticæ G; Puncti cuiuscunq; Eclipticæ dati S Declinationem DS invenire.*

RESOLUTIO.

Tab. I. Quoniam in triangulo SDG angulus Fig. 16. Directus est (§. 75), & præter angulum G 23° 29' (§. 168), ob datum Punc-

tum S, etiam arcus GS datur; reperi-
tur DS (§. 116. *Sphær.*).

Sit e. gr. S. 20° ♀, erit GS 50°, adeo-
que

Log. Sin. G	96004090
Sin. GS	98842540

Sin. DS +94846630, cui in Tabu-lis quam proxime respondent 17° 46' 25".

SCHOLION.

199. *Hoc modo construitur Tabula Decli-nationum singulorum graduum Eclipticæ.*

COROLLARIUM I.

200. Si Declinatio Solis Borealis AD in Tabulis reperta ab altitudine Solis me-ridiana HD observata (§. 129) aufer-a-tur; elevatio Äquatoris residua fit (§. 150), quæ porro ex 90° subducta elevationem Poli relinquit (§. 97). Similiter Äquato-ris altitudo prodit, si Declinatio Austra-lis TA altitudini Solis meridianæ HT ad-datur.

SCHOLION.

201. *Patet ex Theoricis cognitum esse debere locum Solis in Ecliptica.*

COROLLARIUM II.

202. Contra data elevatione Äquato-ris HA & Declinatione Solis AD vel TA, invenitur altitudo ejus meridianæ HD ve-HT, si Declinatio Borealis AD illi adda-tur, Australis vero AT dematur.

E. gr. Altitudo Äquat. Hale 38° 22'

Declinat. ☽ in 25 ♀ 19 3 6'

Altitudo ☽ meridianæ 57 25 6'

PROBLEMA V.

203. *Data elevatione Äquatoris & altitudine meridianæ Solis, una cum obli-quitate Eclipticæ; invenire ejus locum in Ecliptica.*

RESOLUTIO.

1. Ex datis altitudinibus Äquatoris & So-lis queratur ejus Declinatio (§. 150).

2. Curr

2. Cum adeo in Triangulo DSG ad D rectangulo (§. 75) dentur angulus obliquitatis Eclipticæ G & Declinatio DS; reperietur arcus GS (§. 118. *Spheric.*): quo dato, locus Solis quæsus S innotescit, modo constet, in quo quadrante Eclipticæ Sol commoretur. Etenim in primo quadrante GS est distantia à principio Arietis; in secundo complementum ejus ad Semicirculum; in tertio excessus ejusdem supra Semicirculum; in quarto denique complementum ad Circulum integrum.

E. gr. RICCIOLUS (a) A. 1643. d. 23. Martii (quo tempore Sol erat in primo quadrante Eclipticæ) observavit

Altit. ☽ merid.	46° 33' 40"
Altit. Äquat.	45 29 50
Ergo Declinatio DS	1 3 50
Et Log. Sin. DS	82687487
Sin. tot.	100000000
Summa	182687487
Sin. G	96004090
Sin. GS.	8.6683397, cui
n Tabulis quam proxime respondent ° 40' 15".	

Fuit ergo locus Solis V 2° 40' 15".

PROBLEMA VI.

204. Data obliquitate Eclipticæ G, nvenire Puncti cuiuscunque S Ascensionem rectam D & angulum Eclipticæ um Meridiano DSG.

RESOLUTIO.

Quoniam Circulus Declinationis PD Equatorem AQ secat ad angulos recos (§. 75); Triangulum DSG rectan-

(a) Astron. Reform. Lib. I. c. 8. f. 26.

gulum. Quare cum in eo detur angulus Tab. I. G & ob datum Punctum S arcus GS, Fig. 16. qui vel distantia Solis ab Ariete, si Sol fuerit in primo quadrante, vel complementum ad principium Libræ, si fuerit in secundo; vel distantia à principio Libræ, si fuerit in tertio; vel denique complementum ad principium Arietis, si fuerit in quarto: reperietur angulus DSG (§. 130. *Spheric.*) & arcus DG (§. 127. *Spheric.*), qui in primo casu indicat ipsam Ascensionem rectam; in secundo ejus complementum ad Semicirculum; in tertio excessum supra Semicirculum; in quarto denique complementum ad Circulum integrum.

E. gr. Sit Sol in V 2° 40' 15". Quia G 23° 29'

erit Log. Sin. tot.	100000000
Cosin. G	99624527
Summa	199624527
Cotang GS.	113311611

Tang. GD 8.6312916, cui in Tabulis quam proxime respondent 2° 27'. Tanta nimurum est ascensio recta in 2° 40' 25" V.

Porro Log. Sin. tot.	100000000
Cosin. GS	99995279

Summa	199995279
Cotang. G.	103620437

Cotang. S 9.6374842, cui in Tabulis quam proxime respondent 23° 27' 38".

Est ergo angulus GSD 66° 32' 22".

SCHOLION.

205. Hoc modo construuntur Tabulæ Ascensionum rectarum singulorum graduum Eclipticæ & Tabulæ anguli Eclipticæ cum Meridi-

Meridiano ad partes Orientales in Hemisphærio Boreali.

PROBLEMA VII.

Tab. III. Fig. 18. 19. 206. Data elevatione Poli PR, una cum Declinatione Solis DS; invenire differentiam Ascensionalem OD, Amplitudinem ortivam SO & Azimutum HS.

RESOLUTIO.

Quia circulus Declinationis PD Äquatorem AQ ad angulos rectos secat (§. 75), Triangulum OSD rectangulum ad D. Quare cum in eo detur Declinatio DS & angulus O ob elevationem Poli datam (§. 97. 100); repertetur OD (§. 125. Sphær.) & SO (§. 118. Sphær.), consequenter ob OH = 90° etiam HS.

Sit e. gr. elevatio Poli, quemadmodum Hale 51° 38' & Sol in 24° II: erit O 38° 28', DS. 23° 20' 48". Unde

Log. Cotang. O	101014704
Tang. DS	96351154

Sin. OD 97365858,

cui in Tabulis quam proxime respondent 33° 2' 27".

Log. Sin. tot.	100000000
Sin. DS	95980165

Summa 195980165

Sin. O	979128759
Sin. OS	98051406, cui

in Tabulis quam proxime respondent 39° 40' 40".

SCHOLION I.

207. Hac ratione construuntur Tabulæ differentiarum Ascensionalium itemque Amplitudinum ortivarum pro singulis gradibus Declinationis sub singulis gradibus elevacionis Poli. Et per idem Problema differen-

tias Descensionales & Amplitudines occidentales inveniri per se patet.

COROLLARIUM I.

208. Si Sol fuerit in Signo Boreali & differentia Ascensionalis DO ex Ascensione recta D subtrahatur, relinquetur Ascensio obliqua O (§. 193).

E. gr. si Sol fuerit in 24° II.

Ascensio recta D	83° 27' 46"
Differentia Ascens. OD	33 2 27
Ascensio Obliqua O	50 25 19

COROLLARIUM II.

209. Si Sol fuerit in Signo Australi & differentia Ascensionalis DO Ascensioni rectæ D addatur, prodibit obliqua O (§. 193).

SCHOLION II.

210. Patet adeo, quomodo construantur Tabulæ Ascensionum obliquarum pro singulis Eclipticæ gradibus sub singulis gradibus Elevacionis Poli.

PROBLEMA VIII.

211. Determinare tempus tam Primi mobilis, quam Solare, quo arcus Äquatoris datus Meridianum transit & contra.

RESOLUTIO.

Quoniam Meridianus Äquatorem continuo ad angulos rectos secat (§. 84); dum datus arcus Äquatoris per Meridianum transit, perinde est ac si arcum Äquatoris immotum Punctum intersectionis in Meridiano eadem celeritate interea temporis descripsisset. Cum adeo motus Äquatoris sit æquabilis (§. 136); erunt arcus per Meridianum transeuntes temporibus proportionales (§. 24. Mechan.). Quare si inferatur: ut 360 ad 24 horas Primi mobilis, ita arcus datus ad numerum quartum proportionalem ierit

erit is tempus Primi mobilis quæsitum. Quodsi adeo queratur arcus dato tempore per Meridianum transiens, inferendum erit: ut 24 ad 360, ita tempus datum ad arcum quæsitum,

Quia Sol intra 24 horas Primi mobilis Ascensionem rectam fere mutat 59° 8' 20'', hoc est, 212900'', si hoc intervallum per 24 dividatur, quotus 8870'' seu 2° 28'' erit pars adjicienda arcui intra horam Primi mobilis per Meridianum transeanti, ut habeatur arcus intra horam Solarem per eundem transiens.

Quodsi inferas: ut 360° 59' 8'' 20'' ad 24 horas Solares, ita arcus datus ad numerum quartum proportionalem; erit is tempus Solare, quo arcus Äquatoris datus per Meridianum transit.

S C H O L I O N.

212. *Quia conversio temporis in gradus Äquatoris & graduum Äquatoris in tempus vultum in Astronomia usum habet; ideo constructæ sunt Tabulae, in quibus exhibentur arcus Äquatoris singulis horis tam Primi mobilis, quam Solaribus, & singulis scrupulis ore unius per Meridianum transeuntes, & contra. Earundem cum sit in Problematibus quentibus usus eas hic contractas apponere bet. Usus facilis. Etenim gradus Äquatoris dati cum suis scrupulis resolvuntur in pars, quæ in Tabula extant, & ex ea excertuntur horæ ac scrupula horaria ipsis responsitia. Hæc enim in unam summam collecta sunt tempus, quo arcus Äquatoris datus per Meridianum transit. Simili modo proceditur, tempus datum in arcum Äquatoris converendum. Exempla in Problematis sequentibus currunt.*

Conversio partium Äquatoris in tempus Primi mobilis, & contra.						
Äquat. Grad.	Hor.	Min.		Äquat. Grad.	Hor.	Äquat. Gr.
Min.	Min.	Sec.		Sec.	Min.	1 4
Secund.	Sec.	Tert.	Horæ	Grad.	Tert.	11 11
Tert.	Tert.	Quart.			Quart.	111 111
1	0.	4	1	15	1	0. 15
2	0.	8	2	30	2	0. 30
3	0.	12	3	45	3	0. 45
4	0.	16	4	60	4	1. 0
5	0.	20	5	75	5	1. 15
10	0.	40	6	90	6	1. 30
15	1.	0	9	135	10	2. 30
30	2.	0	12	180	20	5. 0
60	4.	0	15	225	30	7. 30
90	6.	0	18	270	40	10. 0
180	12.	0	20	315	50	12. 30
360	24.	0	24	160	60	15. 0

Conversio partium Äquatoris in tempus Solare & contra.						
Äquat. Grad.	Hor.	I.	II.	III.	Hor.	Grad.
Min.	I.	II.	III.	IV.	2	28
Secund.	II.	III.	IV.	V.	3	45
Tert.	III.	IV.	V.	VI.	5	75
1	0	3	59	20	10	150
2	0	7	58	40	20	300
3	0	11	58	1	3	45
4	0	15	57	22	Sec.	I.
5	0	19	56	42	1	0. 15
10	0	39	53	24	2	0. 30
15	0	59	50	6	3	0. 45
30	1	59	40	12	5	1. 15
60	3	59	20	24	10	1. 30
90	5	59	0	36	20	5. 0
180	11	58	1	12	40	10. 1
360	13	56	2	24	60	15. 2
					15	28

PROBLEMA IX.

213. Dato loco Solis in Ecliptica, una cum elevatione Poli; invenire longitudinem Diei atque Noctis.

RESOLUTIO.

1. Quaratur Declinatio Solis (§. 198) & inde porro differentia Ascensionalis (§. 206).
2. Differentia Ascensionalis convertatur in tempus Solare: quod
3. Tempori, quo quadrans Äquatorialis per Meridianum transit, addatur, si Sol fuerit in Signo Boreali, vel ab eadem auferatur, si idem in Australi extiterit. Ita nimirum in utroque casu obtinetur tempus semidiurnum.
4. Quodsi hoc ex 12 horis subducas, relinquetur tempus seminocturnum.

E. gr. Sit Sol in 24° II & elevatio Poli $51^{\circ} 38'$: erit Differentia ascensionalis $33^{\circ} 2' 27''$ (§. 206).

Sed 30° resp. 1 hor. $59' 40'' 12'''$

3	11	58	1
2	7	58	$40'''$
10''		39	53 $24''$
15		59	50 6
2		7	58 40

Ergo Diff. ascens. 2. hor. 11. 47. 59. 22. 10
Porro 90° 5 59. 0. 36

Unde temp. semid. 8 hor. 10 48. 35. 22. 10
hoc est, 8 hor. $10' 49''$
11 59 60

tempus seminoct. 43 hor. $49' 11''$
Ergo tempus diurnum 16 hor. $21' 38''$; nocturnum vero 7 hor. $38' 22''$.

DEMONSTRATIO.

Quia Punctum D est Ascensio recta; ab ortu Solis usque ad meridiem arcus Äquatoris AD per Meridianum transit (§. 190). Est vero AO quadrans (§. 89): quodsi ergo quadrans & Differentia ascensionalis in tempus convertantur, inde elici posse tempus inter ortum Solis & meridiem intercedens, hoc est tempus semidiurnum, patet. Q. e. d.

COROLLARIUM.

214. Quia tempus ortus numeratur à media nocte, tempus vero occasus à meridie; tempus seminocturnum est simul tempus, quo Sol oritur; semidiurnum vero indicat momentum, quo occidit. In nostro nempe exemplo ☉ oritur hor. 3. 49' 11''; idem occidit hor. 8. 10' 49''.

PROBLEMA X.

215. Data elevatione Poli PR & Declinatione Solis DS; invenire altitudinem ejus ad datum quocunque momentum.

RESOLUTIO.

- I. Sit HZR Meridianus, in Z Zenith & Sol C in Äquatore AQ. In Triangulo ZAC ad A rectangulo (§. 84), datur AZ elevationi Poli PR æqualis (§. 97), &, si tempus usque ad meridiem residuum (vel pomeridianum in altero casu) in arcum Äquatoris convertatur (§. 212), arcus AC: reperitur adeo arcus ZC (§. 120. Spher.), qui ex quadrante ZE (§. 62) subductus

ductus relinquit altitudinem Solis
CE (§. 94).

E. gr. Sit PR $51^{\circ} 38'$, \odot in $\circ \text{V}$; quæra-
tur altitudo hora 9 matutina. Quoniam ho-
ræ 3 usque ad meridiem supersunt; erit AC
 $45^{\circ} 7' 24''$.

Quare Log. Cosin. AZ	98943464
Cosin. AC	98485459

Cosin. ZC seu Sin. CE 9.7428923 ,
cui in Tabulis quam proxime respondent
 $33^{\circ} 35' 16''$.

II. Si Sol S fuerit in Signo Boreali,
cum sit in Z Zenith, in P Polus,
AQ Äquator, HR Horizon, in
Triangulo ZPS dantur latera PS
Declinationis DS complementum
(§. 79) & ZP elevationis Poli PR
complementum ad quadrantem
(§. 62). Quodsi tempus in ar-
cum Äquatoris convertatur (§.
212); prodibit arcus AD, qui
ob quadrantem PD (§. 79) est
mensura anguli ZPS (§. 33.
Spher.). Reperitur adeo SE (§.
163. Spher.).

E. gr. Sit Sol in $24^{\circ}\Pi$ sub elevatione Poli
 $51^{\circ} 38'$: quærenda est altitudo ad horam 9
ante meridianam. Quoniam DS $23^{\circ} 20' 48''$;
erit PS, $66^{\circ} 39' 12''$; & AD sive angulus P est
 $45^{\circ} 7' 24''$. Quoniam in Triangulo DGS ad
D rectangulo (§. 76) Hypotenusa GS qua-
drante minor, quia ZE quadrans (§. 62), &
DG itidem quadrante minor, quia AO qua-
drans (§. 89), erit angulus S. acutus (§. 81.
Spher.). Cum adeo in Triangulo ZSP angu-
li S (§. 43. Spher.) & P per hypoth. sint acuti,
perpendiculum ZK ex angulo Z in
latus PS demissum intra Triangulum ca-
dit (§. 82, Spher.). Quamobrem

Log. Sin. tot.	1000000000	Tab.
Cosin. P.	98485459	III.
Summa	198485459	Fig. 20.
Cot. ZP	101014704	

Tang. PK 9.7470755 , cui
in Tabulis quam proxime respondent

$29^{\circ} 11' 10''$

Sed PS $66^{\circ} 39' 12''$

Ergo SK	37 28 2
Porro Log. Cosin. SK	98996474
Cosin. ZP	98943464

Summa	197939938
Cosin. PK	99410343

Cosin. ZS seu Sin. SE 98529595 ,
cui in Tabulis quam proxime respondent
 $45^{\circ} 27' 43''$.

III. Si Sol fuerit in Signo Australi; Ps
est aggregatum ex quadrante Pd
(§. 79) & Declinatione fd, Reliqua
se habent ut ante.

PROBLEMA XI.

216. Data elevatione Poli una cum
Declinatione & altitudine Solis, in-
venire horam diei.

RESOLUTIO.

I. Si Sol C fuerit in Äquatore AQ, Tab.
cum sit in Z Zenith, in P Polus, III.
HR Horizon, in Triangulo ZAC Fig. 18.
ad A rectangulo (§. 84.) datur
AZ elevationi Poli PR æqualis
(§. 97) & ZC altitudinis CE com-
plementum ad quadrantem (§. 94.
62). Invenitur adeo arcus AC (§.
119. Spheric.), qui in tempus So-
lare conversus (§. 212) indicat ho-
ras vel ad meridiem residuas, si Sol
fuerit

fuerit in parte Orientali, vel à meridie præterlapsas, si fuerit in Occidental.

Exemplum Problematis præcedentis in causa eodem facile huc applicatur.

Tab. II. Si Sol S fuerit in Signo Boreali; in **III.** Triangulo ZSP dantur latera singula, nimirum ZP elevationis Poli PR & ZS altitudinis Solis SE complementum (§. 94. 62) atque PS Declinationis SD complementum (§. 79). Invenitur adeo angulus ZPS (§. 168. *Spheric.*), cuius mensura AD (§. 79. *Astron.* & §. 33. *Sphær.*) in tempus Solare conversa (§. 212) tempus desideratum ut ante patefacit.

Sit e. gr. PR $51^{\circ} 38'$, SE $45^{\circ} 27' 43''$, locus Solis 24° II; erit DS $23^{\circ} 20' 48''$, adeoque PS $66^{\circ} 39' 12''$ & hinc $\frac{1}{2}$ PS $33^{\circ} 19' 36''$. Erit porro

ZS	44°	32'	17"
ZP	58	22	
<hr/>			
ZS + ZP	82	54	17
<hr/>			
$\frac{1}{2}$ ZS + $\frac{1}{2}$ ZP	41	27	8
<hr/>			
ZS	44°	32	17"
ZP	38	22	
<hr/>			
ZS - ZP	6	10	17
<hr/>			
$\frac{1}{2}$ ZS - $\frac{1}{2}$ ZP	3	5	8

Demissum ex Z in PS perpendiculum cadere intra Triangulum PZS, ex Problemate præcedente patet. Cumque sit rectangulum ex cosinu ZS in sinum PK æquale rectangulo ex cosinu PZ in sinum SK (§. 162. *Spheric.*); erunt cosinus ZP & ZS ut sinus PK & KS (§. 299. *Arithm.*). Quare

cum ZS > ZP per hypoth. adeoque Cosinus ZP major Cosinu ZS erit etiam Sinus SK major Sinu PK, consequenter SK > PK. Hinc.

Log. Tang. $\frac{1}{2}$ PS	98179245
Tang. $\frac{1}{2}$ ZS + $\frac{1}{2}$ ZP	99460785
Tang. $\frac{1}{2}$ ZS - $\frac{1}{2}$ ZP	87316308
<hr/>	
Summa	186777093
<hr/>	
Tang. $\frac{1}{2}$ SK - $\frac{1}{2}$ PK	88597848,
cui in Tabulis quam proxime respondent	
<hr/>	
Sed $\frac{1}{2}$ PS	4° 8' 30"
<hr/>	
Ergo PK	29 11 6
Unde porro Cotang. ZP	101014704
Tang. KP	97470523

Cosin. P 98485227, cui in Tabulis quam proxime respondent $44^{\circ} 52' 23''$.

Est ergo angulus P, consequenter arcus AD $45^{\circ} 7' 37''$, qui in tempus conversus

30°	1h.	59'	40"	12'''
15		59	50	6
5'			19	56 42'''
2			7	58 40
30'			1	59 40 12"
5				7 58 40
2				

producit 3h. 0 0 21 0 52

Residuæ ergo sunt usque ad meridiem 3h: unde tempus Observationis fuit hora nona.

III. Si Sol S fuerit in Signo Australi, latus Ps est quadrante majus. Ejus itaque loco resolvitur Triangulum sp N & angulus p reperitur ut ante.

SCHOLION.

217. Hujus Problematis multus est in Astronomia practica usus, in Eclipsibus praesertim Solaribus observandis.

PROBLEMA XII.

218. Data elevatione Aequatoris AH, una cum loco Solis S & obliquitate Eclipticæ G; invenire ad datum tempus Punctum Eclipticæ oriens M & Angulum orientis EMH.

RESOLUTIO.

1. Tempus usque ad meridiem residuum convertatur in arcum Aequatoris (§. 212), ut habeatur arcus AD, consequenter ejus complementum DO (§. 89).
2. Ex loco Solis dato quæratur ejus Ascensio recta (§. 204): qua data innoteat arcus DG.
3. Subducatur DG ex DO, relinquetur GO.
4. Cum in Triangulo GMO præterea dentur anguli MGO & MOG, quorum ille obliquitas Eclipticæ, hic altitudini Aequatoris AH æqualis (§. 100); reperietur arcus GM (§. 164. Spher.) & inde porro angulus M (§. 126. Spher.).

Egr. Sit Sol in $17^\circ\varnothing$, elevatio Poli $51^\circ 38'$: quærendum est Punctum Eclipticæ M hora matutina oriens, cum Angulo orientis. Quoniam adhuc tres horæ usque ad mediem supersunt; erit arcus AD $45^\circ 7' 24''$ (§. 212), adeoque DO $44^\circ 52' 36''$. Ascensio recta Solis D est $139^\circ 27' 38''$, adeoque GD (sublata nempe ista ex 180°) $40^\circ 32' 22''$, consequenter DO - DG = GO = $4^\circ 25' 14''$. Porro angulus GOM $38^\circ 22'$ (§. 100) &AGO $23^\circ 29'$. Demittatur ex G in HM

perpendiculum GN. Quoniam in Triangulo GNO ad N rectangulo datur Hypothenusa GO cum angulo O; erit

Tab. III.
Fig. 21.

Log. Sin. tot.	100000000
Cosin. GO	99987544
Summa	199987544
Cotang. O	101014704
Cotang. NGO	98972840,

cui in Tabulis quam proxime respondent $38^\circ 17' 12''$.

Est ergo NGO	$51^\circ 42' 48''$
Sed MGO	$23^\circ 29' 0$
Ergo NGM	$28^\circ 13' 48$
Porro Cosin. NGM	99450034
Cot. GO	111199295
Summa	210649329
Cosin. NGO	97921088
Cot. GM	112728241,

cui in Tabulis respondent $86^\circ 56' 45''$. Est ergo GM $3^\circ 3' 15''$ seu Punctum Eclipticæ oriens M $3^\circ 3' 15''$ $\underline{\underline{=}}$.

Denique Sin. totus	100000000
Cosin. GM	99993826
Summa	199993826
Cotang. NGM	102701311
Cotang. NMG	97292515,

cui in Tabulis quam proxime respondent $28^\circ 11' 46''$.

Est ergo Angulus Puncti Eclipticæ orientis NMG $61^\circ 48' 14''$.

Si Punctum Aequinoctiale G fuerit Tab. III. infra Horizontem, ex DG subtrahitur DO, ut habeatur OG: reliqua fiant ut Fig. 22: ante.

COROLLARIUM.

219. Quodsi ex Puncto Eclipticæ oriente M subtrahantur 90° , relinquitur nonagesimus Eclipticæ gradus ab Oriente numeratus.

DEFINITIO LIX.

220. Nonagesimus vocatur Eclipticæ gradus, nonagesimus à Puncto ejus

B b b oriente

orientे numeratus. Hinc *Altitudo nonagesimi* est altitudo gradus nonagesimi à Puncto ejus oriente numerati.

THEOREMA X V.

Tab. 221. *Altitudo nonagesimi est Angulo III. orientis KMI æqualis & continuata per Fig. 221. Polos Eclipticæ transit.*

DEMONSTRATIO.

Ex Puncto oriente M tanquam Polo intervallo quadrantis descriptus intelligatur Circulus ZK; erit KI mensura Anguli orientis KMI (§. 33. *Spheric.*). Jam cum Ecliptica EL atque Horizon HR se mutuo intersecent in Polo M Circuli KIZ per constr.; hic per Polos Eclipticæ atque Horizontis, consequenter per Zenith atque Nadir (§. 61), transit (§. 34. *Sphær.*). Est igitur ZK Circulus verti-

calis (§. 70), adeoque KI altitudo nonagesimi (§. 94): Unde pater, altitudinem nonagesimi vi demonstrorum esse Angulo orientis M æqualem & continuatam per Polos Eclipticæ transire. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

222. Ad datum igitur tempus, sub data elevatione Poli, invenitur altitudo nonagesimi (§. 218).

SCHOLION.

223. Patet adeo, quomodo construantur Tabulae Anguli orientis seu altitudinis nonagesimi sub elevatione Poli assumta.

COROLLARIUM II.

224. Quodsi altitudinem nonagesimi IK ex 90° subducas, relinquitur distantia nonagesimi à vertice IZ (§. 73. *Astrom.* & §. 54. *Sphær.*).

CAPUT IV.

De Loci Fixarum.

PROBLEMA XIII.

Tab. 225. *Distantias Stellarum observare.*
III. RESOLUTIO.

- Fig. 24. 1. Quadrans circa Axem suum vertatur, donec per Dioptras radio AC affixas Stella una N appareat in Linea fiduciae.
2. Loco perpendiculari, quo in metiendis altitudinibus utimur (§. 196), applicetur regula cum Dioptris sive Telescopicis, sive aliis, prout Fixæ vel Telescopicæ fuerint, vel alterius generis, circa Centrum C mobilis CD & Coobservator eam ultro citroque moveat, donec Stella altera S in Linea fiduciae appareat.

Dico arcum AD indicare distantiam Stellarum SN.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Stellæ S & N ad sensum à Centro Instrumenti C æqualiter absunt (§. 7), arcus ex C radio CS descriptus transit etiam per N seu Punctum Sphaeræ Mundanæ, ubi videtur Stella N (§. 40. *Geom.*). Sed quia distantia Centri Instrumenti C à Centro Telluris respectu Fixarum evanescit, hoc est, pro nulla considerari debet (§. 144); Circulus ex C descriptus idem est cum eo, qui ex Centro Telluris describitur, adeoque maximus (§. 15. *Sphær.*) & hinc arcus SN est distantia Fixarum (§. 54. *Sphær.*). Quare

re cum SN sit mensura anguli SCN
(& §. 57. Geom.) & AD mensura ipsi æqua-
lis ACD (& §. 156. Geom.); arcus AD &
SN similes sunt (& §. 141. Geom.), adeo-
que eundem numerum graduum conti-
nent (& §. 138. Geom.). Q. e. d.

PROBLEMA XIV.

226. Datis distantia Fixarum ST,
vel TH, vel SV & Declinationibus ea-
rundem SH, TI vel VI, invenire dif-
ferentiam Ascensionum rectarum HI.

RESOLUTIO.

Si Stella una H fuerit in Æquatore, latus PH est quadrans, si utriusque Declinatio Borealis, latera SP & PT sunt complementa Declinationum SH & TI; si denique unius Declinatio Australis IV, latus PV est aggregatum ex quadrante PI & Declinatione IV (§ 49) & HI mensura est in omni casu anguli HPI (§. 33. Sphæric.). Cum adeo in casu primo in Triangulo HPT; in secundo in Triangulo SPT; in tertio in Triangulo VPS dentur tria latera; invenitur angulus HPI (§. 168. Sphær.).

E. gr. RICCIOLUS observavit dis-
tantiam Capitis Andromedæ à Lucida Arietis $27^{\circ} 9'$ (a). Juxta Tabulas Cel. DE LA
HIRE (b) fuit A. 1700 Declinatio Ca-
pitis Andromedæ $27^{\circ} 27' 3''$ & Declinatio
Lucida Arietis $22^{\circ} 2' 1''$. Quoniam ultra-
que Declinatio Borealis & Caput Andro-
medæ Lucida Arietis occidentalior; erit
HS $27^{\circ} 27' 3''$, TI $22^{\circ} 2' 1''$, TS $27^{\circ} 9'$,
adeoque PT $67^{\circ} 57' 59''$ & $\frac{1}{2}$ PT 33°
 $58' 59'' \frac{1}{2}$,

(a) In Almagest. Novo Lib. VI. C. 10. f. 426.
(b) In Tabul. Astron. p. 13. & 14.

	PS	62°	$32'$	$57''$	
	ST	27	9	0	
	PS + ST	89	41	57	
	$\frac{1}{2}$ PS + $\frac{1}{2}$ ST	44	50	$58\frac{1}{2}$	Tab. III.
	PS	62°	$32'$	$57''$	Fig. 25.
	ST	27	9	0	
	PS - ST	35	23	57	
	$\frac{1}{2}$ PS - $\frac{1}{2}$ ST	17	41	$58\frac{1}{2}$	
Quare	Log.	Tang.	$\frac{1}{2}$ PT	98287127	
	Tang.	$\frac{1}{2}$ PS + $\frac{1}{2}$ ST	99977197		
	Tang.	$\frac{1}{2}$ PS - $\frac{1}{2}$ ST	95039713		
	Summa			195016910	
	Tang.	$\frac{1}{2}$ PK - $\frac{1}{2}$ TK	96729783,		
	cui in Tabulis respondent	$25^{\circ} 13' 5''$			
	Sed $\frac{1}{2}$ PT	33	58	$59\frac{1}{2}$	
	Ergo PK	59	12	$4\frac{1}{2}$	
Tandem	Log.	Cot.	PS	97155661	
	Tang.	PK	102246880		
	Cofin.	P	x99402541,		
	cui in Tabulis quam proxime respon-				
	dent	$60^{\circ} 37' 50''$.			

Est igitur P sive HI $29^{\circ} 22' 10''$.

COROLLARIUM.

227. Datis Declinationibus duarum Fi-
xarum SH & TI una cum earum Ascen-
sionibus rectis H & I; evidens est in Trian-
gulo SPT dari duo latera PS & PT com-
plementa Declinationum datarum, & an-
gulum interceptum P, quem metitur As-
cisionum rectarum datarum differentia
HI (§. 33. Sphær. & §. 190. 49. Astron.). In-
venitur adeo distantia earumdem ST (§. 165.
Sphæric.). Exemplum Problematis facile
huc applicatur.

PROBLEMA XV.

228. Observare Ascensionem rectam
alicujus Fixæ.

RESOLUTIO.

I. Observetur momentum meridiei (§.
124) & index in Horologio oscilla-
torio dirigatur ad horam duode-
cimam.

2. Observetur eodem momento à Co-
bservatore altitudo Solis meridiana
(§. 129. 137) & inde eliciatur ejus
Declinatio (§. 154), locus in Ecliptica
(§. 203) & tandem Ascensio
recta (§. 204).
3. Nocte insequente observetur culmi-
natio Fixæ (§. 134) & notetur tem-
pus ab Horologio oscillatorio in-
dicatum.
4. Tempus à meridie usque ad culmi-
nationem Stellæ præterlapsum con-
vertatur in arcum Æquatoris (§.
212): qui si
5. addatur ad Ascensionem rectam So-
lis, prodibit Ascensio recta Fixæ
(§. 190. 136). Quodsi aggregatum
fuerit 360° major excessus supra
eosdem erit Ascensio desiderata.

Aliter.

1. Ope Telescopii observetur interdiu
Stella cum Sole culminans (§. 134)
& altitudo Solis meridiana (§. 129.
137).
2. Hinc ut ante eliciatur Ascensio recta
Solis, quæ eadem erit Ascensio
recta Fixæ.
3. Quodsi Stella paulo ante meridiem
aut post eundem culminet; tempus
inter meridiem & culminationem
Stellæ intercedens dabit ut ante
differentiam Ascensionum rectarum
Solis & fixæ.

SCHOLION I.

229. Accurata temporis observatione opus
est, quod inter meridiem & Stellæ culmina-
tionem intercedit: error enim 4 secundorum
in tempore admissus producit errorem inte-
grum minuti in Ascensione recta Stellæ (§. 212).
Tanta autem est Horologiorum oscillatorio-
rum affabre constructorum perfectio, ut error

unius scrupuli secundi ab Observatore exer-
citato præcaveri possit (a).

SCHOLION II.

230. Stellarum interdiu per Tubos seu
Dioptrias Telescopicas Instrumentorum obser-
vationem primam sibi tribuit Observator præ-
stantissimus Cel. DE LA HIRE (b). Incidit
autem in hunc modum observandi longe util-
lissimum circa annum 1680.

COROLLARIUM I.

231. Quoniam ex altitudine Solis me-
ridiana locus ejus in Ecliptica determi-
nari potest (§. 203); si transitus Stellæ cum
Sole per Meridianum observetur, Punctum
Eclipticæ una innotescit, cum quo Stella
culminat.

COROLLARIUM II.

232. Quodsi quarundam Fixarum Ascen-
siones rectæ fuerint observatae; Ascensio-
nes reliquarum innotescunt, si differen-
tia Ascensionum rectarum ex distantiis
eruta HI (§. 226) ex Ascensione orienta-
lioris I subtrahatur, vel ad Ascensionem
occidentalioris H addatur (§. 190. 136).

OBSERVATIO XII.

233. Declinationem Stella ultima in
Cauda ursæ majoris observarunt.

Ante Christ.

An. 295	TIMOCHARIS &		
	ARISTYLLUS	61° 30'	
128	HIPPARCHUS	60 45	
	<i>Post Christum.</i>		
An. 138	PTOLEMÆUS	59 40	
1585	TYCHO	51 26 30	
1660	RICCIOLUS	51 23 24	
1700	DE LA HIRE	50 47 29	

& similes differentia deprehenditur in
Declinationibus aliarum fixarum à RIC-
CIOLO studiose collectis (c) & in As-
censionibus rectis earundem.

Co-

(a) Mémoires de l'Acad. Roy. des Scienc.
A. 1700. p. m. 376..

(b) loc. cit.

(c) In Astron. Reform. lib. 4. f. 204. & seqq.

COROLLARIUM I.

234. Patet adeo Declinationes Fixarum esse mutabiles; consequenter etiam earum distantias à Polo, hoc est, Declinationum complementa ad quadrantem (§. 79. *Astron.* & §. 54. *Spheric.*).

COROLLARIUM II.

235. Eodem modo paret Ascensiones rectas fixarum mutabiles esse.

DEFINITIO LX.

236. *Latitudo Stellæ S* est distantia ejus ab Ecliptica EL.

COROLLARIUM I.

237. Est ergo arcus Circuli maximi TS inter Centrum Stellæ S & Eclipticam EL interceptus atque ad eam perpendicularis (§. 79. *Sphær.*).

COROLLARIUM II.

238. Circulus adeo, cujus arcu Latitudinem TS metimur, per Polos Eclipticæ M & m transit (§. 28. *Spheric.*).

DEFINITIO LXI.

239. Hinc *Circulus Latitudinis* est Circulus maximus MSTm per Polos Eclipticæ transiens.

COROLLARIUM.

240. Est ergo TM Circuli quadrans (§. 25. *Sphær.*).

DEFINITIO LXII.

241. *Longitudo Stellæ S* est arcus Eclipticæ à principio Arietis usque ad Circulum Latitudinis TM per Stellæ centrum S ductum continuatus.

SCHOLION.

242. Patet Latitudinem Stellæ respondere Declinationi, Longitudinem Ascensioni rectæ, si situs Stellæ respectu Äquatoris conferatur cum situ ejus respectu Eclipticæ.

PROBLEMA XVI.

243. Data Declinatione Stellæ una cum ejus Ascensione recta & obliquitate Eclipticæ; invenire ejus Longitudinem & Latitudinem.

RESOLUTIO.

I. Si Stella S fuerit in Äquatore AQ, Tab. III. in Triangulo TSG ad T rectangu- lo (§. 237) datur angulus G seu Fig. 27. obliquitas Eclipticæ & arcus SG, qui in primo quadrante est Stellæ Ascensio recta; in secundo ejus complementum ad Semicirculum; in tertio excessus supra Semicirculum; in quarto complementum ad Circulum integrum. Invenitur adeo tum Latitudo TS (§. 116. *Spheric.*), tum arcus GT (§. 127. *Spheric.*), qui in primo quadrante est Longitudo Stellæ (§. 241), in secundo ejus complementum ad Semicirculum, in tertio excessus supra Semicirculum, in quarto complementum ad Circulum integrum.

II. Si Stella S habeat Declinationem Borealem DS, in Triangulo PSM datur distantia Polorum mundi & Eclipticæ PM, quæ obliquitatib[us] Eclipticæ æqualis (§. 179.) angulus QPD, cujus mensura est arcus DQ (§. 31. *Sphær.*), compositus ex quadrante GQ & arcu GD ob Ascensionem rectam D dato, prout ex antecedente casu manifestum; & latus PS, Declinationis SD complementum (§. 79). Invenitur adeò latus SM (§. 162. *Sphær.*) Latitudinis TS complementum (§. 240), & angulus M (§. 165. *Sphær.*), cujus mensura est arcus ET (§. 240. *Astron.* & §. 31. *Sphær.*), complementum Longitudinis GT in primo quadrante; excessus ejusdem ultra quadrantem in secundo quadrante.

Tab. III.

Fig. 26.

Tab. E. gr. Quærenda est Longitudo Caudæ Leonis an annum 1700. Juxta PHILIPPUM DE

Fig. 26. LA HIRE ejus Declinatio borealis DS $15^{\circ} 14' 44''$, Ascensio recta D $173^{\circ} 26' 44''$ & obliquitas Eclipticæ G $23^{\circ} 26'$. Est adeo DG $6^{\circ} 33' 16''$ & hinc DQ seu angulus SPM $96^{\circ} 33' 16''$; PM $23^{\circ} 29'$; SP $73^{\circ} 45' 16''$. Demislo ex M perpendiculo MK, quod extra Triangulum SPM cadit (§. 82. Sphær.), erit

Log. Sin. tot.	100000000
Cosin. P.	90574655
Summa	190574655
Cotang. PM	103620436

Tang. PK 86954219
cui in Tabulis quam proxime respondent

Sed SP	$73^{\circ} 45' 19''$
Ergo SK	$76^{\circ} 35' 45'$
Log. Cosin. PM	99624526
Cosin. SK	93651482
Summa	193276008
Cosin. PK	99994656

Cosin. SM seu Sin. TS 93281352 ,
cui in Tabulis quam proxime respondent
 $12^{\circ} 17' 30''$

Log. Sin. tot	100000000
Cosin. PM	99624526
Summa	199624526
Cotang. P	90603135

Cotang. PMK 10.9021391 ,
cui in Tabulis quam proxime respondent
 $82^{\circ} 51' 34''$. Ergo PMK $7^{\circ} 8' 26''$.

Porro Log. Cos. PMK	99966186
Cotang. SM	93382231
Summa	193348417
Cotang. PM	103620436

Cosin. SMK 8.9727981 ,
cui in Tabulis quam proxime respondent $5^{\circ} 23' 22''$.

Est ergo SMK	$48^{\circ} 36' 38''$
Sed PMK	$7^{\circ} 8' 26''$
Ergo ET seu PMS	$77^{\circ} 28' 12''$
Addantur	90°
erit Longitudo	$167^{\circ} 28' 12''$
seu	$17^{\circ} 28' 12''$

III. Si Declinatio Stellæ fuerit Australis; ejus Longitudo & Latitudo simili modo inveniri potest.

SCHOLION I.

244. Per Problema præsens construitur Catalogus Fixarum, in quo earum Longitudines & Latitudines annotantur. Primus de Catalogo Fixarum condendo cogitavit HIPPARCHUS Rhodius annis circiter 120 ante Christum natum, TYMOCHARIDIS & ARISTYLLI Observationibus 180 retro annis habitis una usus. HIPPARCHI Catalogum retinuit PROLEMÆUS, utut ipse quoque eum in finem Observationibus vacaret; sed circa annum Christi 880 ALBATEGNIUS Syrus eundem ad sua tempora reduxit. A. 1437 ULUGH BEIGH, Rex Parthiæ ac Indiæ supra laudatus (§. 141), novum Catalogum Fixarum condidit, à D. THOMA HYDE Anglo in Latinum idioma translatum. Tertius, qui Catalogum Fixarum ex propriis Observationibus condidit, fuit TYCHO DE BRAHE, qui Stellis 777 loca sua assignavit ad annum 1600: quem KEPLERUS ex aliis Observationibus TYCHONIS in Tabulis Rudolphinis usque ad 1000 Fixas extendit. Eodem tempore GUILIELMUS Hassiæ Landgravius cum suis Mathematicis CHRISTOPHORO ROTHMANNO & JUSTO BYRGIO 400 Fixarum loca per proprias Observationes determinavit, quas TYCHONICIS præfert Hevelius. RICCIOLUS in Astronomia Reformata centum & unius Stellarum loca ex propriis Observationibus ad annum 1700 determinavit; in reliquis Catalogum TYCHONIS, prout ipsi visum fuit, mutavit. A. 1677 EDMUNDUS HALLEY, nunc Geometriæ Professor in Academia Oxoniensi celeberrimus, & Astronomus Regius in Observatorio

torio Grenovicensi, in Insula S. Helenæ 350. Stellas Australes observavit, in nostro Horizonte non conspicuas. Eundem laborem iteravit R. P. NOEL & novum earundem Stellarum Catalogum ad annum 1687 constructum. A. 1710 edidit. JOANNES HEVELIUS ex propriis Observationibus Catalogum 1888 Fixarum. considit, quarum 950 etiam à veteribus, 335 ab HALLEIO & 603 tantum ab ipso fuerunt observatae. Tandem Celesterrimi FLAMSTEDII Catalogus Stellarum fixarum Britannicus, ad annum, ineuntem 1690 ex Observationibus per multorum annorum intervallum indefesso studio in Observatorio Grenovicensi, constructus, prodiit in Historia Cœlesti Britannica.

SCHOLION II.

245. Ut autem Catalogum condere licet & ut Astrophili Stellas à se invicem discernere valerent; in certas figuras, quæ Asterismi vocantur, distributæ & nominibus Hominum atque Animalium insignitæ sunt jam ab antiquis. In Zodiaco conspicuntur Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces: à quibus Signa Eclipticæ ac Zodiaci nomina sua fortita, quamvis hodie Asterismis cognominibus non amplius contigua. Præterea in parte Cœli Boreali deprehenduntur Ursa major & minor, Drâco, Cepheus, Bootes, Corona septentrionalis, Hercules, Lyra, Cygnus, Cassiopea, Perseus, Andromeda, Triangulum, Auriga, Pegasus, Equuleus, Delphinus, Sagitta, Aquila, Ophiuchus seu Serpentarius, Serpens, Antinous & Coma Berenices. In parte Australi fulgent Cetus, Eridanus fluvius, Lepus, Orion, Canis major, Canis minor, Argo navis, Hydra, Crates, Corvus, Centaurus, Lupus, Ara, Corona meridionalis, Piscis australis, Phœnix, Grus, Indus, Pavo, Apis, Triangulum australe, Piscis volans, Toucan, Hydrus & Dorado. Ex his Asterismi quindecim postremi cum maxima parte Navis, Centauri & Lupi. in nostro Horiz-

zonte non conspicuntur. Stellas reliquas, his Asterismis non comprehensas, nudo tamen Oculo conspicuas, Informes seu Sporades dixerunt Veteres: quarum nonnullas recentiores Astronomi in novas figuræ redegerunt. E. gr. HEVELIUS inter Leonem & Ursam majorem ponit Leonem minorem; inter Ursam minorem & Aurigam supra Geminos Lynxem; sub Cauda Ursæ majoris Canes venaticos & ita porro.

SCHOLION III.

246. In his Asterismis BAYERUS (a) Stellaris per litteras Alphabeti distinguit: plurimorum verò peculiaria sunt nomina. Huc pertinent Arcturus inter pedes Bootis, Gemma seu Lucida Corona Septentrionalis, Capella cum Hoedis in humero Aurigæ, Palilitium seu Oculus Tauri, Pleiades in dorso & Hyades in fronte Tauri, Castor & Pollux in capitibus Geminorum, Præsepe & Asini in Cancro, Regulus seu Cor Leonis, Spica Virginis in manu & Vindemiatrix in humero Virginis, Antares seu Cor Scorpii, Fomalhant in ore Piscis Australis, Rigel in pede Orionis, Sirius in ore Canis majoris, Alcor exigua admodum Stella media in Cauda Ursæ majoris contigua, Stella Polaris ultima in Cauda Ursæ minoris.

SCHOLION IV.

247. Poeta Graci atque Romani de Astrorum origine insulsas commenti sunt fabulas, quas HYGINUS in Poetico Astronomico & NATALIS COMES in Mythologia enarrant, à RICCIOLI in compendio propositas (b). Hinc nonnulli vano magis zelo, quam in scientiam amore ducti aut Astrorum figuræ, aut saltem nomina eorum immutari jusserunt. BEATA Venerabilis in Astris Zodiaci nomina ex sacris substituit profanis: cuius exemplum secutus JU LIUS SCHILLERUS Augustanus, Anno 1627. in Cœlostellato omnibus Astris nomina ex sacris imposuit, vocans e. gr. Arietem Petrum, Taurum Andream, Andromedam Sepulchrum Christi, Lyram Præsepe Christi Hercu-

(a) In Uranometria.

(b) In Almagesto Novo, Lib. VI. C. 3. f. 397. & seqq.

Herculem Magos ex Oriente venientes, Canem majorem Davidem &c. WEIGELIUS, Mathematum quondam Professor Jenensis, in Cœlo Heraldico insignia Principum Europæorum in Cœlum invexit. E. gr. Ursam majorem in Elephantem Regni Daniæ, Cygnum in Rutam cum gladiis domus Saxonice, Ophiuchum in Crucem Colonensem, Triangulum in Circinum, quem artificum & scholarum, Pleiades in Abacum Pythagoricum, quem mercatorum insigne appellat. Enimvero saniores nunquam approbarunt hunc ausum, nullo prorsus usui futurum, sed turbas in Astronomia daturum. Nos cum COPERNICO (a) & TYCHONE (b) necessarium judicamus, ut nomina & figuræ veterum retineantur, non solum quod meliores istis substituere non liceat, sed ut scripta Astronomorum ad nostrum usque tempus evulgata intellegi & veterum observationes cum recentioribus conferri possint, nec sine ratione, quæ Astronomum deceat, memoria multitudine discordorum oneretur, neque prior ad errandum via sternatur.

SCHOLION V.

248. Ceterum ad Astrognosiam felicius absolvendam non modo conducunt Globi artificiales, in quorum superficie figuræ Astrorum decenter descriptæ; verum etiam Uranometria BAYERI, cuius designatione Stellarum per litteras Græcas utuntur hodie Astronomi. Multo tamen emendatores, & splendidiores hos Asterismos effecit FLAMSTEDIUS (c) Ad eundem scopum faciunt Mappæ Cœlestes, in quibus Asterismi decenter depicti, & Astroskopium in primis SCHICKARDI. Si quis enim vel solam Ursam majorem cognoverit, his subsidiis adjutus reliquas facile agnoscat.

SCHOLION VI.

249. Secundum magnitudinem apparentem Stellæ distinguuntur in Stellas primæ, secundæ, tertiaræ, quartær, quintær, sextær magnitudinis atque in Stellas nebulosas. Quamvis autem omnes in hanc divisionem consen-

(a) Revolut. cœlest. lin. 2. c. 14.

(b) Tom. 1. Progymnasm. p. m. 256.

(c) in Atlante Cœlest.

tiant; multus tamen dissensus apud Autores occurrit, si definiendum, quænam Stellæ sint prime magnitudinis, quænam secundæ, quænam tertiaræ & ita porro. E. gr. Stellæ primæ magnitudinis ab omnibus agnoscuntur Aldebaran seu Oculus Tauri, Rigel, Albabor seu Sirius, Capella, Cor Leonis, Cauda Leonis, Spica Virginis, Arcturus, summa in pede Centauri, Lucida seu Fidicula Lyræ, Fomahant, Canopus in temone Argo navis, Acarnar in extremo Eridani: controversæ autem sunt Procyon in Cane minore, humerus Orionis, Cor Hydræ, Cor Scorpis, Lucida Centauri. Similiter nebulosas admittunt omnes Præsepe in Cancro, aliam in aculeo Scorpis, adhuc aliam in Oculo Sagittarii: controversæ autem sunt quas aliqui in Capite Persei, Orionis & Capricorni, in Cornibus Capricorni, in pede Herculis, in Phœnice, Pavone & alibi admittunt.

OBSERVATIO XIII.

250. Post Christum natum observarunt Cordis Leonis.

Longitu-	Latitu-
dinem	dinem
A. 138. PTOLEMÆUS	2°. 30' 0. 10' B.
1115 Persæ	17. 300. 10 B.
1364 Alphonsini	20. 400. 10 B.
1586 WILHELMUS	
Landgravius Hassiae	24. 110. 32. B.
1601. TYCHO	24. 170. 26 B.
Et simili modo se habent observationes	
Longitudinis & Latitudinis alias	
Fixarum.	

COROLLARIUM I.

251. Latitudo Fixarum immutabilis; Longitudo verò continuo crescit.

COROLLARIUM II.

252. Videntur adeo Fixæ motu proprio progredi secundum successionem Signorum, seu in consequentia, in Circulis Eclipticæ parallelis.

SCHOLION I.

253. Hunc Fixarum motum primus suscipiebatur HIPPARCHUS, cum TYMOCHARIDIS atque ARISTYLLI Observationes cum suis conferret: PROLEMÆUS, qui tribus fere seculis post HIPPARCUM floruit, invictis argumentis eundem probavit (a).

SCHOLION II.

254. Fuere etiam nonnulli, qui Latitudinem Fixarum mutabilem afferuerunt; sed cum rationibus parum firmis nitatur eorum afferatio, ideo plerisque contrarium magis arridet.

PROBLEMA XVII.

255. Determinare quantitatem incrementi longitudinis annuam.

RESOLUTIO.

1. Quia Fixæ in consequentia moventur (§. 252); Longitudo olim observata auferatur à Longitudine recentiori ævo observata.
2. Residuum in scrupula secunda redactum dividatur per intervallum annorum inter utramque Observationem intercedens; quotus erit Longitudinis annum incrementum.

E. g. Longitudo *Cordis Leonis* fuit

A.	1586	8° 24' 11'
A.	1115	17 30

Increm. Ann. 471 6° 41'

seu 24060"

quod per 471 divisum dat incrementum annum 51 scrupulorum secundorum.

COROLLARIUM I.

256. Si incrementum annum per 100 multiplices, prodibit incrementum secularre in nostro casu 5100 scrupulorum secundorum, hoc est, 1° 25'.

SCHOLION.

257. Tantum incrementum Longitudinis Fixarum assignat TYCHO DE BRAHE: & Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

(a) Almagest. Novi Lib. VIII. C. 12. & 13. f. 444. & seqq.

COPERNICUS ponit 1° 23' 40" 12''' , FLAMSTEDIUS cum RICCIOLO 1° 23' 20" , BULLIADUS 1° 24' 54" HEVELIUS 1° 24' 46" 50''' . Unde incrementum annum commode statuitur 50" , quale prodit per Observationes FLAMSTEDII.

COROLLARIUM II.

258. Quia incrementum annum Longitudinis Fixarum 50" (§. 257); singulis annis 72 Longitudo Fixarum gradu uno augetur.

PROBLEMA XVIII.

259. Data Longitudine Stella Fixæ ad datum annum quemcunque invenire Longitudinem ad datum annum quemcumque alium.

RESOLUTIO.

1. Quæratur differentia annorum datorum;
2. Per eam multiplicentur 50" (§. 257), productum ad scrupula prima vel gradus (si fieri possit) reductum est differentia Longitudinum.
3. Hæc Longitudini datæ addatur, si annus datae Longitudinis annum quæsitæ præcedit; vel ab eadem subtractatur, si is hunc sequitur.

Ita nimis in utroque casu obtinetur Longitudo quæsita.

E. gr. Juxta Tabulas PHILIPPI DE LA HIRE Longitudo *Sirii* A. 1701. erat 29° 57' 33", quæritur quanta sit anno præsente 1714? Quia differentia annorum 13; duc 5c" in 13, factum 650" seu 10' 50" si addatur Longitudini datæ, prodibit quæsita 29° 10' 8' 23".

PROBLEMA XIX.

260. Data Longitudine Stella TG Tab. & Latitudine IS una cum obliquitate III. Eclipticæ G: invenire Declinationem Fig. 26; DS & Ascensionem rectam DG.

RESOLUTIO.

Quoniam in Triangulo SPM datur SM Latitudinis TS complementum (§. 240)

Ccc & ob

Tab. & ob arcum TE Longitudinis TG com
III. plementum, angulus EMΓ, seu PMS
Fig. 26. (§. cit. Astron. & §. 33. Spheric.), atque
distantia Polorum PM (§. 179); repe-
rietur PS complementum Declinationis
SD (§. 163. Spheric.) & angulus APD
(§. 165. Spheric.), cuius mēnsura est
arcus AD (§. 31. Spheric.) Ascensionis
rectæ DG complementum.

Quodsi EG non fuerit quadrans Ecli-
pticæ primus, ex Problemate præce-
dente jam constat, ex data Longitu-
dine dari arcum TG & dato arcu AD
dari quoque Ascensionem rectam.

Exemplum Problematis 18 facile huc
applicatur.

PROBLEMA XX.

261. Data Longitudine Stellæ TG,
una cum Declinatione DS & obliquita-
te Eclipticæ G; invenire Latitudinem
TS & Ascensionem rectam DG.

RESOLUTIO.

Ex resolutione Problematis præce-
denti (§. 260) constat, in Triangulo
SPM dati PM Polorum Mundi P &
Eclipticæ M distantiam, & PS Decli-
nationis DS complementum atque an-
gulum PMS, quem metitur arcus ET
ex Longitudine TG notus: invenitur
ergo SM Latitudinis TS complemen-
tum (§. 162. Spheric.) & angulus
EPD (§. 160. Spheric.): unde inno-
tescit Ascensio recta DG, ceu ex Pro-
blemate præcedente manifestum est.

Exemplum Problematis 18 facile huc
applicatur.

PROBLEMA XXI.

262. Data Ascensione recta DG &
Longitudine TG, una cum obliquitate
Eclipticæ G; invenire Latitudinem TS
& Declinationem DS.

RESOLUTIO.

Ex resolutionis Problematis 19. (§.
260) constat, in Triangulo SPM dati
angulos SPM & SMP una cum latere
PM. Invenientur ergo latera PS & SM
(§. 161. Spheric.), quæ sunt Declinatio-
nis DS & Latitudinis ST complementa.

Exemplum Problematis 18. facile huc
applicatur.

PROBLEMA XXII.

263. Data Ascensione recta DG & La-
titudine TS, una cum obliquitate Ecli-
pticæ G; invenire Longitudinem TG &
Declinationem DS.

RESOLUTIO.

Ex resolutione Problematis 19. (§.
260) constat, in Triangulo SPM dati la-
tera SM & PM una cum angulo SPM.
Invenietur ergo SP complementum De-
clinationis SD (§. 162. Spheric.) & an-
gulus SMP (§. 160. Spheric.): unde Lon-
gitudinem TG innotescere ex Prole-
mate citato constat (§. 260).

Exemplum Problematis 18 facile huc
applicatur.

PROBLEMA XXIII.

264. Data Declinatione Stellæ DS &
Latitudine TS, una cum obliquitate Ecli-
pticæ G; invenire Longitudinem TG &
Ascensionem rectam DG.

RESOLUTIO.

Ex resolutione Problematis 19. (§.
260) constat in Triangulo SPM dari
latera singula SP, PM & SM: invenien-
tur ergo anguli P & M (§. 168. Spha-
ric.): quibus datis Longitudinem TG
& Declinationem SD innotescere patet
ex Problemate citato.

Exemplum Problematis 18 facile huc
applicatur.

C A P U T V.

De Motu communi Fixarum & Phænomenis inde pendentibus.

P R O B L E M A XXIV.

ab. 265. *D*ata Ascensione recta Stella CO
I. & Declinatione DS, una cum
18. altitudine Poli PR; invenire differentiam
9. Ascensionalem OD & Amplitudinem or-
tivam OS.

R E S O L U T I O.

Coincidit cum resolutione Problematis
7 (§. 206).

E gr. Juxta Tabulas PHILIPPI DE LA HIRE
Anno 1714 Ascensio recta *Sirii* $98^{\circ} 8' 36''$.
Declinatio Australis $16^{\circ} 20' 36''$, elevatio
Poli *Hale* juxta KEPLERUM $51^{\circ} 38'$. Quare

Log. Cotang. O	101014704
Tang. DS	94672255

Sin. OD ± 9.5686959 ,
cui in Tabulis quam proxime respondent
 $21^{\circ} 44' 30''$.

C O R O L L A R I U M I.

266. Si Stella fuerit in Hemisphærio Bo-
reali, differentia Ascensionalis DO ex Ascen-
sione recta D subtracta relinquit obliquam
O (191).

C O R O L L A R I U M II.

267. Si Stella fuerit in Hemisphærio
Australi & differentia Ascensionalis DO
9. Ascensioni rectæ D addatur, prodibit obli-
qua O (§. 191).

P R O B L E M A XXV.

268. *D*ata differentia Ascensionali
Siella; invenire moram ejus supra Ho-
rizontem.

R E S O L U T I O.

1. Differentia Ascensionalis DO conver-
tatur in tempus Solare (§. 212).
2. Si Stella fuerit Borealis, addatur ei-

dem tempus quadranti AO respon-
dens; si Australis fuerit, illud ab
hoc subtrahatur.

3. Residuum si per 2 multiplicetur; pro-
dabit tempus moræ supra Horizontem.

E. gr. Differentia Ascensionalis *Sirii Hale*
hoc anno, $21^{\circ} 44' 30''$ (§. 265). Respon-
dent vero

10°	ohor.	39'	53''	24 ^{II}
10	o :	39	53	24
1	o	3	59	20
30		1	59	40 12 ^{II}
10		39	53	24
4		15	57	22
30''		1	59	40 12 ^v
	1hor.	26	43	38 38 12
90°	5	59	0	35 59 60
	4hor.	32	16	57 21 48
	9hor.	4	33	54 43 36

Est ergo *Sirii* mora supra Horizontem 9
hor. $4' 34''$. Quare mora infra eundem
14 hor. $55' 26''$.

P R O B L E M A XXVI.

269. *D*ato loco Solis in Ecliptica, una
cum Ascensione recta alicujus Stellæ; in-
venire momentum culminationis.

R E S O L U T I O.

- Ex loco Solis dato queratur ejus
Ascensio recta (§. 204).
- Ab ea subtrahatur Ascensio recta
Stellæ.
- Differentia convertatur in tempus So-
lare (§. 212), quod est tempus à Me-
ridie usque ad culminationem Stellæ
elapsum.

E. gr. Si Sol fuerit in \odot

Ascensio ejus recta	90°
Asc. recta Sirii A. 1714	$98^{\circ} 8' 36''$

Differentia	$8^{\circ} 8' 36''$
-------------	---------------------

Respondent vero

5°	o hor. $19^{\circ} 56' 42''$
3°	$11^{\circ} 58' 1''$
$5'$	$19^{\circ} 56' 42''$
3°	$11^{\circ} 58' 1''$
$30''$	$1^{\circ} 59' 40' 12''$
5°	$19^{\circ} 56' 42''$
1°	$3^{\circ} 59' 20''$

Ergo o hor. $32^{\circ} 29' 1^{\circ} 19' 14''$

Est ergo tempus culminationis à meridie oh $32^{\circ} 29' 14''$.

COROLLARIUM I.

270. Si tempus dimidiæ moræ Stellæ supra Horizontem (§. 268) momento culminationis addatur, prodibit momentum occasus.

E. gr. Sole in \odot existente in ipso meridie, Sirius culminat Halæ 1714 o. h. $32^{\circ} 29' 14''$
mora dimidiæ supra horiz. 4° $32^{\circ} 16'$
occidit ergo tum Halæ 5° h.pom. $4' 45''$.

COROLLARIUM II.

271. Si à momento occasus 12 horis aucto subtrahatur mora Stellæ supra Horizontem, relinquitur momentum ortus. E. gr. Sirius occidit 5 hor. $4' 45''$

addatur 12

erit summa 17 hor. $4' 45''$

Mora supra Hor. 9 hor. $4^{\circ} 35'$ (§. 268).

Oritur ergo 8 h. mat. o. l. $10''$

Etenim si 12 horæ addantur ad momentum occasus, relinquitur idem à media nocte computatum. Quamobrem si porro auferatur mora supra Horizontem, residuum est momentum ortus à media nocte computatum.

DEFINITIO LXII.

272. *Mediatio Cœli* est Punctum Eclipticæ cum Stella culminans.

PROBLEMA XXVII.

272. *Data obliquitate Ecliptice G, una Tum Ascensione recta Stellæ D invenire Fig mediationem Cœli.*

RESOLUTIO.

Sit in P Polus Mundi, EL Ecliptica, AQ Äquator, PD Circulus Declinationis, erit ad D angulus rectus (§. 78. Astron. & §. 28. Sphær.) & Punctum Äquatoris D Ascensio recta Puncti Eclipticæ S (§. 190). In Triangulo itaque SDG ad D rectangulo, per dem. datur latus DG ob Ascensionem rectam Stellæ & angulus G obliquitas Eclipticæ. Invenitur ergo GS (§. 128. Sphæric.): unde Punctum Eclipticæ S innotescit prorsus ut supra (§. 203). -

E. gr. Obliquitas Eclipticæ G $23^{\circ} 29'$, Ascensio recta Sirii A. 1714 $= 98^{\circ} 8' 36''$, adeoque DG $81^{\circ} 51' 24''$. Quare

Log. Sin. tot.	100000000
Cosin. G	99624527
Summa	199624527
Tang. DG	108442821
Cotang. SG	91180706,

cui in Tabulis quam proxime respondent $7^{\circ} 28' 37''$. Est ergo ES $7^{\circ} 28' 37''$, consequenter cum EG sit quadrans & G \odot , mediatio Cœli S \odot $7^{\circ} 28' 37''$.

COROLLARIUM.

274. Quodsi ergo ex Theoricis constet, quo tempore Sol sit in \odot $7^{\circ} 28' 37''$; dies quoque notus est, quo Sirius cum Sole culminat. E. gr. hoc anno Sol in $7^{\circ} \odot$ d. 29. Junii. Ergo Sol eo die cum Sirio culminabit.

SCHOLION I.

275. *Quoniam Sol raro in ipso meridie in $7^{\circ} 28' 37'' \odot$ existit, sed aliquot minutis ejus locus plerumque à mediatione Cœli differt;* ideo quoque Sirius vel paulo ante, vel paulo post Solem culminat: quæ differentia temporis innotescit, differentia Ascensionum rectarum Solis & Stellæ in Tempus Solare conversa (§. 212).

SCHO-

SCHOLION II.

276. Quodsi Ascensio recta Stella e. gr. siri in Tabulis Ascensionum rectarum Solis queratur, citra calculum invenitur Celi metatio.

PROBLEMA XXVIII.

277. Data Declinatione Stellæ, invenire utrum sub data elevatione Poli oriarur & occidat, an vero semper appareat, in semper lateat.

RESOLUTIO.

Non alia re opus est, quam ut Declinatio Stellæ conferatur cum altitudine Äquatoris. Nam

I. Si Declinatio Stellæ Borealis QM habeat complementum PM ad quadrantem elevatione Poli PR minorrem, seu si ejus à Polo distantia elevatione Poli minor fuerit; Stella in minima altitudine MR supra Horizontem HR existit, adeoque semper appetet.

e. gr. Declinatio Borealis Caudæ Cygni hoc anno est $44^{\circ} 18' 5''$, adeoque ejus complementum $45^{\circ} 41' 55''$ minor elevationeoli Halensi $51^{\circ} 38'$. Cauda igitur Cygni lala nunquam occidit.

II. Si Declinatio Australis AI major fuerit elevatione Äquatoris AH, Stella sub Horizonte latet, quando altitudo maxima esse debebat. Nunquam adeo oritur.

e. gr. Declinatio Australis Oculi Pavonis $\pm 57^{\circ} 52'$, adeoque major elevatione Äquatoris Halensi $38^{\circ} 22'$. Oculus adeo Pavonis Halæ nunquam oritur.

III. Si Declinatio Australis AT minor fuerit elevatione Äquatoris AH vel Borealis QG complementum ad quadrantem, seu distantia Stellæ à Polo PG major elevatione Poli PR; Stella & oritur, & occidit.

E. gr. Declinatio Australis Cordis Scorpis hoc anno $25^{\circ} 46' 13''$, quæ elevatione Äquatoris Halensi $38^{\circ} 22'$ minor. Cor itaque Scorpis & oritur, & occidit.

DEFINITIO LXIV.

278. Stella Cosmice oritur, si una cum Sole oritur: Cosmice occidit, si Sole oriente occidit.

DEFINITIO LXV.

379 Stella Acronyce oritur, si Sole occidente oritur: Acronyce occidit, si una cum Sole occidit.

DEFINITIO LXVI.

280. Stella Heliace oritur, si prope Horizontem è Radiis Solaribus rursus emergit & primum conspici incipit: Heliace occidit, si Radiis Solis immergitur & conspectui primum eripitur.

DEFINITIO LXVII.

281. Arcus visionis est profunditas Tab. Solis sub Horizonte DS, ad quam ubi III. Sol pervenit Stella T conspici incipit. Fig. 32.

PROBLEMA XXIX.

282. Data obliquitate Eclipticæ, elevatione Äquatoris & Ascensione obliqua Stelle; invenire Punctum Eclipticæ, cum quo Stella oritur.

RESOLUTIO.

I. Si in G fuerit $\circ\gamma$, in Triangulo, Tab. GOM datur obliquitas Eclipticæ G, III. angulus GOM, quia ejus contiguus Fig. 29. AOH elevationi Äquatoris æqualis (§. 100), & latus GO, quæ est Ascensio obliqua (§. 191). Invenitur adeo GM, hoc est, distantia Puncti Eclipticæ M, cum quo Stella oritur, à principio Arietis (§. 161. Spheric.).

Ccc 3

II. Si

II. Si Stella fuerit in secundo quadrante, tum erit in $G \odot \cong$ atque in Triangulo GOM dantur ut ante angulus G obliquitas Eclipticæ & angulus GOM elevationi Äquatoris AH æqualis (§. 100. *Astron.* & §. 43. *Spher.*), atque GO complementum Ascensionis obliquæ ad Semicirculum (§. 191. 173). Invenitur adeo denuo arcus GM, qui est complementum Puncti Eclipticæ M, cum quo Stella oritur ad Semicirculum seu distantia à principio Libræ (§. 161. *Spher.*).

Tab. **III.** Si Stella fuerit in tertio quadrante, tum erit in $G \odot \cong$ & in Triangulo GOM datur obliquitas Eclipticæ G, angulus AOH, qui elevationi Äquatoris æqualis (§. 100) & latus GO, qui est excessus Ascensionis obliquæ supra Semicirculum (§. 191. 173). Invenitur adeo arcus GM (§. 161. *Spheric.*), qui est excessus Puncti M, cum quo Stella oritur, supra Semicirculum, seu distantia ultra $\odot \cong$.

Tab. **IV.** Denique si Stella fuerit in quadrante ultimo, tum erit in $G \odot \nabla$ & in Triangulo GOM datur obliquitas Eclipticæ G, angulus GOM, cuius contiguus AOH est elevationi Äquatoris æqualis (§. 100), & latus GO Ascensionis obliquæ complementum ad integrum Circulum (§. 191. 173). Invenitur latus GM (§. 161. *Spheric.*), quod est complementum Puncti M, cum quo Stella oritur, ad Circulum integrum.

Tab. **II.** E. gr. elevatio Äquatoris AH *Hale* $38^\circ 22'$, obliquitas Eclipticæ G $23^\circ 29'$, Ascensio nis obliqua *Sirii* hoc anno $119^\circ 53' 6''$.

hinc in $G \odot \cong$ atque in Triangulo GOM angulus G, $23^\circ 29'$, & GOM $38^\circ 22'$, præterea GO $60^\circ 61' 54''$. Quoniam angulus GMO obtusus, GOM acutus; perpendicularis GI extra Triangulum cadit (§. 82 *Spheric.*). Quia in Triangulo rectangulo OGI datur OG cum angulo O; erit

Log. Sin. tot.	100000000
Cofin. GO	96974567
Summa	196974567
Cotang. O	101014703
Cotang. OGI	95959864,

cui in Tabulis quam proxime respondet $21^\circ 31' 30''$.

Est ergo OGI	$68^\circ 28' 30''$
Sed OGM	$23^\circ 29'$
Ergo MGI	$44^\circ 59' 30''$

Unde porro

Cofin. MGI	98495481
Cotang. GO	97594239
Summa	196089720
Cofin. OGI	95645561

Cotang. GM 100444159 , cui in Tabulis quam proxime respondet $47^\circ 55' 30''$.

Est ergo GM $42^\circ 4' 30''$, consequenter Punctum M $17^\circ 55' 30''$ Ω .

COROLLARIUM I.

283 Quodsi ex Theoricis constet, quo die Sol hæreat in $18^\circ \Omega$; erit eadem dies quo Sol cum *Sirio* oritur: & hac ratione ortus Cosmicus determinatur (§. 278). Hoc nempe anno *Sirius* Cosmice oritur die 11 Augusti.

COROLLARIUM II.

284. E contrario si ex Theoricis constet, quo die Sol in gradum oppositum, nempe $18^\circ \nabla$, ingreditur; erit eadem dies, quo *Sirius* Sole occidente oritur (§. 171). Et hac ratione ortus Acronycus determinatur (§. 279). Hoc

Hoc nempe anno *Sirius* Acronyce ortus die 28 Janvarii.

COROLLARIUM III.

285. Quodsi eodem modo ex data Stellæ Descensione obliqua investigetur Punctum Eclipticæ, cum quo occidit, & ex Theoricis dies constet, quo Sol in illo puncto itemque in opposito hæret; habebitur dies, quo *Sirius* cum Sole occidit & Sole oriente occidit, hoc est quando Acronyce & Cosmice occidit (§. 278. 279).

PROBLEMA XXX.

286. Determinare Arcum visionis SD, dato Solis loco.

RESOLUTIO.

Observetur post occasum Solis opera Horologii oscillatorii momentum, quo Stella datæ magnitudinis aut Planeta primum conspicere incipit. Tempus hoc in gradus Äquatoris convertatur (§. 212) & habebitur arcus AO, consequenter ejus complementum ad Semicirculum OQ adeoque porro ob KQ quadrantem (§. 49) angulus OKQ.

Ex loco Solis dato queratur Declinatio SO (§. 198), cui si

Addatur quadrans KO, prodibit latus SK, si Sol fuerit in Signo Boreali. Alias SK est Declinationis complementum.

Quare cum porro detur KN elevationis Poli PR sive HK complementum ad quadrantem; invenietur SN (§. 163. *Spheric.*), consequenter profunditas Solis quæsita SD.

COROLLARIUM.

287. Patet eodem modo inveniri profunditatem Solis sub Horizonte ad quodque temporis momentum aliud per Observationem datum.

SCHOLION.

288. *Arcus visionis variat pro diversa Stellarum fixarum magnitudine, & diverso Planetarum lumine. Quoniam vero ob diuersum Atmosphaerae nostra statum, in quo Radii Solares diverso tempore diversimode refringuntur, non constans est omnibus in locis, nec omni tempore in eodem loco; mirum Jane non est, quod Autores in eo determinando non prorsus consentiant. KEPLERUS (a) eundem ita determinat secu tus, dubio procul, PROLEMAEUM:*

Magnitudo & Nominata Stellarum.	Arcus Visionis.
Fixæ magnitudinis	
primæ	12°
secundæ	13
tertiæ	14
quartæ	15
quintæ	16
sextæ	17
Stella nebulosa:	18
Saturnus	11
Jupiter	10
Mars	11 30'
Venus	5
Mercurius	10

Patet adeo, Arcum visionis pro Venere esse omnium minimum: immo interdum est prorsus = 0, quoniam interdiu juxta Solem videtur, si nempe Telluri fuerit valde propinqua. HEVELIUS (b) in Jove ex Radiis Solis emergente observavit Arcum visionis 3°, in Mercurio nunc 3°, nunc 4°, in Venere 2°. Opera adeo pretium foret, ut in hunc arcum accutariori industria inquirerent Observatores.

PROBLEMA XXXI.

289. Data obliquitate Ecliptice G, elevatione Äquatoris AH & Ascensione obli-

(a) In Epitom. Astron. Copernic. Lib. III. p. 370.

(b) Tom. II. Mach. Coelest. Lib. II. f. 611. 219. 214.

Tab.

- III. obliqua Stellæ alicujus O, determinare
Fig. 22. angulum GMO, quem Punctum Eclipticae M cum ipsa oriens cum Horizonte HR efficit.

RESOLUTIO.

1. Investigetur arcus GM ex his datis (§. 282.).

2. Datis adeo in Triangulo OGM angulo O & lateribus OG & GM, invenitur angulus M (§. 158. Sphær.)

E. gr. Hic AH $38^{\circ} 22'$, G $23^{\circ} 29'$, Ascensio obliqua Sirii hoc anno $119^{\circ} 53' 6''$ & hinc GO $60^{\circ} 6' 54''$ reperiturque GM $42^{\circ} 4' 30''$. Unde porro

Log. Sin. GM	98261414
Sin. O	97928759
Sin. GO	99380326

Summa	197309085
-------	-----------

Log. Sin. M. 99047671, cui in Tabulis quam proxime respondent $38^{\circ} 46' 4''$.

Est ergo obtusus OMG $141^{\circ} 13' 56''$.

SCHOLION.

290. Hoc angulo opus est, si ortus & occasus Heliacus Stellæ determinandus, quemadmodum ex Problemate sequente appetat.

PROBLEMA XXXII.

- Tib. II. 291. Datis Arcu visionis DS, Puncto Eclipticae M cum quo Stella oritur, angulo DMS, quem efficit Ecliptica EL cum Horizonte HR; invenire Punctum Eclipticae S, in quo Sol haret, dum Stella Heliaca oritur.
Fig. 33. 292. Datis Arcu visionis DS, Puncto Eclipticae M cum quo Stella oritur, angulo DMS, quem efficit Ecliptica EL cum Horizonte HR; invenire Punctum Eclipticae S, in quo Sol haret, dum Stella Heliaca oritur.

RESOLUTIO.

1. Cum in Triangulo DMS ad D rectangulo (§. 76) detur Arcus visionis DS, & angulus SMD; inveniantur arcus MS (§. 118. Sphar.).

2. Arcus MS addatur Puncto Eclipticæ dato M: ita innotescet locus Solis S.

E. gr. Sirius hoc anno Hale oritur cu
 $\Omega 17^{\circ} 51' 30''$ (§. 282), angulus M 3
 $46' 4''$ (§. 289), quia Sirius Stellæ primitudinis, DS 12° (§. 288.) erit ergo

Log. Sin. DS	93178789
Sin. tot.	100000000

Summa	193178789
Sin. DMS	97966890

Sin. MS 95211899, c
in Tabulis quam proxime respondent 1
 $23' 33''$.

Quodsi huic addas Punctum Ecliptici oriens $17^{\circ} 55' 30''$ Ω ; prodibit locus Solis S. $mp 7^{\circ} 19' 3''$.

COROLLARIUM I.

292. Quodsi M fuerit Punctum cum quae Stella occidit; pater, eodem modo rep̄ riri locum Solis S ad diem, quo Stella Heliacae occidit.

COROLLARIUM II.

293. Quodsi adeo ex Theoricis constet quo die Sol in dato Eclipticæ gradu h̄reat; idem erit dies, quo Stella Heliae oritur vel occidit.

PROBLEMA XXXIII.

294. Data Ascensione recta Solis nō meridiani & Stella cuiuscunq; inveni tempus, quo Stella culminat.

RESOLUTIO.

1. Ascensio recta Solis ex Ascensione recta Stellæ (integro Circulo, hec est, 360° aucta, si minor fuerit) aferatur.

2. Residuum convertatur in tempus Solare (§. 212.): ita prodibit tempus à meridie præterlapsum (§. 190)

E. gr. Ascensio recta Sirii hoc anno 9
 $8' 36''$. Ponamus nos observasse transitum ejus per Meridianum, quando Sol mei die præcedente erat in o X adeoque Ascensio ejus recta $332^{\circ} 5' 50''$. Calculius cundum Problema præsens ita instituetu

Asce

Ascensio recta Sirii	98° 5' 55"
Circulus integer	360
Aggregat.	458 5 55
Ascensio recta \odot	332 5 50
Arcus horarius	126 0 5
90° 5 h. 59' 0" 36"	
30 1 59 40 12	
5 19 56 42	
1 3 59 20	
5" 19 56' 42"	

Temp. quæsl. 8 h. 22 37 9 56 42
five 8 h. 22' 37".

COROLLARIUM I.

295. Ex culminatione adeo Stellæ observata inveniri potest tempus nocturnum.

COROLLARIUM II.

296. Quodsi observetur tempus, quod inter datum aliquod momentum & culminationem alicujus Stellæ intercedit, ope Horologii oscillatorii; eodem modo cognoscetur ipsum illud momentum à Meridie præcedente numeratum.

SCHOLION.

297. Hoc adeo Problema utile est ad momentum quocunque nocturnum per Observationem determinandum, si Horologii motum rectificare vel etiam probare volueris.

PROBLEMA XXXIV.

298. Data elevatione Poli PR, una cum altitudine alicujus Stellæ SE, ejus Declinatione DS & Ascensione recta D; invenire Punctum Äquatoris A, quod tempore observata altitudinis per Meridianum transit.

RESOLUTIO.

I. Quoniam in Triangulo ZPS dantur singula latera, nempe ZS complementum altitudinis ZE (§. 62), PS complementum Declinationis (§. 79) & ZP complementum altitudinis Poli PR (§. 62); reperiatur angulus ZPS (§. 168. Sphær.), cuius mensura arcus AD (§. 31. Sphær.).

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

2. Subtrahatur AD ex Ascensione recta Stellæ; residuum erit Punctum Äquatoris culminans A.

E. gr. Noctu inseguente, quando Sol meridianus fuit in 9° ≈, ponamus Hale, ubi altitudo Poli 51° 38', observatam fuisse altitudinem Lucida Arietis in parte Cœli orientali 30°; erit DS 22° 6' 1" & Ascensio recta D 27° 47' 42" consequenter PZ 38° 22', PS 67° 53' 59", ZS 60°. Quoniam anguli P & S acuti, perpendicularum ZK ex Z in PS demissum, intra Triangulum cadit (§. 82. Sphær.). Porro Cosinus ZS ad Cosinum PZ ut Cosinus KS ad Cosinum KP (§. 138. Sphær.). Quamobrem cum sit ZS > PZ, per hypoth. erit Cosinus ZS < Cosinu PZ (§. 11. Trigon.) & hinc Cosinus SK < Cosinu KP (§. 151. Arith.). Quamobrem SK > KP (§. 11. Trig.). Itaque

P Z	38° 22'
Z S	60
P Z + Z S	98 22
$\frac{1}{2} P Z + \frac{1}{2} Z S$	49 11
Z S	60
P Z	38 22
Z S - Z P	21 38
$\frac{1}{2} Z S - \frac{1}{2} P Z$	15 49
Log. Tang. $\frac{1}{2}$ P S:	98281696
Tang. $\frac{1}{2}$ Z P + $\frac{1}{2}$ Z S	100636448
Tang. $\frac{1}{2}$ Z S - $\frac{1}{2}$ P Z	94522246
Summa	195158694
Tang. $\frac{1}{2}$ S K - $\frac{1}{2}$ P K	96876998,
cui in Tabulis respondent	25° 28' 30"
Sed $\frac{1}{2}$ P S	53 56 59 $\frac{1}{2}$
Ergo P K	8 28 29 $\frac{1}{2}$

Unde porro

Cotang. Z P	101014704
Tang. K P	91712007
Cosin. P	*92746711,

cui in Tabulis quam proxime respondent 10° 50' 56".

Est ergo angulus P seu arcus AD 79° 9' 4", qui ex Ascensione recta Stellæ 27° 47' 42" subductus, relinquunt Punctum culminans A 30° 38' 38".

COROLLARIUM.

Tab. 299. Cum per Problema præcedens in-
III. vestigari possit tempus, quo Punctum
Fig. 25. Äquatoris A culminat; ex data altitudine
Stellæ inveniri potest tempus nocturnum.
E. gr. si in meridie, quæ Observationem
præcedit, Sol fuerit in $9^{\circ} 31'$ adeoque ejus
Ascensio recta $207^{\circ} 54' 10''$, erit arcus ho-
rarius $100^{\circ} 44' 28''$, adeoque tempus, quo
altitudo observata $6h. 41' 51''$.

PROBLEMA XXXV.

300 Datis Ascensione recta D Stel-
lae cujuscunque, una cum Declinatione
ejus DS & elevatione Poli PR; inven-
nire altitudinem SE ad tempus datum.

RESOLUTIO.

1. Tempus datum convertatur in gradus
Äquatoris, ita prodibit arcus Äqua-
toris qui à merid'e usque ad tempus
datum per Meridianum transit.
2. Subtrahatur is à Stellæ Ascensione
recta D, residuus fiet arcus AD,
cujus mensura est angulus P (§. 79).

Astronom. & §. 33. Sphæric.).
3. Cum in Triangulo ZPS, præter hunc
angulum P, dentur latera PZ & PS, I.
elevationis Poli PR (§. 62) & Decli-
nationis DS complementa (§. 79);
reperiatur ZS complementum altitu-
dinis SE (§. 163. Sphær.).

Exemplum præcedens facile huc applicatur,
calculo prorsus ut in Problemate 10. (§.
215) instituto.

SCHOLION.

301 Hoc Problemate & ejus Corollario opus
est, si Stellas interdiu per Telescopia obser-
vare volueris.

COROLLARIUM.

302. Cum ex iisdem datis reperiatur quo-
que possit angulus HZE (§. 166. Sphær.),
cujus mensura ob quadrantem ZE (§. 62)
est arcus HE (§. 33. Sphæric.,) seu Azim-
uthum Stellæ (§. 194); evidens est, quo-
modo Azimuthum ad datum quodcumque
tempus, consequenter Planum Verticalis,
in quo Stella hæret, determinetur.

CAPUT VI.

De Globo Cœlesti Artificiali.

DEFINITIO LXVIII.

303. **G**LOBUS Cœlestis est Sphæra
ex cupro, orichalco, char-
ta aut materia alia confecta, in cuius
superficie Stellæ singulæ intervallis ea-
rundem distantiis proportionatis depictæ,
una cum Circulis Spharæ Mundanæ
præcipuis.

SCHOLION.

304. Globi Cœlestes eum in finem construun-
tur, ut Phænomena motus primi Solis atque
Stellrum, quæ hæc tenus per Observationes
& Calculum Trigonometricum accurate deter-

minare docuimus, rudiori Minerva, quan-
tum ad usus vite sufficit, determinentur. Eo-
rum adeo constructionem & usum hic edoceri
fas est.

PROBLEMA XXXVI.

305. In Superficie Spharæ ex lamina
cuprea vel orichalcea parata Circulos
Cœlestes & Stellas fixas decenter desig-
nare & Spharam ad usum Astronomi-
cum aptare.

RESOLUTIO.

- I. Libere assumantur duo Puncta P &
Q sibi mutuo diametraliter opposita
&

- & in iis defigantur Axiculi PA & QC, circa quos Globus tanquam circa Axem suum volvi possit, ita ut Puncta P & Q vel A & C designent Polos Mundi (§. 46).
2. Circulus Æneus ABCD dividatur in quatuor quadrantes AE, EC, CF & FD & quilibet quadrans in suos 90 gradus subdividatur, à Punctis E & F versus Polos A & C numerandos.
 3. Intra hunc Circulum in A & C firmetur Globus tanquam in Meridiano, ita ut libere intra illum rotari possit (§. 50. 72).
 4. Stylo ad primum divisionis punctum E firmiter applicato, Globus circumrotetur; erit Circulus in superficie ejus delineatus Æquator (§. 49). Consultum vero est, ut Æquator designetur per duos Circulos parallelos aliquali cum latitudine, quo commode in suos 360 gradus dividi possit.
 5. A Polo Mundi P versus M & ab altero C versus N numerentur gradus $23\frac{1}{2}$: erunt Puncta M & N Poli Eclipticæ (§. 179).
 6. Applicato ad Meridianum Stylo, qui apice suo Punctum M attingat, Globus circumvolvatur; ita designabitur Circulus Polaris Arcticus (§. 184). Eodem modo circa Polum Q designabitur Polaris Antarcticus (§. cit.).
 7. Quodsi similiter ab Æquatore versus Polos P & Q numerentur gradus $23\frac{1}{2}$ notenturque Puncta H & I, atque denuo ad Meridianum applicato Stylo per ea describantur Cir-

- culi cum Æquatore paralleli; erit eorum alter per H ductus Tropicus Canceris, alter vero per I transiens Tropicus Capricorni (§. 181).
8. Globus in Polis Eclipticæ intra Meridianum, ut ante suspendatur & ad E applicato Stylo circumvolvatur; ita nimis Ecliptica in eodem designabitur in 12 Signa dividenda, quorum unumquodque rursus in suos 30 gradus subdividendum. Consultum denuo est, ut Ecliptica aliquali cum latitudine per duos Circulos parallelos designetur.
 9. Globo adhuc ita suspenso, gradus Longitudinis Stellæ ducatur sub Meridianum & in eo versus Polum Latitudini cognominem numerentur tot gradus, quot Latitudini convenient: erit Punctum in superficie Globi extremo illius arcus Meridiani respondens Stellæ centrum (§. 241. 236). Eodem modo ex Ascensione recta & Declinatione locus Stellæ determinatur, si Globus ex Polis Mundi seu Æquatoris fuerit suspensus (§. 191. 75).
 10. Stellis ad unum Asterismum pertinentibus ita designatis, vel coloribus oleo dilutis Asterismi Imago juxta BAYERUM in *Uranometria* in Globi superficie pingatur, vel eidem à Chalcographo incidatur.
 11. Intra Horizontem ligneum DLB fulcris quatuor incumbentem ita constituantur Globus cum Meridiano æneo, ut in duo Hemisphæria ab eodem dividatur (§. 63) & Polus A ad arbitrium attolli ac deprimi possit.

Tab.
I V.
Fig. 34*

Tab. 12. In limbo Horizontis designetur Circulus in 360. gradus divisus cum Fig. 34. Calendario & Plagis Mundi, de quibus in Geographia.

13. Denique ad Polum A aptetur Circulus æneus RS in bis 12. partes æquales, hoc est, intervalla horaria divisus, ita ut linea horæ duodecimæ sit in Plano Meridiani & Index horarius circa Axem mobilis cum Globo simul circa Polos rotetur.

Hæc ratione Globus Cœlestis erit constructus.

SCHOLION I.

306. Evidem Circuli Polares & Tropici immobiles sunt (§. 181. 184), adeoque in superficie Sphærae mobilis perperam designari videntur; sed nulla ratio suadet, ut credamus, primum Globorum inventorem per errorem Circulos illos in superficiem eorum translusisse. Neque ignorant, cur in superficie Globi Cœlestis mobili compareant Tropici & Polares, qui ejus usum sufficienter cugnitum atque perspectum habent. In Geographia nimirum per Tropicos & Polares distinguuntur Zonæ: ut adeo appareat, sub quibus Cœli partibus sit Zona quælibet, Tropici & Polares non modo Globo Terrestri, verum etiam Cœlesti inscribuntur. Neque opus est, ut eum in finem extra Globi superficiem ad Meridianum applicentur, quemadmodum in Sphæris armillaribus fieri solet: quia enim in usu Globi Cœlestis solitario non attenduntur, perinde tum est ac si prorsus abessent, neque in errorem inducere possunt nisi Circulorum definitiones ignorantem.

SCHOLION II.

307. Quia Stellarum Longitudo perpetuo mutatur, Globorum usus perpetuus non est. Sed quia incrementum 72 annorum demum gradum adæquat (§. 258); in usu Globorum intra seculum pro nullo habendum, cu-

lus nimis ope Phænomena non ad scrupula singula, sed rudi saltē Minerva determinantur. E. gr. Si Cœli stellarati faciem contemplaturus Globum ad Mundi Plagas & Cardines componas; parum refert, an gradus unus Eclipticæ infra Horizontem existat, qui supra eum esse debeat & contra. Eundem sane in Astrognosia usum præstabit Globus, sive Longitudo Stellarum fuerit exacta, sive gradu uno aberret à vera. Sane Longitudinum gradu uno differentium Ascensiones rectæ nunquam magis differre possunt, quam 1° 5' 25" juxta Tabulas CL. DE LA HIRE: quæ differentia etiamsi in omnibus Stellis obtineret (obtinet tamen in paucissimis), Cœli facies ea prodiret, quæ elapsis demum 4' 11" futura erat. Quare cum in Circulo horario tantillum temporis discerni nequeat, patet intra seculum & ultra Globos esse ab errore immines censendos in facie Cœli ad datum tempus determinanda, quorum constructio Longitudinis Stellarum immutabilitatem supponit. Neque difficulter inde perspiciunt intelligentes, in aliis quoque casibus similiter demonstrari posse, intra seculum & ultra citra errorem notabilem adhiberi posse Globos, quorum superficie adscripti sunt Äquator atque Ecliptica. Atque hæc est ratio, cur hæc Globorum virtutia ab intelligentibus pro nullis reputentur, atque adeo sciens & volens eadem admittere debuerit primus Globorum inventor,

SCHOLION III.

308. Vulgo Globos construunt ex Charta eum quidem in modum, quem Problemate sequente exponimus: sed placuit talem præmittere, quam Tyrones facilius intelligere possint.

PROBLEMA XXXVII.

309. Ex Charta Globum Cœlestem componere.

RESOLUTIO.

Ex data Diametro Globi investigetur recta AB Peripheriæ Circuli maxi-

- mi æqualis (§. 429. *Geom.*) & in 12 partes æquales dividatur (§. 274. *Geom.*).
 2. Per singula divisionis puncta 1, 2, 3, 4 &c. intervallo 10 partium describantur arcus se mutuo in D & E intersecantes: ex iis enim decenter connexis Globi superficies integra componitur.
 3. Pars quælibet rectæ AB dividatur in 30 partes æquales, ut adeo tota recta AB, quæ Peripheriam Äquatoris repræsentat, in 360 gradus sit divisa.
 4. Ex Polis D & E intervallo $23\frac{1}{2}$ describantur arcus *a b*, qui erunt partes Circulorum Polarum duodecimæ (§. 184. 168).
 5. Eodem modo ex iisdem Polis D & E, sed intervallo $66\frac{2}{3}$ graduum ex Äquatore sumpto describantur arcus *c d*, qui erunt partes duodecimæ Tropicorum (§. 181. 168).
 6. Per gradum Äquatoris *e*, qui Ascensioni rectæ Stellaræ alicujus datæ respondet & Polos D atque E cœrussa delineetur arcus Circuli (§. 194. *Geom.*) & complemento Declinationis ex Polo cognomine D intersecretur in *i*, erit Punctum *i* locus Stellaræ.
 7. Omnibus Stellarum ad eundem Asterismum pertinentium locis ita determinatis, Figura Asterisini juxta BAYERUM, vel HEVELIUM in Firmamento Sobiesciano, aut FLAMSTÆDIUM in Atlante Cœlesti decenter delineetur.
 8. Tandem eodem modo per Declinationes & Ascensiones rectas singuli

- gradus Eclipticæ *l g* determinentur.
 9. Globi superficies in planum ita projecta æri incidatur, ne labor adeo molestus pro singulis Globis denuo sit repetendus.
 10. Ex ligno tornetur Globus paulo minoris diametri & Charta conglutinata superinducatur, mox bisariam dissecanda, ut Globus ligneus eximi possit, atque denuo conglutinanda, ut Globus chartaceus cavus habeatur.
 11. Superficies Globi chartacei vestiatur gypso, donec superficies fuerit perfecte rotunda & Globus prodeat Diametri requisitæ: id quod explorare licet, Circulo maximo, data Diametro in Tabula linea descripto & exciso.
 12. Ejusdem Circuli ope determinentur duo Puncta Diametaliter opposita in superficie Globi gypso vestiti, quæ sint Poli Mundi, itemque Äquator & Meridiani per trigesimalum quemque Äquatoris gradum ducti.
 13. Globo in duodecim partes æquales sic diviso agglutinentur partes similes ex Mappa impressa excisiæ.
 14. Globus ut ante (§. 305) intra Meridianum æneum & Horizontem ligneum decenter suspendatur.
 15. Denique construatur ex Lamina orichalcea Quadrans H̄ circa Axiculum H̄ mobilis & in æquales gradus cum Ecliptica & Äquatore divisus, quem Quadrantem *altitudinis ac Latitudinis* posthac vocabimus.

SCHOOLION:

310. *Quodsi non Declinationes & Ascensiones rectæ Stellarum dentur, sed earum potius Latitudines & Longitudines: superficies Globi*

Tab. Globi in planum projicietur eodem prorsus,
IV. quo ante modo, nisi quod tum D & E sint
Fig. 36. Poli Eclipticæ, sive vero Ecliptica, Circuli
vero Polares & Tropici cum Äquatore in
parallelis ex Declinationibus suis determinen-
tur. Recentissimi, qui in publicum prostant,
Catalogi sunt HEVELIANUS & FLAMSTÄ-
DIANUS, in quibus Ascensiones rectæ & De-
clinaciones Fixarum extant: unde consultum
duximus docere, quomodo superficies Globi
ex Ascensionibus rectis & Declinationibus in
planum projiciatur.

PROBLEMA XXXVIII.

311. Stelle in Globo depictæ Declina-
tionem & Ascensionem rectam reperire.

RESOLUTIO.

1. Ducatur Stella sub Meridianum æneum, qui cum per Polos Äquatoris transeat (§. 48. 72), Circulum Declinationis repræsentat (§. 78).
2. Numerentur gradus à Puncto Me-
ridiani, ubi ab Äquatore secatur,
usque ad Stellæ datæ Centrum: nu-
merus enim graduum Declinationem
quaestam exprimit (§. 76).
3. Notetur gradus Äquatoris, qui una
cum Stella sub Meridiano æneo
compareret; is enim est ejus Ascensio
recta (§. 190).

PROBLEMA XXXIX.

312. Stelle in Globo superficie depictæ
Longitudinem & Latitudinem reperire.

RESOLUTIO.

1. Centrum Quadrantis Latitudinis ap-
plicetur ad Polum Eclipticæ in eo-
dem cum Stella Hemisphærio consti-
tutum & circa Axiculum suum verta-
tur, donec Centrum Stellæ attingat.
2. Notetur gradus Eclipticæ, cui Qua-
drans insitit: is enim est Stellæ Lon-
gitudo (§. 241).

3. Numerentur gradus in Quadrante
Latitudinis ab Ecliptica usque ad
Centrum Stellæ, numerus eorum
Latitudinem indicabit (§. 236).

PROBLEMA XL.

313. Dato loco Solis in Ecliptica,
invenire ejus Declinationem & Ascen-
sionem rectam.

RESOLUTIO.

1. Gradus Eclipticæ datus ducatur sub
- Meridianum.
2. Reliqua fiant ut in Probl. 38.
(§. 311).

PROBLEMA XLI.

314. Data Longitudine & Latitu-
dine Planeta ad datum quocunque
tempus, locum ejus in Globi superficie
exhibere & ejus Declinationem atque
Ascensionem rectam determinare.

RESOLUTIO.

1. Centrum Quadrantis Latitudinis ap-
plicetur ad Polum Eclipticæ Latitu-
dini cognominem & circa Axiculum
suum vertatur, donec datum Lon-
gitudinis Punctum in Ecliptica de-
finet.
2. Ad gradum Latitudinis datum pau-
cula cera affigatur Signum Planetæ
(§. 38): ita nimirum Planeta, perin-
de ac Fixæ, in Globo depictus (§.
310).
3. Tandem Planeta sub Meridianum
ducatur & Ascensio recta atque De-
clinatio patebit ut in Probl. 38. (§.
311).

PROBLEMA XLII.

315. Invenire Mediationem Cœli
sive Gradum Eclipticæ, cum quo Stella
aut Planeta per Meridianum transit.

RESO-

RESOLUTIO.

Ducatur Stella aut Planeta in Globi superficiem translatus (§. 314) sub Meridianum; ita nimurum innotescet gradus cum ea sub Meridiano constitutus.

PROBLEMA XLIII.

316. *Globum dato tempore & loco ad Cœli situm componere, data elevatione Poli & loco Solis.*

RESOLUTIO.

1. Polus Globi supra Horizontem ligneum eleveretur, donec arcus inter ipsum & hunc interceptus sit elevationi Poli datae æqualis.
2. Ope arcus magneticæ vel Lineæ Meridianæ Globus ita constituatur, ut Meridianus æneus sit quam proxime in plano Meridiani.
3. Gradus Eclipticæ, in quo Sol hæret, ducatur sub Meridianum & Index horarius ad horam duodecimam, ad quam computatus supponitur locus Solis: ita nimurum habetur Cœli facies ad momentum meridiei.
4. Vertatur Globus, donec Index horarius datam quamcumque horam aliam attingat: ita nimurum innotescet Cœli facies ad illud quoque momentum.

PROBLEMA XLIV.

317. *Beneficio Globi Stellarum cognoscere, vel si una tantum nobis fuerit nota.*

RESOLUTIO.

1. Componatur Globus eo tempore, quo Stellarum contemplari decreveris, ad Cœli situm (§. 316).
2. Quæratur in ejus superficie Stella, quæ tibi jam nota supponitur, e. gr. media in Cauda urse majoris, cui insidet Alcor.

3. Notentur in Globo Stellæ reliquias lucidiores ad eundem Asterismum pertinentes, nec difficulter eadem deprehendentur in Cœlo.

4. Eodem modo innotescant Stellæ minores ejusdem Asterismi & Asterismo uno cognito vicinos quoque eodem studio cognoscere licebit.

5. Quodlibet Planetarum loca in superficie Globi designes (§. 314), adspexitus nudus docebit, inter quas Fixas compareant: his ergo cognitis, Planetæ quoque agnoscuntur.

PROBLEMA XLV.

318. *Data elevatione Poli una cum loco Solis ad diem anni datum; reperire Ascensionem Solis obliquam, Amplitudinem ejus ortivam & Azimuthum, atque tempus ortus.*

RESOLUTIO.

1. Globus ad Cœli situm, quem hora duodecima seu in ipso meridie habet, componatur (§. 316).
2. Locus Solis ducatur ad Horizontem ortivum; ita statim innotescit Ascensio Solis obliqua (§. 191), Amplitudo ortiva (§. 195) & Azimuthum (§. 194) in Horizonte ligneo; Index vero horarius in Circulo horario momentum ortus Solis ostendet.

COROLLARIUM.

319. Sole in Horizonte constituto, una innotescit, quænam Stellæ eo die Cosmice orientantur & occident (§. 278).

PROBLEMA XLVI.

320. *Data elevatione Poli una cum loco Solis; invenire Descensionem obliquam*

quam, Amplitudinem occiduam & Azimuthum, atque tempus, quo Sol occidit.

RESOLUTIO.

Non differt à resolutione Problematis præcedentis, nisi quod locus Solis ducendus sit ad Horizontem occiduum.

PROBLEMA XLVII.

321. Data elevatione Poli & loco Solis; invenire longitudinem diei atque noctis.

RESOLUTIO.

1. Quæratur tempus, quo Sol oritur (§. 318) quod cum à media nocte numeretur, ejus duplum est longitudine noctis.

2. Longitudo noctis subtrahatur ex 24 horis; residuum est longitudine diei.

PROBLEMA XLVIII.

322. Invenire tempus, quo Stella quilibet data, die dato, sub data elevatione Poli oritur & occidit, una cum mora ejus super & sub Horizonte, Ascensione & Descensione ejus obliqua, Amplitudine Ortiva atque occidua, & Azimutho.

RESOLUTIO.

1. Globus ad horam duodecimam diei datæ ad Cœli faciem componatur (§. 316).

2. Stella ad Horizontem ortivum ducatur, ita in eodem apparebit Ascensio ejus obliqua, amplitudo ortiva & Azimuthum: Index vero horarius monstrabit momentum, quo oritur.

3. Ducatur eadem Stella ad Horizontem occiduum, in quo apparebit Descensio ejus obliqua, Amplitudo occidua & Azimuthum: Index vero

horarius ostendet momentum, quo occidit.

4. Momentum ortus à momento occasus subtrahatur: residuum erit mora Stellæ super Horizonte.

5. Mora super Horizonte ex 24 horis subducatur; residuum erit mora Stellæ sub Horizonte. Cum enim differentia inter diem Primi mobilis & diem Solarem in scrupulis paucis consistat (§. 211); ea hic attendi non meretur.

PROBLEMA XLIX.

323. Invenire Punctum Ecliptice, cum quo Stella oritur, culminat & occidit, atque tempus culminationis.

RESOLUTIO.

1. Globus ad Cœli situm rite componatur (§. 316).

2. Stella data ducatur ad Horizontem ortivum, ita patebit, cum quo Puncto Eclipticæ oriatur.

3. Eadem sistatur sub Meridiano, ubi Punctum Eclipticæ cognoscetur, quod cum ea culminat, & Index horarii tempus culminationis ostendet.

4. Aptetur denique Horizonti occiduo, ubi innotescit Punctum Eclipticæ, cum quo occidit.

COROLLARIUM.

324. Quodsi ergo in Ephemeridibus quæratur, vel per calculum in Theoricis tradendum investigetur dies, quo Sol in dato gradu Eclipticæ hæret, cum quo Stella oritur, vel culminat, vel occidit; erit eadem dies, quo Cosmice oritur (§. 278), vel cum Sole culminat (§. 133), vel Acronyce occidit (§. 279).

PROBLEMA L.

325. Invenire altitudinem Solis atque Stella ad datam quamcunque diei vel noctis horam.

RESOLUTIO.

1. Globus rite componatur ad situm Cœli (§. 316) & vertatur, donec Index horarius horam datam indicet.
2. In gradu nonagesimo ab Horizonte numerato ad Meridianum aptetur Quadrans altitudinis & circa Axiculum suum vertatur, donec gradum Eclipticæ, in quo Sol hæret, aut Stellam datam attingat. Arcus enim inter ipsam & Horizontem interceptus est altitudo quæsita (§. 73).

PROBLEMA LI.

356. Data Solis altitudine diurna vel Stellæ nocturna; invenire temporis momentum.

RESOLUTIO.

1. Globus ad situm Cœli rite componatur, & Quadrans altitudinis, ut in Problemate præcedente, ad Meridianum aptetur.
2. Globus circa Axem suum & Quadrans altitudinis circa Axiculum vertatur, donec Stella vel gradus Eclipticæ, in quo Sol hæret, Quadrantem in dato gradu attingat.

Index horarius tum temporis momentum quæsitus monstrabit.

PROBLEMA LII.

327. Dato Azimutho Solis vel Stellæ; invenire temporis momentum.

RESOLUTIO.

1. Globus ad situm Cœli rite componatur & Quadrans altitudinis, ut in Probl. 50, ad Meridianum aptetur.

Wolffii Oper. Mathem. Tom. III.

2. Quadrans altitudinis vertatur circa Axiculum suum, donec in Horizonte Azimuthum quæsitus definiat.
3. Vertatur Globus, donec Stella eundem attingat.

Index horarius temporis momentum indicabit.

PROBLEMA LIII.

328. Data elevatione Poli; ostendere quenam Stella nunquam occidat, & quenam nunquam oriuntur.

RESOLUTIO.

1. Globi Polus elevetur supra Horizontem ligneum tot gradibus, quot elevatio Poli data existit.
2. Globus circumvolvatur & notentur Stellæ, quæ in Meridiano superiore bis conspiciuntur, & quæ in eo non comparent.

Illæ nimirum nunquam occidunt, hæ nunquam oriuntur.

PROBLEMA LIV.

329. Invenire intervallum temporis inter ortus duarum Stellarum vel earum culminaciones interceptum.

RESOLUTIO.

1. Elevetur Globi Polus ut in Problemate præcedente (§. 328).
2. Ducatur Stella prima ad Horizontem noteturque temporis momentum, quod monstrat Index horarius.
3. Ducatur Stella altera similiter ad Horizontem & notetur denuo temporis momentum, quod Index horarius ostendit.
4. Tempus prius subducatur è posteriore, quod relinquitur, est intervallum inter ortus duarum Stellarum interceptum.

Ecc

5. Non

5. Non absimili modo reperitur tempus inter duas culminationes interjectum, si Stella utraque sub Meridiano sistatur.

THEOREMA XVI.

Tab. 330. Profunditas GO Puncti Eclip-
tice G est aequalis altitudini go Puncti
Fig. 38. oppositi g.

DEMONSTRATIO.

Quia Horizon HR & Verticalis ZN se mutuo bifariam secant (§. 85); erit OZ_o Semicirculus. Similiter quia tam Ecliptica EL (§. 171), quam Circulus Verticalis ZN Circulus maximus (§. 70); erit etiam GZ_g Semicirculus (§. 20. *Spheric.*). Est itaque OZ + Z_g + go = GO + OZ + Z_g (§. 85. *Arithm.*), consequenter go = GO (§. 91. *Arithm.*), hoc est, Profunditas Puncti Eclipticæ G aequalis est Altitudini oppositi g (§. 94).

Q. e. d.

PROBLEMA LV.

331. Dato Arcu visionis, invenire

Ortum & Occasum Heliacum Stella in Globo depictæ.

RESOLUTIO.

1. Ducatur Stella in Horizontem ortivum.
2. Ope Circuli verticalis ad Meridianum in Zenith applicati exploretur gradus Eclipticæ, cuius in parte Cœli occidentali altitudo Arcui visionis aequalis: erit Punctum oppositum illud, in quo Sol hærente debet, ut Stella Heliace oriatur (330. 280).
3. Quodsi ergo in Ephemeridibus evolvatur, aut per calculum Theoricis innixum investigetur dies, quo Sol gradum Eclipticæ inventum occupat; erit eadem dies, quo Stella Heliace oritur.
4. Si Stella ad Horizontem occiduum ducatur, simili modo dies inveniatur, quo Heliace occidit.

CAPUT VII.

De Refractione & Parallaxi Fixarum.

OBSERVATIO XIV.

332. *D*istantia Caudæ Leonis à Spica Virginis $35^{\circ} 2'$ constanter deprhenditur (§. 225), quando Meridiano vel etiam Occasui proxima: cum vero in parte Cœli orientali Cauda Leonis ad altitudinem $34^{\circ} 30'$ ascendit, Spica Virginis in eodem fere Circulo Verticali jam oritur (a).

SCHOLION I.

333. *H*uc etiam pertinet Observatio Batavorum in Nova Zembla An. 1797. hibernantium, quibus Sol d. 4 Novembris disparuit, die vero 24 Januarii redordiri cœpit, redditum suum consueto ~~tunc~~ *Calculo Astronomico* expectatum sex circiter diebus antevertens, ut habent Acta Eruditorum A. 1697 (b). CAROLUS XI. Rex Sueciæ A. 1694. Tornovia

(a) Keplerus Epit. Astron. Copernic. Lib. I. Part. 3, p. 61.

(b) Mens. Febr. p. 92.

noviae sub elevatione Poli $65^{\circ} 33'$ media nocte inter 14° & 15° . Junii Styli veteris Solem inocciduum observavit. Ipsius jussu anno sequente BILEMBERGIO atque SPOLIO Mathematicis Observationem accuratius repetentibus & media nocte inter 10° & 11° Junii Solem Tornoviæ $\frac{3}{4}$ diametri, die 14. Junii sub latitudine $66^{\circ} 15'$ ad ferri cuprique officinas Kangis duabus Diametris & amplius supra Horizontem elevatum deprehendentibus (a). Equidem CASSINUS (b) circa has Observatio-nes non satis accurate institutas difficultates quasdam movet, sed quæ non obstant, quo minus hic allegentur, ubi cum quantitate Refrac-tionis nihil nobis adhuc negotii est.

COROLLARIUM I.

334. Quoniam Radii Solis atque Stellarum secundum lineas rectas propagantur (§. 46. Optic.), à Sidere sub Horizonte latente emissi in Oculum Spectatoris illabi nequeunt, nisi in ingressu in Atmosphærā à via pristina detorqueantur. Patet adeo eos in transitu per Atmosphærā re-fringi (§. 39. Optic.).

COROLLARIUM II.

335. Cum adeo Stellæ propter Refrac-tionem altiori loco appareant; altitudines observatae veris per calculum productis sunt justo majores.

COROLLARIUM III.

336. Ut ergo altitudines observatae magis exakte prodeant, Refractionis quantitas inde auferenda.

SCHOLION II.

337. Quoniam Veteres Refractionem igno-rarunt; ex altitudinibus justo majoribus sua deduxerunt: unde non mirum quod errores ion levissim momenti interdum commiserint.

(a) Vid. Opusculum, quod sub titulo: Refrac-tio Solis inoccidui in Septentrionalibus oris aliquot Observationibus Astronomicis detecta, Holmiae 1696. n. 4. prodiit.

(b) Memoires de l'Acad. Roy. des Sciences A. 700. p. 50. & seqq.

SCHOLION III.

338. Ceterum ex hac ipsa Refractione doctrina consequitur, nos nunquam videre Solem orientem & occidentem, sed Solis sub Ho-ritonte latentis Phantasma quodpiam. Pa-tebit hoc clarus, ubi non minus Diameter Solis apparens quam Refractio Horizontalis accurate fuerit definita.

SCHOLION IV.

339. Ipsæ vero Observationes modo recen-sitæ loquuntur, Refractiones versus Polum esse majores, quam sub minore ejus elevatio-ne, ob diversam dubio procul Atmosphæræ densitatem & incidentiæ obliquitatem (§. 36. Dioptr.).

OBSERVATIO XV.

340. CEL. DE LA HIRE (c) ab anno 1681. summa sedulitate ac diligentia ad Meridianam Stellarum fixarum altitu-dinem observandam se incubuisse profite-tur, nullamque differentiam altitudinis animadvertisse præter eam, quæ ex pro-prio Fixarum motu oritur: non tamen negat, Refractiones circa Horizontem esse quibusdam inconstantiis obnoxias pro-varia aëris constitutione & natura soli circumpositi.

COROLLARIUM

341. In eodem adeo loco Refractiones Siderum ad sensum sunt constantes, Hor-i-zontalibus exceptis.

THEOREMA XVII.

342. Radii ex Stella altiore S in At-mospheram incidentis inclinatio SMN Tab. IV. minor est inclinatione IHT radii ex Stel-la humiliore T in eandem illapsi. Fig. 39.

Eee 2

DE-

(c) in Tab. Astronom. p. 1.

DEMONSTRATIO.

Tab. IV. Sint Radii incidentes OS & OT. Du-
 cantur per puncta Atmosphæræ M & Hex
 Centro Telluris C radii CM & CH,
 qui erunt ad arcum MH perpendiculari-
 res (§. 38 *Anal. infin.*). Sunt adeo
 NMS & IHT anguli inclinationum (§.
 12. *Dioptr.*). Producatur SO in R &
 ex Centro C demittatur perpendicularis CR. Supponatur etiam HO per-
 pendicularis ad CO (§. 308. *Geom.*).
 Erit adeo, ut Sinus totus ad CH, ita
 Sinus OHC ad OC; & ut Sinus totus
 ad CM sive CH (§. 40. *Geom.*), ita Si-
 nus RMC ad RC (§. 33. *Trig.*); conse-
 quenter Sinus OHC ad OC, ut Sinus
 RMC ad RC (§. 167. *Ariithm.*),
 hoc est, Sinus OHC ad Sinum RMC,
 ut OC ad RC (§. 173. *Ariithm.*).
 Quare cum sit $OC > RC$ (§. 220.
Geom.), erit etiam $OHC > OMC$ con-
 sequenter ob $OHC = IHT \& RMC = NMS$ (§. 156. *Geom.*) $IHT > NMS$ (§. 89. *Ariithm.*), seu angulus inclina-
 tionis in qualibet altitudine major Ho-
 rizontali. Ponamus jam porro Radium
 incidentem esse LO. Cum sit ut CM
 ad CO, ita Sinus ZOM ad Sinum OMC;
 & ut CL ad CO, ita Sinus ZOL ad Si-
 num OLC (§. 35. *Trigon.*); erit ob $CM = CL$ (§. 40. *Geom.*) Sinus ZOM ad
 Sinum OMC, ut Sinus ZOL ad Sinum
 OLC (§. 167. *Ariithm.*); consequenter
 Sinus inclinationum OMC & OLC
 erunt inter se ut Sinus distantiarum à
 Vertice ZOM & ZOL (§. 173. *Ariithm.*).
 Quando igitur distantia à Vertice ZOL
 $< ZOM$; etiam angulus inclinationis
 OLC $< OMC$. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

343. Cum Linea OH supponatur in
 Plano Horizontis sensibilis, patet inclina-
 tionem Radii Horizontalis esse omnium F
 maximam.

THEOREMA XVIII.

344. *Stella in Zenith Refractio nulla*
est, in Horizonie maxima; ab Horiz-
onie usque ad Zenith continuo de-
crescit.

DEMONSTRATIO.

Si Stella in Zenith constituta, ra-
 dius, qui ex eo in Atmosphærām inci-
 dit, continuatus per Centrum Telluris
 transit (§ 58). Est ergo ad Atmosphærā
 superficiem seu Planum refringens
 perpendicularis (§. 38. *Analys. infini.*);
 consequenter irrefractus transit (§. 25.
Dioptr.). *Quod erat primum.*

Porro ut Sinus anguli inclinationis
 THI ad Sinum refracti ipsi responden-
 tis, ita Sinus anguli inclinationis NMS
 ad Sinum refracti eidem convenientis
 (§. 26. *Dioptr.*), adeoque Sinus angu-
 lorum refractorum sunt inter se ut Si-
 nus angulorum inclinationis (§. 173.
Ariithm.). Sed Sinus anguli inclinatio-
 nis in Horizonte maximus (§. 343): er-
 go Sinus anguli refracti ibidem quo-
 que maximus, hoc est, Refractio in Ho-
 rizonte maxima. *Quod erat secun-*
dum.

Denique Sideris altioris angulus in-
 clinationis minor quam humilioris (§.
 342): ergo etiam angulus refractus Si-
 deris altioris minor est quam humilio-
 ris *per demonstrata*. Patet adeo ab Ho-
 rizonte usque ad Zenith continuo de-
 crescere

crescere Refractionem. *Quod erat tertium.*

THEOREMA XIX.

345. In eadem altitudine Sol & Stella omnes eandem patiuntur Refractionem.

DEMONSTRATIO.

Si Sidera eandem altitudinem habent, dem erit Radius incidentis, adeoque & dem angulus inclinationis (*§.12. Dioptr.*). Sunt vero Sinus angularum refractorum ut Sinus angularum inclinationis *§.26. Dioptr. & §.173. Ariibm.*), adeoque ob angulum inclinationis eundem dem quoque refractus. Ergo in eadem altitudine Sol & Stellæ per eundem Radium refractum iadant, seu eandem patiuntur Refractionem. *Q.e.d.*

SCHOLION.

346. Evidem TYCHO DE BRAHE (*a*), qui vimus Solis, Luna ac Fixarum Refraktiones ex Observationem erit, Refraktiones Fixarum minores facit Solaribus, Lunares subindeiores, subinde minores; sed ejus aeo Theoria Refractionum, quam SNELLIO debemus (*§.34. Dioptric.*), nondum erat explorata. Recentiores verou CASSINUS & PHILIPPUS & LA HIRE eandem Refractionem in omnibus agnoscunt, Experientia consentiente.

PROBLEMA LVI.

247. Refractionem Stellarum ad singulos gradus altitudinis definire.

RESOLUTIO.

Observetur Stellæ prope Zenith constitutæ altitudo meridiana, quantum

(*a*) Progymnasm, Lib. I. p. m. 79. 124. 280.

fieri potest, accuratissime (*§.109. 142.*).

2. Inde eruatur Declinatio ejus (*§.150.*), quæ erit accurata, quia Stella à Refraktionē sensibili libera (*§.344.*).
3. Ejusdem Stellæ observentur altitudines ad singulos gradus, & ope Horologii oscillatorii annotetur tempus, quo eadem observantur.
4. Ad data Observationum momenta, ope Declinationis extra Refraktionis aequaliter positæ, & per num. 1. repertæ computentur altitudines veræ: (*§.300.*): quæ cum
5. minores deprehendantur observatis, ab his auferantur; erunt residua Refraktiones singulis gradibus convenientes.

SCHOLION.

348. Evidem Refraktiones ea, quam exposuimus, Methodo omnium optime ex Observationibus elicuntur; patet tamen abunde, id fieri non posse nisi quandiu Refraktiones sunt sensibiles, ne errorem in observando vix evitabilem adæquant; consequenter si altitudo infra 50 gradus constitutur, Refractione in gradu quinquagesimo secundo non amplius scrupulum primum adæquante. Quodsi Atmosphera ejusdem esset densitatis, ut Refractio non contingeret nisi in ingressu, ac præterea nota ratio Sinus anguli inclinationis ad Refractum in Aëre, una cum ratione altitudinis Aëris refractivi ad Semidiæmetrum Terræ, ut angulus inclinationis definiri posset; facile per calculum conderetur Tabula Refractionum ad singulos gradus altitudinis (*§. Dioptr. 30.*). Enimvero cum constet Atmospharam nostram esse diversæ densitatis (*§.145. Aërom.*), atque adeo continua Refractione Radium Luminis fieri curvilineum, nec ratio

Altitudinis Aëris refractivi ad Semidiametrum Telluris explorata sit: ad Hypothesin configendum erat, quam non invitis Observationibus Hypothesi naturæ substituere liceret. Istiusmodi Hypothesin excogitavit CASSINUS usu Academie Regie Scientiarum comprobatum (a). Describit eam DAVID GREGORIUS (b) his verbis: „Atmosphæra 40 aut 50 milia in altum protensa supponatur, „divisa per 8 aut 10 superficies parallelas „in totidem media diversæ densitatis; ita „tamen ut quod binas proximas superficies „interjacet medium ejusdem sit densitatis, „quæ ad dictam superficiem mutetur infra- „tanter in rarius sursum densiusque deorsum: quod res revera non ita se habeat „(procul dubio enim Atmosphæræ densitas „descendendo per minima augetur), sed ad „Calculum ineundum. Osto decemvæ hæc „media ita attendenda, attemperentur ad „se invicem, ut in una, duabus aut pluri- „bus altitudinibus totales Refractiones ad „omnia ista media factæ exdām sint cum „Refractionibus, quæ per Observationes „exactissimæ altitudinibus istis respectivis „congruere deprehenduntur. In quo casu Refratio in assumta qualibet altitudine ad dicta media facta & per Dioptrices Leges calculo cognita, quam proxime est æqualis Refractioni ex Cœlo deponitæ; quæ eidem altitudini respondet.

OBSERVATIO XVI.

349. *Ex Observationibus accuratissimis PHILIPPUS DE LA HIRE (c) sequentem Siderum in singulis altitudinibus gradibus Refractiones deduxit.*

(a) Vid. ejus Historia de ortu & progressu atque incrementis Astronomiae, quæ legitur in Operi: Recueil d'Observations faites en plusieurs Voyages par ordre de sa Majesté Sc.

(b) In Element. Astronom. Phys. & Geometr. Lib. I. Schol. Prop. 66. fol. m. 201.

(c) In Tab. Astron. p. 6.

Alt.	Refract.	Alt.	Refract.	Alt.	Refract.
0 32'	0"	31	1' 51"	61	0' 40"
1 26	35	32	1 47	62	39
2 20	43	33	1 43	63	37
3 15	44	34	1 40	64	35
4 12	26	35	1 36	65	33
5 10	26	36	1 33	66	32
6 9	8	37	1 30	67	31
7 8	2	38	1 27	68	30
8 7	1	39	1 24	69	28
9 6	17	40	1 22	70	26
10 5	41	41	1 19	71	25
11 5	11	42	1 17	72	24
12 4	46	43	1 15	73	23
13 4	25	44	1 13	74	21
14 4	7	45	1 11	75	20
15 3	51	46	1 9	76	18
16 3	36	47	1 7	77	17
17 3	23	48	1 6	78	15
18 3	12	49	1 4	79	14
19 3	1	50	1 2	80	12
20 2	51	51	0	81	11
21 2	44	52	0 58	82	10
22 2	38	53	56	83	8
23 2	31	54	54	84	7
24 2	24	55	- 52	85	6
25 2	18	56	50	86	4
26 2	12	57	48	87	3
27 2	7	58	46	88	2
28 2	3	59	44	89	1
29 1	59	60	42	90	0
30 1	55				

SCHOLION I.

350 Equidem TYCHO DE BRAHE (d) Refractiones Solis in gradu 46, Lunares in gradu 45, Fixarum in 20, evanescere arbitratur: sed Celeb. CASSINUS primus reperit, quod ad ipsum Zenith usque extendantur. TYCHO nimirum Refractiones exhibuit justo minores, utut Horizontalis sit apud eundem justo major: facit enim Horizontalem in Sole 34', in Luna 33', in Fixis 30'; sed DE LA HIRE cum CASSINO in omni Sidere 32':

TYCHO-

(d) Progymnas. Lib. I. pag. 79. 124. 280.

TYCHONI in gradu 33 Solaris est 55'', CAS-
SINO vero 1' 43'' & in gradu 52 adhuc 58''.
Hoc discrimen ex Tabula precedente satis mani-
festum est.

S C H O L I O N I I .

351. R. P. LAVAL (a) observavit A. 1710.
d. 22. Jun. altitudinem Solis meridianam 70°
25' 50'' & d. 23 Jun. 36 à Solstitio horis elap-
sis eandem deprehendit 70° 26' 0'', adeoque
10'' majorem, quæ minor esse debebat. In si-
miles Observations cum jam antea inciderit,
suscipatur Refractionem variari pro diversita-
te ventorum ex diversis plagiis spirantium.
Enimvero ad tales minutias, quæ nondum
satis exploratae habentur, in præsenti nobis
attendere non licet: id nobis annotasse suffi-
ciat, dudum ab HUGENIO observatum esse (b).
Refractionem in singulas horas mutari, quam-
vis Experimenta sumta sint in exigua admo-
dum altitudine & in Objectis terrestribus.

T H E O R E M A X X .

352. Refractio Ascensionem rectam
& obliquam Sideris minuit, Descensiones
auget; Declinationem borealem auget,
Australem minuit.

D E M O N S T R A T I O .

Ascensio obliqua est Punctum Äqua-
toris cum Sidere oriens (§. 190). Sed
cum Stella vi Refractionis elevata in Ho-
rizonte comparat, sub eodem adhuc
latet (§. 343). adeoque Punctum Äqua-
toris cum quo revera oritur, adhuc sub
Horizonte absconditur: ergo Ascensio-
nem obliquam minuit Refractio. Quod
erat primum.

b Sit Stella supra Horizontem elevata
in S vel T; vi Refractionis videbitur in
ſ vel in t (§. 341). Ducantur ex Polo

P circuli Declinationum PD, Pd, PB,
Pb & qui erunt ad Äquatorem in D
& d, B & b perpendicularares (§. 76), de-
finientque Stellæ S Ascensionem rectam
veram in D, refractam in d, Stellæ au-
tem T veram in B, refractam in b (§.
190). Quare cum Punctum d sit Me-
ridiano vicinus quam D, & b vicinus
quam B; evidens est per Refractionem
Ascensionem rectam minui. Quod erat
secundum.

Non absimili modo ostenditur, si
HZR sumatur pro parte Cœli occiden-
tali, Descensiones per Refractionem au-
geri. Quod erat tertium.

Porro in Triangulis SGD & fGd ad
D & d rectangulis, per demonstrata est,
ut Sinus totus ad Sinum SG, ita Sinus
G ad Sinum SD; & ut Sinus totus ad
Sinum fG, ita Sinus G ad Sinum fd
(§. 136. Sphæric.): ergo etiam ut Sinus
SH ad Sinum fG, ita Sinus SD ad Si-
num fd (§. 196. Ariihm.). Quare cum
sit fG > SG; erit etiam fd > SD. Quod
erat quartum.

Eodem prorsus modo demonstratur,
esse tb < TB. Quod erat quintum.

T H E O R E M A X X I .

353. Refractio in parte Cœli orientali
Longitudinem Sideris minuit, in Occi-
entali auget; Latitudinem Australem
minuit, Borealem auget.

D E M O N S T R A T I O .

Si AQ ponatur Ecliptica & PD, Tab.
Pd, PB atque Pb sint Circuli Latitudi-
num: Demonstratio Theorematis præ- Fig. 40.
sentis prorsus coincidit cum Demon-
stratione præcedentis.

(a) Histoire de l'Academie Roy. des Sciences A. 1710.
P. m. 144. &c 145.

(b) Traité de la lumière C. 4. p. 42.

SCHOLION.

Tab. 354. Apparet adeo, in Astronomia non negligendam esse Refractionem, siquidem motum Phænomena accurate determinare volueris: atque hinc ulterius liquet, Astronomiam veterem, quæ Refractionem insuper habuit, fuisse vel ex hoc capite ubique imperfectam.

DEFINITIO LXIX.

355. Refractio altitudinis est arcus Circuli Verticalis $S\bar{S}$, quo altitudo Sideris SE ob Refractionem augetur.

DEFINITIO LXX.

356. Refractio Declinationis est arcus Circuli Declinationis $\bar{I}I$, quo Declinatio Sideris DS vi Refractionis vel augetur, vel minuitur.

DEFINITIO LXXI.

357. Refractio Ascensionis ac Descensionis est arcus Äquatoris Dd , quo Ascensio D & Descensio Sideris sive recta, sive obliqua vi Refractionis augetur, vel minuitur.

DEFINITIO LXXII.

Tab. 358. Refractio Longitudinis est arcus Eclipticæ Tt , quo Longitudo Sideris vi Refractionis vel augetur, vel minuitur.

DEFINITIO LXXIII.

359. Refractio Latitudinis est arcus Circuli Latitudinis $\bar{I}I$, quo Latitudo Sideris TS vi Refractionis vel augetur, vel minuitur.

PROBLEMA LVII.

Tab. 360. Data altitudine Sideris refracta \bar{E} , una cum tempore, quo observatur, & Refractione altitudinis $\bar{S}\bar{S}$; invenire Refractionem Declinationis $\bar{I}I$ & Ascensionis rectæ Dd .

RESOLUTIO.

I. Tempus usque ad meridiem vel mediam noctem residuum, aut à meridi-

die vel media nocte elapsum convertatur in gradus Äquatoris (§. 212), ut habeatur arcus Ad , consequenter angulus ad Polum APd (§. 79. *Astron.* & §. 31. *Sphær.*).

2. Quoniam in Triangulo $ZP\bar{S}$ dantur præter hunc angulum latera PZ & $Z\bar{S}$ elevationis Poli PR & altitudinis refractæ \bar{E} complementa (§. 62); invenietur angulus $Z\bar{P}$ (§. 165. *Sphær.*), cui verticalis $I\bar{S}$ æqualis (§. 43. *Sphær.*).
3. Ex S demittatur perpendicularis SI & in Triangulo $SI\bar{S}$ ad I rectangulo ex datis angulo $I\bar{S}$ modo invento & Hypotenusa $\bar{S}\bar{S}$, Refractione altitudinis, inveniatur latus $\bar{I}I$ (§. 127. *Sphær.*), Refractio Declinationis (§. 356), & latus IS (§. 116. *Spheric.*), quod Refractioni Ascensionis rectæ Dd ad sensum æquale, si Stellæ Declinatio exigua.
4. Quodsi vero Declinatio DS fuerit ingens, ex datis in Triangulo PSI ad I rectangulo lateribus IS & PI aggregato ex complemento Declinationis refractæ $P\bar{S}$, & Refractione Declinationis $\bar{I}I$, invenitur angulus ad Polum IPS (§. 127. *Spheric.*), cuius mensura Dd (§. 79. *Astron.* & §. 31. *Sphær.*) est Refractio Ascensionis rectæ (§. 357).

PROBLEMA LVIII.

361. Datis elevatione Äquatoris, Longitudine Solis ad datum Observationis tempus, angulo obliquitatis Eclipticæ, altitudine Refractæ \bar{E} , Longitudine refracta Sideris t & Refractione altitudinis $\bar{S}\bar{S}$; invenire Refractionem Latitudinis $\bar{I}I$ & Longitudinis Tt .

RESOLUTIO.

1. Ex datis elevatione Aequatoris, Longitudine Solis & angulo obliquitatis Eclipticæ investigetur nonagesimus Eclipticæ C (§. 218): Verticalis ZC per eum transiens transbit quoque per Polum Eclipticæ M (§. 221).
2. Ducantur ex Polo Eclipticæ M per locum Sideris verum & refractum / Circuli Latitudinum MT & Mr: evidens est Refractionem Latitudinis SI & Longitudinis T t inveniri ope Triangulorum SI / & MSI ad Rectangularium, prorsus ut in Problemate precedente (§. 360).

SCHOLION.

362. Ex duobus Problematis præcedentibus facile intelligitur, quomodo ex Ascensione recta, Declinatione, Longitudine & Latitudine vera datis, earundem Refraktiones inveniantur.

DEFINITIO LXXIV.

363. *Locus Physicus Sideris* est Punctum S, in quo Centrum ejus haeret.

DEFINITIO LXXV.

364. *Locus Opticus* est Punctum C vel B, in superficie Sphæræ Mundanæ ABC, quo Spectator ex E vel T Sideris centrum S refert.

DEFINITIO LXXVI.

365. *Locus Opticus verus* est Punctum superficie Sphæræ Mundanæ B, quo Spectator in Centro Terræ constitutus Centrum Sideris aut Phænomeni S refert.

DEFINITIO LXXVII.

366. *Locus Opticus apparetus seu Visus* est Punctum superficie Sphæræ Mundanæ.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

næ C, quo Spectator in superficie Terræ E constitutus Sideris Centrum S refert.

Tab: IV.
Fig. 42.

DEFINITIO LXXVIII.

367. *Parallaxis* est distantia duorum locorum Opticorum. Et in specie Parallaxis altitudinis est differentia inter locum verum & apparentem CB. Dicitur etiam Parallaxis simpliciter, & Commutatio à COPERNICO.

COROLLARIUM I.

367. Parallaxis adeo altitudinem Sideris minuit, distantiam à Vertice auget.

COROLLARIUM II.

369. Parallaxis altitudinis CB est differentia inter distantiam à Zenith A veram AB & visam AC.

DEFINITIO LXXIX.

370. *Angulus Parallacticus* est differentia angulorum CEA & BTA, sub quibus distantiae à Zenith vera & visa videntur. Vocatur & ipse subinde Parallaxis.

THEOREMA XXII.

371. *Angulus Parallacticus* est aquilis angulo TSE, quem recte ex Oculis Observatorum E & T in Centrum Sideris S ductæ intercipiunt.

DEMONSTRATIO.

Est enim SED angulus, sub quo videtur distantia visa CA, SID angulus, sub quo videtur vera BA. Sed SED = STD + TSE (§. 239. Geom.). Ergo TSE est differentia angulorum SED & STD (§. 63. Arithm.). Q. e. d.

THEOREMA XXIII.

372. Parallaxis Ascensionem rectam & obliquam auget, Descensionem minuit: Declinationem & Latitudinem

Fff. Boreas-

Borealem minuit, Australem auget;
Longitudinem in Orientali auget, in
Occidentali minuit.

DEMONSTRATIO.

Tab. Si f & t sint loca Sideris vera, S
IV. & T visa; Demonstratio prorsus eadem
Fig. 40. quæ Theorematis 20 (§. 352).

COROLLARIUM.

373. Parallaxis adeo Refractioni prorsus
contraria (§. 352. 353).

DEFINITIO LXXX.

Tab. 374. Parallaxis Declinationis est
IV. arcus Circuli Declinationis fI , quo Pa-
Fig. 40. rallaxis altitudinis auget vel minuit De-
clinationem Sideris.

DEFINITIO LXXXI.

375. Parallaxis Ascensionis & Def-
cationis est arcus Äquatoris Dd , quo
Parallaxis altitudinis auget Ascensionem.

DEFINITIO LXXXII.

376. Parallaxis Longitudinis est
arcus Ecliptice Tt , quo Parallaxis alti-
tudinis auget vel minuit Longitudinem.

DEFINITIO LXXXIII.

377. Parallaxis Latitudinis est ar-
cus Circuli Latitudinis fI , quo Paral-
laxis altitudinis auget vel minuit Lat-
itudinem.

THEOREMA XXIV.

378. Parallaxis in Zenith nulla, in
Horizonte maxima.

DEMONSTRATIO.

Eadem prorsus est, quæ Theorema-
tis 18. (§. 344), pro Angulis nempe
inclinationum substitutis Angulis pa-
rallacticis.

THEOREMA XXV.

Tab. 379. Sinus Angulorum parallacticor-
IV. rum ALT & AST, in eadem vel aqua-
Fig. 43. libus à Zenith distantiis SZ, sunt in

ratione reciproca distantiarum Siderum
à Centro Terra TL & TS.

DEMONSTRATIO.

Est enim, ut Sinus LST ad TL ita
Sinus TLA ad TS (§. 35. Trigon.). Er-
go Sinus angulorum TLA & ISA sunt
ut TS ad TL (§. 173. Arithm.). Q.e.d.

COROLLARIUM.

380. Cum LT \angle TS per hypoth. erit
etiam angulus AST \angle ALT, adeoque Pa-
rallaxis remotioris S minor est Parallaxi
vicinioris L, in eadem à Zenith distan-
tia: quod etiam aliunde patet (§. 188.
Geom.).

THEOREMA XXVI.

381. Sinus Angulorum parallacticor-
rum M & S Siderum à Centro Terra T
aequaliter distantium, sunt ut Sinus dif-
funtiarum visarum à Vertice ZM & ZS.

DEMONSTRATIO.

Est enim, ut Sinus ZAM ad TM
ita Sinus M ad AT & ut TS ad Sinum
ZAS ita AT ad Sinum S (§. 35. Tri-
gon.). Ergo ob TM = TS per hypoth.
Sinus M ad Sinum S ut Sinus ZAM
ad Sinum ZAS (§. 194. Arithm.). Q.e.d.

COROLLARIUM. I.

382. Decrescentibus adeo distantiis à
Vertice; hoc est, crescentibus altitudini-
bus, Parallaxis decrescit.

COROLLARIUM II.

383. Parallaxis ab Horizonte usque ad
Zenith altitudinem Sideris afficit.

THEOREMA XXVII.

384. Stellarē fixā carent Parallaxi
altitudinis sensibili.

DEMONSTRATIO.

Est enim Semidiameter Telluris AT
ad distantiam Fixæ TS, ut Sinus An-
guli parallacticī S ad Sinum distantiæ
à Vertice ZAS (§. 33. Trigon.). Sed

- Sed AT respectu TS evanescit (§. 146): ergo etiam Sinus S respectu Sinus ZAS;
- 3. consequenter Parallaxis altitudinis respectu distantiae à Vertice in Fixis evanescit (§. 370). Q. e. d.

COROLLARIUM.

385. Refractiones adeo ex Fixarum Observationibus erutæ (§. 348) sunt differentiae inter altitudines Siderum veras & refractas, neque adeo verendum, quod ob Parallaxin Fixarum sint justo majores.

THEOREMA XXVIII.

386. Parallaxis Horizontalis eadem, sive Sidus in Horizonte vero, sive in apparente fuerit constitutum, & ubivis locorum eadem.

DEMONSTRATIO.

Sidus in Horizonte vero TS constitutum non poterit videri in H, sed in loco altiori O, cuius Horizon apparens OS convenit Oculo non elevato in I. Cum igitur in Triangulis TIS & THR anguli I & H sint recti, (§. 308. Geom.) & TH=TI, atque TS=TR (§. 40. Geom.); erit HRT=TSI (§. 179. Geom.). Q. e. d.

PROBLEMA LIX.

387. Data distantia Sideris in Horizonte constituti à Centro Terra TR, seu ejus ad Semidiametrum Telluris TH ratione; invenire ejus Parallaxin.

DEMONSTRATIO.

Quoniam in Triangulo THR ad H rectangulo dantur latera TH & TR; reperietur Angulus parallacticus (40. Trigon.).

PROBLEMA LX.

388. Data ratione distantia Sideris à V. Centro Terra TM ad Semidiametrum Ter-
rae TA, una cum distantia vera à Ver-

tice ZTM; invenire Parallaxin altitudinis.

RESOLUTIO.

Quoniam in Triangulo ATM dantur duo latera TA & TM cum angulo intercepto T; reperietur Angulus parallacticus M (§. 40. Trigon.).

COROLLARIUM.

389. Quodsi detur distantia visa à Vertice ZAM, reperietur M (§. 38 Trigon.).

PROBLEMA LXI.

390. Invenire Parallaxin Declinationis, Ascensionis rectæ, Longitudinis & Latitudinis; data elevatione Poli & Parallaxi altitudinis, una cum Altitudine visa à Refraktione liberata & tempore, quo hæc fuit observata.

RESOLUTIO.

Non differt à resolutione Problematum 57 & 58 (§. 360. 361).

PROBLEMA LXII.

391. Datis nonagesimo Eclipticæ C, Tab. alitudine nonagesimi CO, alitudine IV. vera sE, Parallaxi altitudinis sS, Longitudine vera t & Latitudine vera ts; invenire Parallaxin Longitudinis Tt & Latitudinis Is.

RESOLUTIO.

1. Cum detur Longitudo vera t & nonagesimus C; datur quoque arcus Ct; consequenter angulus ad Polum Eclipticæ CM (§. 240. Astron. & §. 33. Sphær.);
2. Quia altitudo nonagesimi CO continuata ultra Zenith Z per Polum Eclipticæ M transit (§. 221). & MC = ZO (§. 62. 240), erit ZM = CO (§. 91. Arithm.);

Fff 2

3. Cum

Tab.
IV.

Fig. 43.

- Fig. 41.** Tab. 3. Cum adeo in Triangulo MZS, præter IV. MZ & M, detur ZS altitudinis veræ complementum (§. 62); reperietur ZSM (§. 158. *Sphær.*), cui IFS æqualis (§. 43. *Sphær.*). Unde
4. Reliqua inveniuntur ut supra *Probl.* 57. (§ 360).

SCHOOLION.

392. *Parallaxium doctrina maximi mo-*

menti est in Astronomia tum ad distantias Siderum aliorumque Phænomenorum inveniendas, tum ad Eclipses computandas: quemadmodum ex parte altera patebit, ubi suis locis plura ad Parallaxin spectantia tradentur, quæ facilius & jucundius intelliguntur, ubi ad casus speciales, quorum gratia excogitati fuere, modi inveniendi Parallaxin applicantur.

CAPUT VIII.

De Crepusculis.

DEFINITIO LXXXIV.

393. *Crepuscum est Lux crepera, qua Aér ante ortum & post occasum Solis resplendet. Matutinum vocatur illud, quod ortum Solis præcedit; Vespertinum, quod occasum ejus sequitur. Illud etiam Aurora; aut Crepusculum νερός οὐχίν dicitur.*

COROLLARIUM.

394. Crepusculi adeo matutini initium est, quando Aér prius splendescere incipit; Vespertini finis est, quando splendor ejus prorsus disparet.

THEOREMA XXIX.

395. *Crepuscula generantur à Radiis Solaribus in Atmosphæra nostra refractis & ab ejus particulis reflexis.*

DEMONSTRATIO.

Tab. IV. Sit Observator in O, Horizon sensibilis AB, Sol sub Horizonte vero HR Fig. 45. constitutus. Incidat Radius SE in Atmosphæram infra Horizontem: quoniam in Aëre refrangitur, tanquam medio crassiori (§. 334), & quidem

ad perpendiculum (§. 25. *Diptr.*), hoc est, ad Semidiametrum CE (§. 38 *Anal. infinit.*), non progredieatur in T, sed F Tellurem in D tangens incidet in A, Horizontem ortivum sensibilem. Neque enim alias Radius, quam AD, qui Tellurem tangit, ex refractis in E ad A pervenire potest, cum ceterorum propagationi Terra obest. Jam cum particulæ Atmosphæricaæ Radios Solares reflectant (§. 45. 51. *Optic.*), sitque ob CD = CO (§. 40. *Geom.*) & rectos ad D & O per demonstrata (§. 309. *Geom.*) angulus DAC ipsi CAO æqualis (235. *Geom.*); Radius in A reflexus perveniet in O (§. 144. *Catoptr.*). Quare cum ibi sit Observator, per hypoth. videbit partículam A in Horizonte sensibili splendescētem, adeoque Crepusculi matutini initium (§ 394). Eodem modo ostenditur per Radiorum Solarium in Atmosphæra factam Refractionem & Reflexionem contingere vespertini finem. Q. e. d.

SCHOLION.

396. Aliam adhuc Crepusculorum causam assignat KEPLERUS (a), materiam nempe lucidam circa Solem, quæ Auroram figura circulari versus Horizontem incurvata emitentem exhibet, Aëri illuminato non adscribenda, prout ibidem demonstrat. Atateria illa lucida cum sit Atmosphæra Solis, de ea agemus ex instituto, suo loco.

PROBLEMA LXIII.

397. Invenire profunditatem Solis sub initium Crepusculi matutini & finem vespertini.

RESOLUTIO.

Eodem prolsus modo reperitur, quo supra Acum visionis invenire docuimus (§. 286, observato nimirum momento, quo Aër primum splendescit in Crepusculo matutino; itemque momento, quo splendor omnis evanescit in vespertino. Quoniam vero hæc Observatio difficilis nec satis certa est; notetur momentum temporis, quo mane Stellaræ sextæ magnitudinis visui nostro sese subducunt, vel vespere primum in conspectum veniunt.

OBSERVATIO XVI.

398. Profunditatem Solis sub Horizonte ad initium Crepusculi matutini si- nemque vespertini observarunt ALHAZEN 19° , TYCHO 17° , ROTHMANNUS 24° , STEVINUS 18° , CASSINUS 15° ; RICCIOLUS in Äquinoctiis mane 16° , vespere $20^{\circ} 30'$; in Solsticio aestivo mane $21^{\circ} 25'$, in hiberno mane $17^{\circ} 25'$.

(a) Epit. Altron. Copernic. Lib. I. Part. 3. p. 73. 76.

SCHOLION.

399. Non mirum, quod Autores adeo inter se dissentiant. Est enim causa Crepusculorum inconstans: halitus quippe si fuerint in Atmosphæra vel copiosiores, vel altiores, Crepusculum matutinum citius incipit, vespertinum longius durat. Halitus nimirum copiosiores cum plures Radios reflectant, magis splendescunt; altiores vero citius à Sole illustrantur: quæ sane ratio est, cur Crepusculi matutini duratio sit vespertini brevior, cum obfrigus nocturnum mane densior sit & humilior Aër halitibus plenus; & cur aestate Crepuscula longiora quam hieme, cum hieme frigore magis condensatus humilior fiat. Accedit, quod in Aëre densiore major sit Refractio, & Atmosphæra Solaris splendor cum in se variabilis, tum Telluri alio tempore proximior quam alio.

COROLLARIUM

400. Quando itaque differentia GR in- Tab. I.
ter Declinationem Solis GQ & altitudi- Fig. 14.
nem seu profunditatem Äquatoris QR est minor 18° , sane 15° non excedit; Crepus-
culum per integrum noctem durat.

PROBLEMA LXIV.

401. Data elevatione Äquatoris; determinare tempus, quo Crepusculum per noctem integrum daret.

RESOLUTIO.

1. Ab elevatione Äquatoris subtrahantur 18° , relinquetur Declinatio Solis maxima, quæ esse potest, quando Crepusculum per noctem integrum durat (§. 400.).
2. In Tabulis Declinationum Solis evolvantur Punkta Eclipticæ, quorum ista est Declinatio.
3. Denique ex Ephemeridibus quærantur dies, quando Sol puncta ista ingreditur.

Ita nimurum constabit omne temporis intervallum, quo Crepusculum per noctem integrum durat.

E. gr. *Hæc* altitude Äquatoris $38^{\circ} 22'$: unde si auferantur 18° , relinquetur Declinatio Solis quæsita $20^{\circ} 22'$. Juxta Tabulas PHILIPPI DE LA HIRE Declinatio Solis est $20^{\circ} 22' 49''$ in 1°II & 29°O . Hoc anno Sol ingressus 1°II d. 21 Maii; erit in 29°O d. 21 Julii. A die itaque 21 Maii usque ad 21 Julii Crepusculum per integrum noctem durat.

PROBLEMA LXV.

Tab. 402. Data elevatione Poli PR & Declinatione Solis OS, invenire initium Fig. 32. Crepusculi matutini & finem vespertini.

RESOLUTIO.

1. Cum in Triangulo PSZ dentur singula latera, nempe PZ elevationis Poli PR, & PS Declinationis OS complementum, atque ZS aggregatum ex quadrante ZD & profunditate Solis DS per Observationem nota (§. 398); reperietur angulus ZPS (§. 168 *Spher.*); cuius mensura est arcus AO (§. 33. *Spher.*).

2. Convertatur AO in tempus Solare (§. 212.), ita prodibit tempus ab initio Crepusculi matutini usque ad meridiem vel tempus à meridie usque ad finem vespertini elapsum.

E. gr. *Hæc* elevatio Poli PR $51^{\circ} 38'$: quæritur initium Crepusculi matutini Sole in 4°W existente. Est itaque SO $10^{\circ} 3' 37''$ & DS 18° (§. 398); hinc ZS 108° & $\frac{1}{2}ZS 54^{\circ}$

PS	79°	$56'$	$23''$
PZ	38	22	0
PS + PZ	118	18	23
$\frac{1}{2}PS + \frac{1}{2}PZ$	59	9	$11\frac{1}{2}$
PS	79°	$56'$	$23''$
PZ	38	22	0
PS - PZ	41	34	23
$\frac{1}{2}PS - \frac{1}{2}PZ$	20	47	$11\frac{1}{2}$

Quoniam anguli Z & S sunt acuti, perpendicularum PI intra Triangulum PZS cadit (§. 82. *Spheric.*) & quia PS > PZ, etiam SI > IZ (§. 138. *Spher.* & §. 299. *Arithm.* Est itaque (§. 168. *Spher.*).

Log. Tang. $\frac{1}{2}ZS$	101387389
Tang. $\frac{1}{2}PS + \frac{1}{2}PZ$	102238603
Tang. $\frac{1}{2}PS - \frac{1}{2}PZ$	95793208
Summa	198031911

Tang. $\frac{1}{2}SI - \frac{1}{2}IZ$ 96644522 , cui in Tabulis quam proxime respondent

$24^{\circ} 47' 4''$	
Sed $\frac{1}{2}ZS$	54
Ergo IS	78
IZ	29
Porro Log. Sin. ZI	96885057
Sin. tot.	100000000
Summa	196885057
Sin. ZP	97918759
Sin.ZPI	98956298 ,

cui in Tabulis quam proxime respondent $57^{\circ} 50' 47''$.

Log. Sin. IS	99916257
Sin. tot.	100000000
Summa	199916257
Sin. PS	99932706
Sin.IPS	99983551 ,

cui in Tabulis respondent

$85^{\circ} 1' 0''$	
Jam IPZ	51
Ergo SPZ f. AO	136
AQ	179
OQ	43

Arcus

Arcus OQ in tempus conversus dat initium Crepusculi à media nocte numeratum. Nempe

30°	respond.	1 h.	59 ¹	40 ^{''}	12 ^{'''}
10		39	53	24	
3		11	58	1	
5 ¹		19	56	42 ^v	
3		11	58	1	
10 ^v		39	53	24 ^v	
3		11	58	1	
		2 h.	52	4	23
			23	34	25

Est adeo initium Crepusculi matutini, Sole in 4° my existente, Hale h. 2. $52^{\prime} 4^{\prime\prime}$, seu h. 2. 52^{\prime} .

Quodsi Triangulum SKN solvere libuerit, perpendiculo ex N. in KS demisso, per duas illationes invenitur angulus K seu arcus OQ

COROLLARIUM.

403. Si tempus ortus Solis quæratur (§. 214) ; initium Crepusculi ab eo subductum durationem ejusdem relinquit.

PROBLEMA LXVI.

404. Dato loco Solis in Ecliptica, una cum elevatione Poli; invenire initium Crepusculi matutini & finem vespertini ope Globi artificialis.

RESOLUTIO.

1. Globus ad Cœli situm componatur, qualem ipso meridie habet (§. 316).
2. Vertatur circa Axem, donec ope quadrantis altitudinis gradus Eclipticæ loco Solis oppositi altitudo in parte Cœli occidentali, si initium Crepusculi matutini desideretur; in parte autem Orientali, si finis vespertini queratur, 18° deprehendatur (§. 325).

Ita nimurum locus Solis intervallo Tab. 18° sub Horizonte erit depressus (§. IV. 331) adeoque Index horarius in casu Fig. 45, primo initium Crepusculi matutini, in altero finem vespertini indicabit (§. 398).

PROBLEMA LXVII.

405. Data profunditate Solis sub Horizonte in fine Crepusculi vespertini & initio matutini atque semidiametro Telluris DC vel LC; invenire altitudinem Aëris AL.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

1. Quoniam recta OA respectu distanciæ Solis à Terra evanescit, seu prænihil habenda, angulus IAE sumi potest pro profunditate Solis sub Horizonte (§. 73. Astron. & §. 145. Optic.) ; quippe qui ab angulo à recta IO & recta altera ex puncto O in Centrum Solis ducta intercepito non nisi angulo parvitatibus contenendæ differt (§. 239. Geom.), adeoque eidem æqualis existimari potest (§. 4. §. Analy. infin.). Quia vero Radius Solis AE refractus est per hypoth. à profunditate Solis data s' btrahatur Refractio Horizontalis (§. 349), ut habeatur vera quantitas anguli IAE.
2. Jam cum angulus IAE cum duobus angulis DAC & CAO efficiat duos rectos (§. 347. Geom.), & DAC atque CAO; cum angulis DCA & ACO; duos itidem rectos efficiant (§. 241. Geom.), erit ipse IAE duabus DCA & ACO æqualis (§. 91. Arithm.).

Tab. Arithm.), consequenter ob DCA
 IV. = ACO per superius demonstrata
 Fig. 45. (§. 395), DCA = $\frac{1}{2}$ IAE.

3. Datis itaque in \triangle ADC ad D rectangulo (§. 309. Geom.), angulo DCA & latere DC invenitur latus AC (§. 36. Trigon.).

4. Quodsi inde subtrahatur Semidiameter Telluris LC, relinquitur altitudo Aëris quæsita AL.

E. gr. Sit Semidiameter Telluris LC, qualis vulgo statuitur, 860 milliarium Germanicorum, & profunditas Solis in fine Crepusculi matutini & initio vespertini 18° (§. 398). Subtrahatur ab hac Refractio Horizontalis $32'$ (§. 349); residuus fiet angulus IAE $17^\circ 28'$, cuius dimidius DCA erit $8^\circ 44'$. Quamobrem

Log.	Cofin.	DCA	99949352
		DC	29344984
		Sin. tot.	100000000

AC ~~29395632~~,

cui in Tabulis quam proxime respondent 870.

Est igitur AC = 870 milliarium

Subtrahatur LC = 860

relinquitur AL = 10

Aëris adeo altitudo est 10 milliarium Germanicorum.

S C H O L I O N.

406. Facile intelligitur, per Problema præsens tantummodo reperiri altitudinem Aëris crassioris, qui ad Lumen Solis sufficienter reflectendum sufficit, ut Crepusculum oriatur. Et enim cum Aër continuo fiat rarior, quo altius ascenditur (§ 154. Aërom.); altitudo totius Atmosphærae multo major esse debet.

FINIS ASTRONOMIAE SPHÆRICÆ.

ELEMEN-



ELEMENTA ASTRONOMIÆ.

P A R S S E C U N D A.

ELEMENTA THEORICÆ.

C A P U T P R I M U M.

De Natura Solis ac Luna.

OBSERVATIO I.

407. *S*OLE oriente, tenebra ex Terra fugiunt & corpora eidem directe opposita Lumine ejus collustrata resplendent. Solem intuentes Oculi splendorem ejus ferre nesciunt. Nube inter ipsum & corpora terrestria interposita, splendor ab his amittitur & Sol interdum instar disci argentei, autumnali presertim ac hiberno tempore, per nubes transparet. Sole denique occidente, Lux omnis tandem evanescit.

COROLLARIUM I.

408. Sol adeo fons Luminis, quo interdui in Tellure fruimur.

COROLLARIUM II.

409. Quoniam Lumen magnum est, quod corpora circumiecta clare ac distincte videri efficit (§. 4. Optic.); Sol Telluri est Luminare magnum.

SCHOLION.

410. Patet adeo, cur MOSES Solem dicat Luminare magnum. Gen. I. 16.

OBSERVATIO II.

411. Extra omnem dubitationem po-

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

situm est, JOANNEM FABRICIUM, DAVIDIS Astronomi non inclebris filium, maculas Solis jam ab initio An. 1611. observasse & circa medium ejusdem in lucem publicam protulisse (a), antequam quicquam de hoc Phænomeno tunc temporis prorsus singulari atque inexpectato fuisset inauditum. CHRISTOPHORUS SCHEINERUS, Jesuita Ingolstadiensis, Telescopio in Solem converso An. 1611. mense Mayo maculas in eo observare cepit. Cum THEODORUS BUSÆUS tunc temporis Provincialis observationem placitis Aristotelicorum adversam suppressam judicaret, eam ad MARCUM WESLERUM, Senatorem Augustanum, prescripsit, qui novum Phænomenon sine Autoris nomine sub titulo Apellis post Tabulam evulgavit. Unde excitatus GALILÆUS easdem observavit & bodienum observant omnes, quos Siderum contemplatio juvat.

Ggg

Sunt

(a) Vid. ejus Narratio de Maculis in Sole obser-vatis & apparente earum cum Sole conversione Wittebergæ An. 1611. in 4.

Sunt autem macule istæ partes nigricantes, figuræ irregularis ac inconstantis, quæ disco Solis inhærente videntur. Ple-
Tab. V. Fig. 46. ræque partibus heterogeneis constant, quarum obscuriores ac densiores HEVELIO nuclei dicuntur, & veluti Atmosphera quadam, minus obscura & rariori cinguntur. Figura & magnitudo tam nucleorum, quam macularum integrarum variabilis. HEVELIUS (a) A. 1644. die 8. Maii maculam vedit valde exilium tenuemque, quæ die 10. Maii decuplo major apparuit, longeque obscurior ac densior, permagno nucleus prædicta: quales mutationes subitas alias HEVELIUS & SCHEINERUS (b) quoque observavit. Notavit & HEVELIUS (c), nucleus sensim deficere, antequam macula dispareat, & 1644. d. 31. Maii usque ad 1. Junii maculam quotidie attenuari observavit, donec tandem d. 3. Jan. in 4. disciperetur, die 5. rursus in unam coalescentes Durarunt autem aliae non nisi per diem unum, aliae per 2, 3, 10, 15, 20, 30, raro per 40 dies. KIRCHIUS Lipsiæ (d) A. 1684. à d. 26. April. usque ad d. 17 Julii eandem in Sole maculam conspexit, qua alia diurnior haec tenus nunquam visa, quam etiam Parisiis observavit CASSINUS: carrent enim omni sensibili Parallaxi, ita ut à Spectatoribus longissimo terrarum intervallo à se invicem remoisis in idem disci Solaris punctum referantur. Sane maculas, quas R. P. JARTOUX Pekino in China A. 1701. à d. 1 Novem-

(a) Cometogr. Lib. VH. f. 424. & Selenograph. Append. f. 519.

(b) in Rosi Ursina.

(c) Cometogr. loc. cit. f. 409.

(d) in Appendix Ephemerid. A. 1685.

bris usque ad diem 12 observavit (e); Montepessulano à d. 31 Octobris usque ad 11 Novembris quoque videt CASSINUS junior (f). Moventur autem maculae per discum Solarem, motu prope limbos tardiori, quam prope centrum. Macula à KIRCHIO observata per 12. dies in disco Solis fuit conspicua, per 15 vero post eum latuit. Ad limbum nimirum Solis, unde digreduntur, rursus restituuntur interdum 27, interdum fere 28 diebus. Denique notau in primis digna sunt, quod maculae circa limbum contrahantur, in medio disci ampliores apparent, immo sapius ibi in unam coalusse videantur, quæ hic disaggregatae spectabantur; quod plures in medio disci orientur, plures etiam ibidem dispareant; quod denique nulla earum à semita deviatio prope Horizontem observetur, cum tamen HEVELIUS (g) Mercurium in Sole observans, prope Horizontem humiliorem prehenderit, nempe 27° infra semitam pristinam detrusum.

COROLLARIUM I.

412. Cum depresso Mercurii infra semiram sit à Parallaxi (§. 372), maculae Parallaxin à Sole nullam habentes (§. 411) eidem propiores existunt, quam Mercurius (§. 380), Planeta Soli proximus (§. 35. 36).

COROLLARIUM II.

413. Quoniam per plures dies cum Sole oriuntur & occidunt, nec discum ejus deserunt, nisi quando in limbo disparent, tribus tamen circiter diebus diutius post Solem latent,

(e) Vid. Acta Erudit. A. 1705. p. 483.

(f) Memoires de l'Acad. Roy. des Scienc. A. 1701. p. m. 345.

(g) Vid. Mercurius in Sole visus f. 106.

latent, quam Hemisphærium nobis conspicuum peragrantes consumunt (§. 411); Soli quidem proximæ sunt, non ipsi tamen superficie Solari inhærent, sed aliquam ab ea distantiam habent.

SCHOLION I.

414. *Hoc argumento jam intulit primus observator FABRICIUS (a) cum altera die maculam adhuc in disco Solis orientis spectaret, eam esse in Sole: et si mora macularum post Solem latentium nondum cognita, agnoscere non potuerit, ipsis aliquam à superficie Solis distantiam tribuendam esse.*

SCHOLION II.

415. *Non licet excipere, quod, cum minorem Hemisphærii Solaris partem contueamur (§. 247. Optic.; ex mora macularum diuturniore in parte Solis aversa earum à Sole distantia inferri nequeat. Etenim ubi Solis à Terra distantia fuerit cognita una cum ejus Diametro; demonstrativa ratione contrarium ostendere licebit.*

COROLLARIUM III.

416. *Quia in medio disci Solis & oriuntur & evanescunt, subitasque mutationes tum ratione magnitudinis, tum ratione figuræ, tum ratione densitatis, subeunt (§. 411); eas de novo circa Solem nasci & iterum dissolvi manifestum est.*

COROLLARIUM IV.

417. *Coalescunt itaque ex Solis exhalationibus (§. 413.) nubes nimirum Solares.*

SCHOLION III.

418. *Hinc communia cum nubibus habebunt Phænomena, quas itidem congeriem exhalationum esse constat.*

COROLLARIUM V.

419. *Cum adeo exhalationes, quæ ex Sole prodeunt, supra eum eleventur & in data quadam altitudine subsstant; Solem ambiat fluidum aliquod necesse est, quod exhalationes ad ascensum urget (§. 99. Hydrost.), inferius quidem densius, supe-*

rius autem rarius (§. 33. Hydrost.), qualis est Aër noster (§. 154. Aerom.).

SCHOLION IV.

420. *Conveniunt hæc cum iis, quæ KEPLERUS ex Aurora figura deduxit (§. 385): sed de Atmosphera Solari postea plura.*

COROLLARIUM VII.

421. *Quia maculæ in medio disco Solis dissolutæ disparent (§. 411); materia macularum, hoc est, exhalationes Solares in Solem rursus recidant necesse est: unde manifestum est, varias in Atmosphera Solari, consequenter & in ipso Sole, contingere mutationes.*

COROLLARIUM VIII.

422. *Cum revolutio macularum circa Solem sit admodum regularis (§. 411) & maculæ ipsæ Soli valde vicinæ (§. 413); non tam maculæ circa Solem, quam Sol ipse una cum Atmosphera, in qua maculæ hærent, intervallo 27 circiter dierum circa proprium Axem motu vertiginis movetur.*

SCHOLION V.

423. *Inde motum vertiginis Solis jam agnoscit primus Observator FABRICIUS, tanto prouinior ad eum inferendum, quod nosset, eundem priori affectus JORDANUM BRUNUM & KEPLERUM (b).*

SCHOLION VI.

424. *Inde est, quod prope limbum obliquius spectatae coarctentur & oblongæ fiant (§. 251. Optic.).*

COROLLARIUM VIII.

425. *Quoniam Sol in omni situ instar disci circularis apparet, eminus spectatus; figura ejus ad sensum Sphærica esse debet (§. 13. Spheric. & §. 277. Optic.)*

SCHOLION VII.

426. *Quod autem revera Sphæroidica sit, inferius ostendetur.*

PROBLEMA I.

227. *Observare maculas Solares.*

G g g 2 RESO-

(b) Loc. cit. fol. D. 2. b.

(a) Loc. cit. fol. C. 3. b. & seqq.

RESOLUTIO.

Utendum est duobus Vitrīs planis & coloratis charta candida acu perforata interjecta, vel Helioscopio (§. 467. Dioptr.).

Quodsi autem ipsas maculas in propriis locis disci Solaris accurate depingere sique earum situm, motum, & magnitudinem exacte determinare libuerit.

Tab. V. I. Per Tubum Astronomicum AB (§. Fig. 47. 358. Dioptr.), Sphæræ ligneæ A intra foramen fenestrellæ ligneæ CD mobili inditum, ut Tubus ope baculi annulo ligneo AE Sphæræ agglutinato affixi FG libere huc illucque moveri possit, species Solis in cubiculum obscuratum intromittatur.

2. Baculo FG ad angulos rectos aptetur Tabula lignea GH. Charta candida superinducenda & ultiro citroque mobilis, ut Tubo proprius ad moveri iterumque ab eodem removeri possit, donec Solis species exacte impleat Circulum in Charta descriptum.

3. Ope Perpendiculi KL determinetur Punctum Verticale M & plumbagine delineetur macula, quæ in disco Solis in Tabella excepto comparet, noteturque tempus, quo delineatur, ope Horologii oscillatorii ad motum Solis (§. 125.) directi.

SCHOLION

428. In hunc modum observandi maculas Solares primum incidit FABRICIUS, cum splendor Solis ne aciei visus officeret sibi metueret, Helioscopiis tunc temporis nondum cognitis (a). Eundem quoque adhibuit

(a) Loc. cit. f. C. 4. b.

SCHÉINERUS (b) & prolixius ex eodem describitur ab HEVELIO (c).

OBSERVATIO III.

429. Commemorant quoque multi faculas seu partes reliquo disco Solis lucidiores à se observatas, maculis plerumque maiores & tam lumine, quam mole, figura & duratione differentes. Sane HEVELIUS (d) d. 20. Jul. 1634. faculam se observasse ait, quæ tertiam Diametri partem occupaverit. Per ejusdem HEVELII Observationes (e) maculae sapissime in faculas, raro autem facula in maculas abeunt. HUGENIUS tamen (f) fateatur, se nunquam faculas videre potuisse, et si maculas sapient spectaverit, & non nisi in nubeculis subfuscis, quæ maculas plerumque circumdant, aliquando solæ feruntur, puncta quadam clariora interdum notari. Idem etiam exiguum illam in disci circumferentia inaequitatatem, quæ interdum per Telescopia cernitur, vaporum prope Terram nostram tremula agitationi, non (quod vulgo fieri assolet) undarum fluctibus flammorumque eructationibus adscribit. Et sane ipse ego italem fluctuationem in limbo Solis d. 14 Sept. A. 1708. per Telescopium 8 pedum deprehendi, cum ex nubibus circa Horizontem orivum constitutis emergeret, quæ in eleviori situ mox cessabat.

SCHOLION

(b) In Rosina Ursina, Lib. III. f. 151.

(c) In Prolegom. Selenogr. f. 98. & seqq.

(d) Loc. cit f. 87.

(e) In Appendice Selenogr. f. 505. usque ad 509.

(f) In Cosmoteoro Lib II. p. m. 107.

SCHOLION.

430. Quemadmodum adeo fictam judico
Imaginem Solis, quam ex KIRCHERI &
SCHEINERI Observationibus passim depingunt
Autores, cum ego similem nunquam vide-
rim, nec HUGENIUS exquisitissimis suis Te-
lescopiiis talem deprehenderit, & FABRICIUS,
qui primus Solem per Telescopia contempla-
tus, Observatiōnibus suis diffīlus imperfēctio-
ni Telescopii tribuit, nihil definiturus de inae-
qualitate & asperitate circa margines Solis,
donec alii eundem accuratioribus Telescopiiis
observaverint (a); ita facularum Phēno-
mena non materiae cuidam accensæ (obstat
enim diuturna earum duratio & in maculas
mutatio), sed Refractioni Radiorum Solarium
in exhalationibus rarioribus tribuo, qui
densati in vicinia umbrosa lucem Solari ma-
jorem exhibere videntur. Sunt adeo faculae
macularum quoddam accidens.

THEOREMA I.

431. *Solis substantia ignea est.*

Sol enim lucet (§. 406) & Radii
ejus per Specula concava & Lentes
causticas collecti incendunt, urunt,
comburunt, liquefaciunt, corpora so-
lidissima exiguo temporis spatio vel in
calcem, vel in vitrum convertunt (§.
221. *Catoptr.* & §. 199. *Dioptr.*). Quare cum vis Radiorum Solarium propter
divergentiam decrescat in ratione du-
plicata distantiarum reciproce sumtarum
(§. 87. *Optic.*); evidens est, eundem
ipsorum fore effectum, qui densiorum
per Specula & Lentes causticas depre-
henditur, si adeo prope ad Solem accede-
remus, ubi eadem eorum densitas depre-
henditur. Radii adeo Solares in vicinia
Solis eosdem effectus producunt, qui ab
igne vehementissimo expectari possunt;
consequenter Sol substantia ignea existit.

(a) Loc. cit. f. C 2. b.

COROLLARIUM I.

432. Ejus adeo superficies undiquaque
fluida.

SCHOLION.

433. An Sol integer fluidus sit, que-
madmodum visum est nonnullis, an vero potius
solidus quemadmodum aliis placet, non
definio. Sed cum non aliae sint notæ, per
quas ignem ab aliis corporibus distinguimus,
nisi lux, calor & vis incendi, urendi,
comburendi, liquefaciendi, calcinandi, vitrifi-
candi; sane ego non video, quid obstare
possit, quo minus concludam, Solem esse cor-
pus igni nostro simile adeoque flamma cir-
cum circa vestiri. Ne tamen quis voce De-
monstrationis offendatur, qui minus rede
supponi sibi persuadet, eorundem effectum
eisdem esse in universo causas; ideo eandem
omisimus: quod etiam in posterum faciemus,
partim cum probabilia proposituri sumus,
partim cum instituti ratio non permettit,
ut ad veram Demonstrationis formam proba-
tio redigatur, utut, si verum fateri veli-
mus, forma perfectæ Demonstrationis alibi
à nobis delineata (b) in ipsis Mathematicorum
Demonstrationibus non adeo rigorose semper
obseretur, ne scilicet prolixitate Lectori ra-
tiocinandi vi jam pollenti, nausea moveatur.

COROLLARIUM II.

434. Cum maculae ex Solis exhalatio-
nibus concrecant (§. 417); Solem non
esse ignem purum apparet, sed flammæ
ejus particulas heterogeneas admixtas
esse constat.

THEOREMA II.

435. *Figura Solis est Sphaeroides;*
circa Polos depresso, quam sub Äqua-
tore.

DEMONSTRATIO.

Sol motu vertiginis movetur (§. 422),
adeoque materia Solaris à Centris Circu-
lorum, in quibus movetur, recedere
conatur (§. 617. *Mech.*), tanto quidem

Ggg 3 majori

(b) Logicæ §. 551. & seqq.

majori vi, quo Circulorum Periphæriæ majores existunt (§. 623. *Mechan.*). Sed Æquator est Circulus maximus (§. 48), reliqui versus Polos continuo decrescent (§. 41. *Spher.*). Materia ergo Solaris, etsi primitus in Sphærām coacta, magis à Centro Æquatoris, quam à Centris parallelorum recedere conatur; consequenter cum Gravitas, qua retinetur in spatio suo, per totum Solem uniformis supponatur, sub Æquatore utique à Centro ejus magis recedit, quam sub Circulis parallelis, & hinc Solis Diameter per Æquatorem ducta major est, quam quæ per Polos transit, hoc est, Solis figura perfecte Sphærica non est, sed Sphæroidica.

OBSERVATIO IV.

436. CASSINUS verno tempore A. 1683. primus observavit Lumen quoddam in Zodiaco (a) & Observationes usque ad A. 1688. deinde continuavit (b). Idem deinceps A. 1684. usque ad A. 1686. Genevæ FATIO DE DULLIER & A. 1688. usque ad A. 1694. observarunt in Germania K RCHIUS & EIMARTUS (c), novissime vero Cel. DE MAIRAN (d). Diffunditur utrinque à Sole ad diversam diverso tempore distantiam, que tamen nunquam minor quam 50 aut 60 graduum, nunquam major quam 100 aut 103 graduum deprehensa. Figura utrinque in cuspidem desinit & latitudo prope Horizontem nunquam minor depre-

(a) Vid. Acti Eruditorum A. 1683. p. 274. & seqq.

(b) Vid. Tractatus, cui titulus: *Découverte de la lumière céleste, qui paroit dans le Zodiaque.*

(c) Vid. Miscellanea Naturæ Curiosorum Dec. III. A. 1. p. 285. & seq.

(d) Vid. *Traité Physique & Historique de l'Aurore Boreale*, Sect. 1. p. 11.

bensa quam 8 vel 9 graduum, nunquam major quam 20 graduum observata, maxima tamen latitudine non semper maximæ longitudini conveniente. In Sole ejus basis est, crura sunt ad sensum recta & angulum in mediocri quantitate 21° circiter comprehendunt: ubi tamen Phænomenon latissimum est, proprie intensitatem Luminis Solaris in conspectum nostrum minime prodit. Lumen hoc in medio maximum est, versus latera vero utrinque sensim sensimque decrescit. Claritas ejus ad claritatem Viæ Lætæ accedit, color lumini, qui in caudis Cometarum conspicitur, similis. Stelle perinde ac per Cometarum caudas transparent. Mane debilius constanter apparet hoc Lumen, quam vespere. Ab Ecliptica ordinarie magis versus Septentrionem, quam versus Austrum declinavit in parte Cœli Boreali visum. Movetur autem una cum Sole circa Terram ab Ortu in Ocasum & latitudine differt ab omnibus Cometarum caudis, qui huc usque observari sunt. Movetur quoque cum eodem ab Occidente in Oriente secundum Signorum successionem.

COROLLARIUM I.

437. Quoniam hoc Lumen instar Siderum motu communi gaudet; ejus sedes in Aura Ætherea est, extra Atmosphærā nostram.

COROLLARIUM II.

438. Et cum non modo motu communi, sed etiam motu proprio cum Sole movetur; in eadem Cœli regione locum tenere debet, ubi Sol hæret, & ab ipso utrinque diffundatur necesse est.

COROLLARIUM III.

439. Quoniam Lumen à Sole per Ætherem diffusum non videtur, quemadmodum ex-

ex postea demonstrandis independenter ab his patebit; necesse est ut ibidem, ubi videtur hoc Lumen, sit materia ad Lumen Solis in Terram reflectendum apta.

OBSERVATIO V.

440. R. P. FRANCISCUS NOEL (*a*) secundum Solis crepusculum desirabit, quod incipit, quando Sol est depresso infra Horizontem plus quam 30°. immo quandoque pene 40 gradibus & amplius: & ab ipso primum A. 1684. circa Linneam Äquinoctialem, postea eodem & sequente anno in Collegio Societatis Rachol Latitudinis Borealis 15° 10' prope Goam & sequentibus annis Macau & in China observatum fuit. Per medium Viae lacteæ seu grandis caudæ Cœmæ affurgit, circa Horizontem quidem latioris, sed ab Horizonte usque sursum semper in latitudine, immo & in lumine decrescentis & quasi denique in cuspide grandem definiens. Incipi mane ante ortum Solis & vespere definit post occasum quatuor horis juxta paulo diversam locorum Latitudinem, nocte illuni, innubi & nitida uti multiis admodum in locis sapientius expertus est. Semper se diffundit per viam Eclippie & ideo juxta varium Sphaera mundi situm modo ad 40. modo ad 60, 70 &c. gradus supra Horizontem affurgit, mane sensim crescente altitudine, vespere sensim decrecente. Mane & vespere per totum annum semper conspicitur: aestate tamen in regionibus Borealis extra Zonam Torridam sitis, uti in China animadverit, vespere non iam clare ac distincte apparet, quam mane, & aestate quasi aebi-

lius, immo non tam longe se extendit, quam sub æquinoctiale & hibernum tempus.

COROLLARIUM I.

441. Cum ex descriptione Crepusculi hujus secundi appareat, ipsum idem esse cum Lumine Zodiaco CASSINIANO (*§. 436*), Crepusculo, vero hoc in Zona Torrida & locis vicinis per totum annum observetur (*§. 440*); Lumen Zodiaco Phænomenon ordinarium est, eandem dubio procul cum Sole ferens atatem.

SCHOLION I.

442. CASSINUS referente GREGORIO (*b*), existimat, Lumen Zodiaco breve ante primum ejus observationem à se factam fuisse ortum, atque illud duabus ante annis non extitisse, cum in loco, quem tum cibinere debuit, Cœlo intentus Cometam Oculis frequenter insueretur. Illud vero antea extitisse & postea evanuisse ex Historiis antiquis verisimile dicitur. Sed FATO idem Mundus coæcum suspicatus est. Apparet itaque conjecturam hujus à veritate non recedere.

COROLLARIUM II.

443. Quenam Crepusculi secundi seu Luminis Zodiaca lis cuspis quotidie per totum annum in star alicujus Sideris oritur & occidit, Solem præcedens & sequens, ita ut Sole ad Horizontem ortivum approximante ipsa ad Verticem magis approximinet & illo ab Horizonte occiduo recessente ipsa à Vertice magis recedat (*§. 440*); multo jam clarus intelligitur Lumen hoc, quotidie cum Sole oriens atque occidens, ad ipsum Solem pertinere.

COROLLARIUM III.

444. Quam obrem quia hoc Lumen apparere nequit, nisi supponatur circa Solem materia quædam fluida ad lumen ejus reflectendum, vel etiam inflammari apta (*§. 439*); Solem ambiat necesse est fluidum aliquod ab Ætherea Aura diversum.

S C U O-

(a) In Observat. Mathem. & Phys. in India & China factis C. 9. §. 2. p. 119. & seqq.

(b) Astron. Phys. & Geometr. Lib. II. Schol. Prop. 8. f. 129.

SCHOLION II.

445. CASSINUS, referente GREGORIO (a), particulas Solis lumen reflectentes pro innumeris Planetis habet, qui motus suos circa Solem exercent, quemadmodum Via Lactea ab innumeris Fixis ortum dicit. Sed conjectura hæc nimis levi nititur argumento, nec autopsia Telescopica probatur, quemadmodum causa luminis in Via Lactea.

THEOREMA III.

446. Solem ambit Atmosphæra admodum alterabilis.

Etenim Solem ambit aliquod fluidum Aura Ætherea crassius, quod Radios ejus, quibus illuminatur, ad Terram reflectit (§. 444), quemadmodum ab Ætere nostro fieri solet in Crepusculis (§. 395.). Quamobrem cum fluidum Aura Ætherea crassius, quod Lumen Solis reflectere aptum corpori Mundi totali circumfusum dicatur Atmosphæra; Solem quin Atmosphæra quedam ambiat, dubitari nequit.

Constat vero Atmosphæræ Solis altitudinem insigniter variari (§. 443), cumque Lumen omni tempore non eadem quantitatè reflectat (§. 440), densitatem ejus valde immutari. Atmosphæra igitur Solaris admodum alterabilis est.

SCHOLION.

447. Figuram Atmosphæræ Solaris Lentillicarem esse jam collegit FATIO & Cel. DE MAIRAN probat (b) ex apparente ejus figura.

OBSERVATIO VI.

448. Interdum Lumen in aliqua disci Solaris parte, raro in integro successive

(a) Loc. cit.

(b) In Tract. de Aurora Boræali Sect. I. Cap. IV. p. 21.

deficit, Cælo quam maxime sereno, tempore quidem Novilunii, quando Sol atque Luna in eadem Sphære mundana parte nobis hæc videtur. Tale autem Phænomenon spectatur, quale apparitum erat, si discus quidam niger ab Occasu versus Ortum juxta discum Solis promoveretur. In primis autem notatu dignum, quod pars disci deficiens non ejusdem magnitudinis appareat ubique locorum. E. gr. d. 22. Maii A. 1706. Lipsiæ vix $\frac{1}{3}$, Jenæ $\frac{1}{6}$, Berolini $\frac{1}{8}$, Argentorati $\frac{1}{3}$, Bononiæ $\frac{2}{3}$ Romæ $\frac{2}{3}$, Madriti $\frac{1}{2}$ digitæ seu duodecimæ Diametri partis luciae extabat. Uratilla viæ, Dresdæ, Norimbergæ, Tiguri, Genevæ, Montepessulano, Massiliæ Sol totus deficiebat (c). Nec minus notatu dignum, quod Populi Occidentaliores citius videant Solem deficientem deliquisse rursus finem, quam Orientaliores. E. gr. Parisiis A. 1706 Sol ultra 44 minuta horaria citius lumen amittebat, quam Berolini; Madriti vero ultra 23 minuta citius quam Parisiis, citiusque Parisiis quam Berolini & Madriti citius quam Parisiis lumen recuperabant (d).

COROLLARIUM I.

449. Quoniam adeo Sol non in omnibus Terræ locis eodem momento & eadem disci quantitate deficit (§. 448); fieri sane nequit, ut Sol revera lumine suo privetur. Oritur adeo Phænomenon ex diametrali interpositione corporis cuiusdam opaci ab Occasu versus Ortum progredientis inter Solem & Oculum nostrum, quod Radio-

(c) Vid. Acta Erudit. Ann. 1706. p. 335. 37^o. Mémoires de l'Academie Roy. des Scienc. An. 1706. p. 599.

(d) Mémoires de l'Acad. Roy. loc. cit.

Radiorum transitum prohibet (§. 333. *Optic.*), & disco Solis inhärere videtur, et si longo intervallo ab eo remotum (§. 308. *Optic.*).

COROLLARIUM II.

450. Quoniam corpus inter Solem & Tellurem interpositum instar disci Circularis apparet, rotundum sit necesse est, sive disciforme fuerit, sive Sphæricum (§. 277. *Optic.*) aut Sphæroidicum.

COROLLARIUM III.

451. Cum Luna ab Occasu versus Orientem motu proprio feratur (§. 24), illoque tempore à Terricolis ad eandem Sphæræ Mundanæ partem referatur (§. 448.), præterea instar disci Circularis appareat, quando plena facie splendet; quin Luna sit corpus illud opacum Radios Solares interceptans dubitandum non est.

COROLLARIUM IV.

452. Luna igitur Telluri propior, quam Sol.

COROLLARIUM V.

453. Quoniam Luna Radios Solis non transmittit & in parte à Sole adversa splendore omni destituitur (§. 448.); corpus opacum est & minime pellucidum (§. 11. 12. *Optic.*).

OBSERVATIO VII.

454. Cum A. 1706. multis in locis Solis integer discus, in aliis maxima ejus pars deficeret, Stellæ in conspectum prodibant. E. gr. Lipsiæ vidimus ♀ & ♁, Jenæ Cl. HAMBERGERUS Capellam, & Vratislaviæ R. P. HEINRICH multas Stellas vidi. Non uno in loco tenebra adeo invaluerunt, ut nisi candela accen-

sa in conclavi scripturam legere non licuerit. Cl. SCHEUCHZERUS autor est, ad 4 passuum distantiam homines agnoscendi non potuisse. Ea autem in Terris conspiciebatur rerum facies, qualem Sole occidente contuemur. Aves loca repetebant, in quibus pernoctari solent; luscinia suaviter canebat; vespertilioes provolabant: flores in Hortis contrahabant folia: circa Horizontem apparebat Cœli rubedo: in campis ros decidebat & versus Occidentem nebula conspiciebatur, cuius nullum versus Orientem vestigium deprehensum. Observatu omnium maxime dignum erat Annulus circa Lunam lucidus, limbo Lunæ parallelus, quem cum maximo studio contemplarer, à parte Solis lucida optime distinguebam: neque enim solum splendor Solis splendorem Annuli colorem argenteum referentis multum superabat, verum etiam particula Solis lucida non eadem cum Annulo Peripheria terminabatur. Erat Annulus obversa Lunæ parte densior, aversa rarer, exacta tamen Peripheria terminatus. Margo Lunæ instar nubecule pallebat, nigredine medium disci occupante. Eundem Annulum plures alii in locis observarunt (a) in primis vero Astronomi Academiæ Regiae Scientiarum Montepessulano (quorum solertiam in eodem obseruando laudat FONTENELLIUS) eodem prorsus modo eundem describunt, quo ego ex mea Observatione eum representaveram in Actis Eruditorum (b), antequam istorum

H h h

Obser-

(a) Vid. Histoire de l'Acad. Royale des Science. A. 1706. p. m. 148.

(b) A. 1706. p. 385.

Observatio prodiret : Denique generosus Dn. de TSCHIRNHAUSEN Diesdæ per Tubum 16 pedum paulo ante initium Eclipseos in limbo Solis, ad quem Luna appellebat, tremorem observavit, qualem etiam in ultimo digito advertit, cum jamjam obscuraretur. KEPLERUS (a) refert, similem Annulum A. 1605. mense Octobri Antverpiæ & Neapoli fuisse observatum, cum Sol prorsus deficeret : SCHEINERUS vero perhibet (b), A. 1628. d. 25. Decembris Barcinoni in Eclipsi Solari circa Lunæ limbum tremorem fuisse observatum, qualis ab HEVELIO quoque in nonnullis Eclipsebus deprehensus (c). Cum A. 1715. d. 3. Maii Eclipse Solis in Anglia esset totalis, Annulus quoque circa Lunam Londini observatus : immo in totali obscuratione fulgurationes momentaneæ in medio disci Lunæ visa ab HALLEIO & DN. DE LOUVILLE, qui Eclipseos observanda gratia ex Gallia in Angliam se contulerat (d).

OBSERVATIO VIII.

455. Quando Luna Solem occidentem mox sequitur, exigua ejus pars splendet : quo longius vero à Sole recedit, eo majorem partem Lumen occupat, ita ut 180 graduum intervallo à Sole distans, plena facie fulgeat. Quamprimum vero ulterius progressa ad Solem rursus accedit, Lumen sensim sensimque deficit, donec Soli vicina omni destituatur. Quamdiu Luna crescit, pars lucida Occiden-

(a) In Libello de nova Stella Serpentarii C. 23. p. 115.

(b) In Rosa Ursina Lib. IV. Part. 2. C. 27. f. 740.

(c) Cometograph. Lib. VII. f. 365.

(d) Phil. Transact. Num. 343. p. 249. & Memoires de l'Acad. Roy. des Scienc. A. 1715. p. 126. 127. Edit. Batav.

ti obvertitur ; quamdiu decrescit, Orientem respicit. Paulo ante & paulo post congreßum cum Sole pars quoque obscura debili quadam lucula perfusa instar nubeculae pallet.

COROLLARIUM I.

456. Ea Lunæ pars constanter splendet, in quam Radii Solares incident.

COROLLARIUM II.

457. Telluri nostræ Luminare magnum est, quia Corpora terrestria distincte vide ri facit (§. 4. Optic.).

OBSERVATIO IX.

458. Luna interdum Cælo sereno Lumen omne amittit, quando plena facie splendere debebat, tumque discus obscurus ab Oriente versus Occidentem promotus, eam obtegere videtur. Omnibus vero in Terra locis eadem Lunæ pars obscurata videtur, & Luna vel in ipsa Ecliptica vel prope eandem deprehenditur.

COROLLARIUM I.

459. Quando Luna plena facie splendet, intervallo 180 graduum à Sole distat (§. 455). Sed quia Sol in Ecliptica hæret (§. 157), Terra in oppositum gradum Eclipticæ, hoc est, in 180 à loco Solis numeratum, Umbram projicit (§. 125. Optic.). Cum adeo Luna prope eundem gradum deficiat (§. 458); eam Lumine privari patet quando Umbram Terræ ingreditur.

COROLLARIUM II.

460. Quoniam itaque in Umbra Terræ Lumen Lunæ deficit, id aliunde, nempe à Sole (§. 456), recipere debet.

COROLLARIUM III.

461. Unde non mirum, quod ubique Terrarum eadem Lunæ pars obscurata videatur : est enim vera Luminis privatio (§. 459).

COROL-

COROLLARIUM IV.

462. Lumen adeo Lunare in omnibus locis eodem modo deficere observatur,

OBSERVATIO X.

463. Interdum Luna Cœlo maxime sereno prorsus disparuit, Stellulis sextæ ac septimæ magnitudinis licet conspicuis, ita ut nec per optima Telescopia detegi potuerit. Hoc Phænomenon observavit KEPLERUS A. 1580. & 1583. (a) & 1620. (b), itemque HEVELIUS (c). Cum A. 1642. d 14. April. RICCIOLUS cum multis Jesuitis Bononiæ, ac plurimi paf- sim per Bataviam Lunam evanescensem admirarentur; Venetiis ac Viennæ in Austria conspectui Observatorum sese mi- nime subducebat (d). Luna A. 1703. d. 23. Decembris deficiens in totali ob- scuratione Arelati fulva & fusca, Ave- nione contra rubicunda & transparens, non fecus ac si splendor Solis quodammo- do transpareret, Massiliæ vero pars ejus Caurum respiciens subrubens, opposita valde obscura cernebatur, tandem que ultimo in loco. Cœlo quamvis maxime sereno, prorsus disparebat (e). Simili- ter CHRISTFRIDUS KIRCHIUS in Eclipsi totali. A. 1729. d. 9. Aug. ru- bedinem Luna deficientis adeo transpa- rentem observavit, ut non modo macu- le majores obscuræ per eam conspici pos- sent, sed etiam macule minores lucide in ipsa umbra aliquem splendorem reti- nerent. Color Luna rubicundus versus centrum umbra cum atro colore mixtus

erat, ut circa idem nigrior quedam macula appareret, quæ versus latus umbræ sensim diluebatur (f).

COROLLARIUM I.

464. Quia eodem tempore diversi no- tantur in Luna colores, immo alicubi nul- li (§. 463); colores illi Lunæ proprii non sunt.

COROLLARIUM II.

465. Quoniam in nullo corpore cernun- tur colores, nisi quod Radios vel emittit, vel reflextit (§. 42. Optic.); Luna in Um- bra Telluris constituta lucula quadam ad- huc resplendeat necesse est. Quare cum Radii in Oculos Observatorum per Atmosphærā transfinissi in ea refringantur (§. 334), Lumen autem per Refractionem in colores mutari possit (§. 184. Opt.); Ra- dios Lunares in diversis Atmosphæræ par- tibus diversimode refringi necesse est. Col- lorum ergo diversitas à diversa constitu- tione Atmosphæræ diversis in locis pen- det.

COROLLARIUM III.

466. Radii Solares cum in Atmosphærā refringantur (§. 334.), Umbra Telluris trajiciunt: Luna igitur in eadem constitu- ta eosdem reflextit, adeoque pro diverso Atmosphæræ à Sole collustratæ statu, multo vel exiguo Lumine in Umbra Tellu- ris gaudet, & quia Radii Solares per Re- fractionem in colores transmutari possunt pro diversitate Refractionis varios, Lunam diverso tempore eodem in loco diversis coloribus tintam cernere licet.

SCHOOLION.

467. Colores adeo Lunæ deficientis prædicti nequeunt, nisi Atmosphæræ constitutione tum in loco observationis, tum in locis, in quibus Sol oritur & occidit, cognita atque perspecta.

OBSERVATIO XI.

468. Oculo non minus nudo, quam armato partes quasdam obscuriores reli-

H h h 2 quis

(f) In Observat. Astronom. selectior. A. 1730. editis, p. 23.

(a) Astron. Optic. p. 227. 297.
 (b) Epitom. Astron. Copernican. Lib. V. p. 825.
 (c) Selenogr. C. 6. f. 117.
 (d) Ricciolus Almag. Nov. Lib. IV. C. 6. Schol. 4. f. 102.
 (e) Histoire de l'Acad. Royal. des. Scienc. A. 1704. p. m. 72.

Tab. V. Fig. 48. quis in Luna observamus, quas Maculas appellant: per Telescopia autem Lunam crescentem vel decrescentem continentibus patet, in manulis lumen aequaliter terminari, in partibus autem lucidioribus terminum Lucis esse lineam flexuosa ex arcubus convexis & concavis dissimilibus compositam. Notantur quoque partes quedam lucidiores per obscuriores hinc inde dispersae & particule à parte illuminata avulsa seu ultra limitem illuminationis constitutæ passim illuminatae comparent, aliis intermediis adhuc in tenebris constitutis; immo prope maculas & in ipsis maculis istiusmodi particule frequenter observantur. Praeter maculas autem antiquas observantur adhuc aliæ variabiles, nudo Oculo inconspicuae, quas Maculas novas appellant, Soli semper oppositas & hinc circa partes, quæ in Luna crescente citius illuminantur, in decrescente tardius intermediis Lumen amittunt, in orbem redeentes, nunc majores, nunc minores.

COROLLARIUM I.

469. Omnes partes à Sole æqualiter illuminantur, utpote æquali intervallo ab eodem remotæ (§. 87. Optic.): sed aliæ tamen aliis clariores, aliæ vero obscuriores (§. 468): ergo aliæ Radios Solares copiosius aliis reflectunt, adeoque heterogeneæ sint necesse est.

COROLLARIUM II.

470. Quia terminus Luminis in maculis admodum æquabilis (§. 468); superficies earum æquabilis est.

COROLLARIUM III.

471. Partes, quæ à Sole citius illuminantur aliis vicinioribus, quasque Lumen Solis tardius iterum relinquunt, altiores quoque sunt reliquis, seu ultra reliquam Lunæ superficiem eminent.

COROLLARIUM IV.

472. Maculæ novæ umbris corporum terrestrium prorsus similes (§. 125 & seqq. & §. 257. Optic.).

OBSERVATIO XII.

473. HEVELIUS (a) distinctis vicibus se expertum scribit, licet Cælo existente undique satis sereno, ut Stellulas sextæ & septimæ magnitudinis animadverte-re potuerit, in eadem Lunæ altitudine atque elongatione à terra, dato insuper uno eodemque egregio Telescopio, Lunam ejusque maculas non omni tempore aequa lucidas serenas & perspicuas sibi apparuisse; sed alio atque alio tempore longe lucidiores, clariores, purioresque visas esse.

COROLLARIUM.

474. Ex circumstantiis Observationis liquet, rationem Phænomeni neque in Aëre nostro, neque in Tubo, neque in ipsa Luna, neque in Oculo Spectatoris, sed in aliquo circa Lunam existente quærendam esse.

OBSERVATIO XIII.

475. CASSINUS (b) sapienter observavit, figuram Saturni, Jovis & Fixarum à Luna occultandorum prope limbum ejus sive illuminatum, sive obscurum ex Circulari in Ovalem fuisse transmutatum: sapient etiam in aliis occultationibus nullam figuræ mutationem deprehendit. KIRCHIUS filius (c) fatetur, cum A. 1729. d. 19. Sept. occultationem Veneris à Luna observaret, se per Tubum 18 pedum distincte animadvertisse mutationem figuræ Veneris, cum proxime ad Lunam accederet. Cum etiam ante-dimis-

(a) Cometograph. Lib. VII. f. 363.

(b) Memoires de l' Acad. Royal des Sciences. A. 1706. p. m. 327.

(c) In Observat. laudatis p. 37.

dimidiata fere appareret, ejus cuspides circa marginem Lunæ evanuisse & dissum Veneris fere Ellipticum, sed male terminatum apparuisse, non prope marginem viiri ocularis sed in ipso ejus centro. Simili prorsus modo Sol & Luna in Horizonte vaporoso orientes & occidentes non Circulares sed Elliptici apparet.

COROLLARIUM.

476. Cum ipsa Experientia satis constet, Solis & Lunæ figuram Circularem in Ellipticam mutari propter Refractionem in Aëre vaporoso factam; haud obscure colligitur, tunc temporis, quando Stellarum à Luna occultandarum figura Circularis in Ellipticam abit, densam circa Lunam extitisse materiam, per quam Radii Stellarum trajecti refracti fuerunt: in aliis autem casibus, ubi nulla figuræ mutatio facta, eandem rursus abfuisse.

SCHOLION I.

477. *Hoc Phænomenon commode illustratur sequenti Experimento. Parieti interno vasis cuiuscunque sive Plano, sive convexo, sive concavo, paucula cera affigatur Circulus chartaceus: Aqua affusa, ut radii ex ea in Aërem transeuntes refringantur, antequam ad Oculum obliquius Circulum respicientem deferantur, figura Circuli in Ellipticam mutata deprehendetur.*

SCHOLION II.

478. *Cum A. 1715. d. 28. Jun. occultatio Veneris à Luna facta Parisiis observaretur; de Malezieu, Cassinus & Maraldus, neque in figura, neque in motu, neque in colore ullam animadverterunt mutationem: ast de Louville, Delisle Junior & Chardelonius colorem prope Lunam admodum sensibiliter immutari viderunt, quod his contradicentibus Refractioni in Lente factæ illi attribuerunt (a). Meretur adeo Phæno-*

(a) *Histoire de l'Acad. Roy. des. Scienc. A. 1715. p. 12. & seqq.*

non attentionem Observatorum in posterum, ut tandem extra omnem controversiam ponatur.

THEOREMA IV.

479. *Luna & corpus densum & opacum, multis montibus, vallibus & maribus obstitum.*

Lunam esse densam seu Luci imperiavim & per se opacam, ex superioribus jam manifestum est (§. 453). Partes autem aliæ aliis depressores sunt; aliæ ultra reliquam Lunæ superficiem aſurgunt (§. 471) notabili admodum intervallo, eaque satis longæ ac amplæ, quia ex tanta distantia, qua Luna à Terra abest, videntur (§. 212. Optic.). Sunt adeo in Luna montes ingentes & valles admodum profundæ. Porro in Luna dantur tractus ingentes superficiem prorsus æquabilem habentes & minus Luminis reflectentes (§. 468). Quare cum corporum fluidorum superficies ex naturæ ipsorum necessitate sit æquabilis, eademque corpora, si fuerint perspicua, magnam Radiorum partem transmittant, pauciores reflectant; maculæ Lunares antiquæ corpora fluida & pellucida sint necesse est hoc est, cum constanter eadem deprehendantur, maria. Dantur adeo in Luna montes, valles, & maria.

COROLLARIUM I.

480. Partes adeo macularum lucidæ, quæ observantur (§. 468), insulæ sunt ac peninsulae.

COROLLARIUM II.

481. Et quia in iisdem maculis ac prope earundem limbos partes cliores ocurrunt (§. 468); in maribus Lunæ passim scopuli & promontoria dantur.

S C H O L I O N.

482. Quo his ratiociniis tanto tutius fidamus, HEVELIUS (*a*) suadet, ut ex loco quodam alto Horizontem visibilem aspiciamus: tunc enim eum aequabili tractu apparitum, ubi planitatem terminat, asperum vero, sinuosum & inaequalem visum iri, si terram montibus & vallibus conspersam stringit.

C O R O L L A R I U M I.

483. Quoniam maculæ novæ montibus contiguæ umbris corporum terrestrium prorsus similes (§. 472); dubium quoque non est, quin eadem umbræ sint montium Lunarium.

C O R O L L A R I U M II.

484. Quare cum montes in Luna umbram projiciant; materia Lunaris opaca est.

C O R O L L A R I U M III.

485. Necessario itaque Luna Umbram in locum Soli oppositum projicit (§. 125. *Optic.*).

T H E O R E M A V.

486. Lunam ambit Atmosphera gravis & elastica, in qua vapores aliisque exhalationes ascendunt & unde sub forma roris ac pluviae denuo in eam recidunt & fulgura emittuntur.

Lumine Solari prorsus deficiente, circa Lunam Annulus lucidus comparret, Peripheria Lunæ parallelus (§. 454): datur ergo circa Lunam fluidum aliquod, quod figuram ejus assumit, Radiosque Solares incidentes refringit atque reflexit. Fluidum illud inferius prope Lunam densius, superius vero rarius, quia splendor prope Lunam maximus, versus Peripheriam suam continuo sensim sensimque decrescit (§. cit.). Tale

fluidum cum sit Aër Tellurem nostram ambiens (§. 154. *Aërom.*); circa Lunam quoque Aërem dari manifestum est. Et quoniam diversa Aëris densitas ab ejus gravitate & elasticitate pendet (§. 30. 154. *Aërom.*); non dubitandum, quin etiam diversa densitas in Aëre Lunari easdem causas agnoscat. Est adeo Aer Lunaris gravis & elasticus. *Quod erat primum.*

Enimvero Aër Lunaris non eadem constanter pelluciditate gaudet (§. 473), limbum Solis tremere facit (§. 414), Stellarum figuras Circulares interdum in Ovales mutat (§. 475). Quamobrem cum eadem Phænomena in Aëre nostro observentur, quando vaporibus oppletur (§. 412. 429. 475); haud obscure intelligitur, eo tempore, quo in Atmosphæra Lunari Phænomena ista conspi ciuntur, eam vaporibus & exhalationibus oppletam esse. *Quod erat secundum.*

Quoniam tamen alio tempore Aër Lunaris denuo perspicuus evadit (§. 475); vapores ex eo in Lunam rursus præcipitentur opus est; adeoque vel ros decidit, vel pluit, vel ningit. *Quod erat tertium.*

Quod vero etiam subinde fulgura emittantur, ex Observatione liquet (§. 454). *Quod erat quintum.*

T H E O R E M A VI.

487. *Luna est corpus Telluri similimum.*

Est enim corpus opacum & minime perspicuum (§. 453): dantur in ea montes, valles & maria (§. 479) cum insulis, peninsulis (§. 480), scopulis &

& promontoriis (§ 481): datur denique circa eam Atmosphæra alterabilis, in qua vapores & exhalationes ascendunt & unde in Lunam denuo recidunt, ac unde fulgura cinctuntur (§. 486). Patet adeo Lunam esse corpus Telluri similium.

SCHOLION.

488. *Cum in Tellure nostra rorem ac pluviam in Terram decidere constet, ut Plantæ vegetentur; Plantæ cum Arboribus crescent & semina atque fructus edant, ut Animalia & Homines nutriti queant; nihil profecto obstat, quo minus etiam in Luna Plantas & Arborres, Animalia & Homines admittamus. Nihil frustra facit natura, sibi ubique similis: cur ergo frustra in Luna produxerit Elementa ad vegetatiōnem Plantarum & Arborum atque ad propagationēm Animalium & Hominum necessaria? aut quem, quās, alium in finem? Ast non modo rationi consentaneum est, Lunam habitari, verum etiam fidei, quæ hominum credulitati obnoxia non est. Fide nimirum teneamus, Deum omnia condidisse ad manifestandum perfectiones suas, scientiam, sapientiam, potentiam, bonitatem. Cumque adeo Terricola corpora Lunæ partialia distincte cognoscere nequeant, ne Deus sapientissimus fine excidat, Creaturæ rationis capaces & corporibus instructæ, ut Lunam incolant opus omnium*

censeri debet. Ceterum novum pondus his argumentis adjicietur, ubi inferius demonstratum fuerit, Tellurem nostram esse è Planeti unum & medio inter ipsos loco circa Solem ferri, immo ex diversis Planetis conspectam nunc Lunæ, nunc Veneris, nunc Jovis, nunc Saturni aut alterius cuiusdam Stellæ faciem præ se ferre. Similitudo enim Planetarum atque Telluris tam Optica, quam Physica sufficiens argumentum ipse HUGENIO videtur, quo ornatus eorundem terrestrii similis inferatur. Ita nimirum (a):
 „Si cui, inquit, in dissecti canis corpore „viscera ostenderebentur, cor, stomachus, „pulmones, intestina; tum venæ, arteriæ, „nervi; etiamsi nunquam animalis corpus „apertum conspexisset, vix dubitaret, quin „similis quædam fabrica ac partium varie- „tas in bove, porco, ceterisque bestiis inef- „set. Nec si unius ex Saturni aut Jovis Co- „mitibus naturam cognitam haberemus, „nonne eadem fere, quæ in illo, in cæ- „teris quoque reperiri putaremus? Simi- „literque ex uno quopiam Cometa, si, „quidnam esset, perspicere posset, eandem „omnium rationem esse statueremus. Ita- „que plurimum ponderis habet illa ex si- „militudine petita & à rebus visis non ad „visas producta ratio: quam proinde se- „quentes ex Planeta uno, quem coram „adspicimus, de reliquis ejusdem generis „recte conjecturam faciemus.

(a) In Cosmotheoro Lib. I. p. m. 16. 17.

CAPUT II.

*De Natura Planetarum tam Superiorum, quam Inferiorum
eorumque Satellitum.*

DEFINITIO I.

489. **P**lanetae Superiores dicuntur Saturnus, Jupiter & Mars; Inferiores Venus & Mercurius. *Satellites* vero sunt Planetae, qui circa alios, tanquam Luna circa Tellurem nostram, moventur & una cum ipsis ab Occasu versus Ortu progrediviuntur.

SCHOLION.

490. Ratio denominationis patebit inferiorius, ubi ostenderimus, Venerem & Mercurium esse Terra vicinorem Soli, Saturnum vero, Jovem & Martem ab eo remotiorem.

OBSERVATIO XIV.

491. Si Veneris faciem per Telescopium contempleremus, raro plena facie splendere deprehenditur, sed Phases habet Lunaribus simillimas, parte illuminata Soli constanter obversa, directa nimirum in Orientem, quando Phosphorus est, in Occidentem vero, quando Hesperus. Similes Luminis Phases in Mercurio & Marte observantur.

OBSERVATIO XV.

492. A. 1631. d. 7. Nov. PETRUS GASSENDUS prædicente KEPLERO primus, & sequentibus temporibus alii complures Mercurium in Sole viderunt, qui ejus discum in Camera obscura Charta candida exceptum (§.427) instar macu-

la nigra & rotunde trajicere visus est (a). Simili modo JEREMIAS HOROC-
CIUS A. 1639. d. 24. Novembr. Venerem in Sole vidit (b): quod Phæno-
menon rarissimum antea à nemine ob-
servatum, nec ante d. 25. Maii A.
1761. alteri cuiquam observare licebit.

OBSERVATIO XVI.

493. Celeberrimus DE LA HIRE A. 1700. per Telescopium 16 pedum in Venere detexit montes Lunaribus majo-
res (c), disco ejus triplo apparente Luna-
ris nudo oculo visi.

OBSERVATIO XVII.

494. CASSINUS aliquoties duas in Venere maculas observavit (d). Idem A. 1666. d. 3. Martii Bononiæ in Marte per Telescopium 16 ac dimidii pedum quatuor maculas, & d. 24. Februarii duas alias majores deprehendit, quas posteriores eodem tempore Romæ per Telescopium 35 pedum vidit CAMPANUS.

Idem

(a) Vid. Gassendi Epistola ad Schickardum de Mercurio in Sole viso & Venere inviso, Operum Tom. VI. fol. 45. & seqq. & Tom. IV. f. 499. nec non Hevelii Mercurius in Sole visus.

(b) Vid. Observations Coelestes in Operibus posthumis p. 393. & ejusdem Venus in Sole visa, quam Hevelius suo Mercurio in Sole viso notis illustratam subjunxit.

(c) Memoires de l'Acad. Royal. des Sciences, A.
1700. p. m. 288. & seqq.

(d) Ozanam Cours de Math. Tom. V. Trait. de Geogr. Part. 1. C. 3. p. 84. 85.

Idem CASSINUS A. 1665. in Jovem maculas duas; A. 1690. alias duas minores; A. 1691. itidem duas confixit (a). In Mercurio vero, qui Soli proximus, omnium Luminis splendorem, & in Saturno ob maximam ejus à terra distantiam macule nulla hactenus detegi potuerunt. Nemo maculas Veneris hactenus accuratius delineavit, quam BLANCHINUS (b), quas A. 1726. Lunaribus amplioribus nudo oculo observabilibus similes per Telescopium 100 palmorum à CAMPANO elaboratum observavit & Celidographiam confecit.

SCHOLION.

495. Monet BLANCHINUS Observationes instituendas esse diebus à nebula immunibus, hora dimidia post Crepusculum, & eam visus aciem requiri, quæ Luna maculis nudo Oculo satis distinguidis sufficit.

COROLLARIUM I.

496. Ex macularum Observationibus coligit CASSINUS motum vertiginis 4° 9' hor. 56', ♂ 24 hor. 40' & ♀ 24 horarum.

SCHOLION.

497. BLANCHINUS motum vertiginis Veneris 24 dierum spatio, additis horis circiter octo absolvit ex suis macularum observationibus demonstrat. Merentur Observationes Blanchinianæ repeti ab Observatoribus aliis, qui prædictiis tantis instruti sunt, antequam quicquam certi definiatur.

COROLLARIUM II.

498. Cum itaque ☽ (§. 422), ♀ ♂ & ♀ (§. 496) motu vertiginis moveantur, Observationes autem in ♀ & ♂ ob allatas (§. 494) rationes deficiant, unde eorum vertigo certo concludi possit; nihil quidem obstat, quo minus statuamus, Mercurium

Wolfs Oper. Mathem. Tom. III.

(a) Ozanam l. c p. 83. 84.

(b) Hesperi & Phosphori Nova Phænomena C. A. f. 38. & seqq.

quoque & Saturnum circa Axem suum gyrari.

OBSERVATIO XVIII.

499. In Jove observantur due fascie reliquo ejus disco lucidiores & lineis parallelis terminatae, nunc latiores, nunc arciores, nec eadem constanter disci loca occupantes. Fasciam multo latiorem, sed Tab. V. obscuram mediumque disci partem occu- Fig. 49. pantem A. 1656. in Marte vedit HU- GENIUS (c). CASSINUS filius d. 25 Martii A. 1715. & sequentibus tres istiusmodi fascias in Saturno observavit, ita ut is per Telescopium 118 pedum efacie videreetur, qua Jupiter per Telescopium 34 pedum appetat (d).

OBSERVATIO XIX.

500. A 1609. circa finem Novembris SIMON MARIUS, Marchionum Brandenburgensis Mathematicus, primus omnium tres Stellulas circa Jovem gyrantes & cum eo progredientes, mox autem mense Januario & Februario An. 1610. quatuor confixit (e). Et in Italia A. 1610. d. 7. Januar. GALILÆUS easdem Stellulas vedit & eodem adhuc anno Observationes suas publicavit (f): à quo tempore notissima facta est Circumjovialium observatio.

SCHOLION.

501. Hi Jovis Satellites à nonnullis dicuntur Lunæ Joviales; à GALILÆO autem Sidera Medicæa. Jovi proximum MARIUS vocat Mercurium Joviale, ab eo secundum Venerem Joviale, tertium Jovem Joviale & quartum denique Saturnum Joviale.

iii

OBI

(c) In Systemate Saturnino p. 7.

(d) Mémoires de l' Acad. Royal. des Scienc. A. 1715. p. m. 56.

(e) Vid. Præfatio ad Mundum Joviale.

(f) In Nuncio Sidereo.

OBSERVATIO XX.

502. Luna Joviales Cælo sereno evanescunt, Jove inter ipsos atque Solem Diametraliter interposito, id quod jam obseruavit SIMON MARIUS (a).

COROLLARIUM I.

503. Privantur adeo Lumine, quando Radii Solares per lineam rectam propagati (§.46.Optic.) à Jove intercipiuntur.

COROLLARIUM II.

504. Unde pater, eos instar Lunæ nostræ esse corpora opaca & à Sole illuminari.

COROLLARIUM III.

505. Cum Jupiter Satellites suos pone ipsum constitutos non illustret (§.502): ipse similiter in parte à Sole aversa omni Lumine caret: consequenter cum motu vertiginis gaudeat (§.496), in omni.

OBSERVATIO XXI.

506. Si Lunula Jovis inter Jovem atque Solem Diametraliter interponuntur, macula rotunda in disco Jovis observatur, que interdum Satellite major deprehensa (b).

COROLLARIUM I.

507. Quoniam Satellites Jovis sunt corpora opaca & à Sole illuminantur (§.504); umbram in oppositum Solis projiciunt (§.125.Optic.). Sunt adeo maculae rotundæ in Jove visæ Satellitum umbræ.

COROLLARIUM II.

508. Quia intersectio umbrae est Circulus, Satellites autem Jovis sunt Sole minores, ceu infra independenter ab his ostendetur; umbra eorum conica est (§.468. Geom.).

COROLLARIUM III.

509. Figura igitur Satellitum saltem ad sensum sphærica est (§.137.Optic.).

(a) In Mundo Joviali.

(b) Mémoires de l'Acad. Roy. des Sciences, A. 1707. P. m. 382.

OBSERVATIO XXII.

510. Si Tellure inter Solem & Jovem constituta Satellitum aliquis inver Jovem atque Solem similiter constat, Lumini Jovis immersus evanescit. Enimvero A. 1707. d. 26. Marii Cl. MARALDUS per Teles. opium 34 pedum quartam Lunularum Jovialium instar maculae obscuræ per discum Jovis trajicientem miratus est. Quamprimum vero eundem reliquit, Sætæles consueto fulgorre iterum comparuit. Similem maculam in Jove deprehendit, cum d. 4. Aprilis ejusdem anni per Telescopium 17 pedum Sætællitis tertii immersionem in Lumen Jovis observaret: cum tamen d. II. Aprilis ejusdem Sætællitis immersioni denuo attenderet, nullam prorsus maculam deprehendit. Idem Phenomenon alio tempore aliquoties vidit etiam CASSINUS. Praterea & CASSINUS & MARALDUS admirandas magnitudinis apparentis mutationes in iisdem Sætællibus non simplici vice annotarunt, etiam si nulla ratio ex eorum à Jove, Sole ac Tellure distantia dari posset: E. gr. quartus Sætællitum, qui sapissime omnium minimus appareat, interdum maximus videtur. Similiter tertius, qui ordinarie omnium maximus, interdum tamen reliquis equalis, immo iisdem minor videatur (c).

COROLLARIUM.

511. Quoniam Satellites Jovis à Sole collustrantur, etiam cum in Lumen Joviale immerguntur, hoc tamen non obstante obscuri

(c) Mémoires de l'Acad. Roy. des Sciences, A. 1707. p. 382. 383.

obscuri apparent (§. 510); mutationes in Atmosphæris eorundem contingent necesse est, quæ impedianter, quo minus Radii Solares à tota superficie æqualiter reflectantur.

SCHOLION.

512. Facile apparet, eandem esse rationem, cur umbra eorundem interdum major ipsis comprehendatur (§. 506).

OBSERVATIO XXIII.

513. Saturnus tot formas prorsus mirabiles induere videtur, ut causam tantæ varietatis diu detegere non potuerint Astronomi peritissimi. HUGENIUS exquisitoribus Telescopiis Saturnum aggressus tres potissimum Phases detectit (a). Primo enim A. 1656. a d. 16 Jan. usque ad 17 Junii Saturnum vidi rotundum, transversa linea, ceteris disci partibus paulo obscuriore, ex aquo medium ejus discum secante. Eodem anno die 13 Octobris vidi brachiatum, instructum nempe duobus brachiis, recta virinque extensis, prope limbum Saturni laioribus, & minus intensa luce quam versus extremas cuspides lucentibus, fascia obscuriore paulo infra brachiorum linam comparente. Tandem A. 1657 d. 17 Decembris ansatum vidi, brachia prope discum adaperta ac bifida inveniens, linea obscura versus inferiora ulterius promota: quas ansas latus adhuc patentes à die 10 Novembr. A. 1658 usque ad 26 Martii A. 1659. omnium distinctissime conspexit. Ceterum notum dignum, quod intra ansas Saturni fixas conspicere liceat.

(a) In Systemate Saturnino p. 16. & seqq.

SCHOLION I.

514. Equidem antea Astronomi Phases Saturni alias mirabiliores annotarunt. Certe HEVELIUS (b) numerat Saturnum 1. monosphæricum, 2. trisphæricum, 3. sphæricoansatum, 4. ellipticoansatum, 5. sphæricocuspidatum, quas ipsas Phases denuo in alias subdistinguit. Enim vero HUGENIUS (c) clarissime ostendit, imperfectioni Tuborum deberi ejusmodi apparitionum monstra. Cum enim A. 1655. mense Aprili ac Maio Saturnum brachiatum observasset, RICCIOLUS & HEVELIUS tricorporeum viderunt; ipsique HUGENIO brachiorum loco apparuere duo globuli, Telescopio 5 aut 6 pedum Saturni faciem contemplanti.

COROLLARIUM I.

516. Ex Observationibus suis HUGENIUS recte infert: Saturnum cingi Annulo tenui, plano, nusquam cohærente, ad Eclipticam inclinato: hoc nimis admisso, ratio Phænomenorum manifesta. Fig. 52.

SCHOLION II.

517. Sane non modo HUGENII, sed & CASSINI Observationes summa cum industria institutæ abunde confirmarunt, Phases Saturni tales apparere, quales ex sua Theoria eas prædicterat HUGENIUS (d). Accuratissimæ Annuli hujus Observationes A. 1715. & 1716. dedere CASSINUS filius atque MARALDUS (e).

COROLLARIUM II.

518. Cum fascia obscura in disco Saturni appareat, Annulo ita constituto, ut nec brachia, nec ansæ appareant (§. 513); manifestum est, eam esse marginem Annuli.

III 2

OB-

(b) In Opusculo de Saturni nativa facie.

(c) In Systemate Saturnino p. 35.

(d) Transact. Anglic. n. 65. p. 293. & n. 78. p. 3024 & seqq. n. 128. p. 690.

(e) Mémoires de l'Acad. Roy. des Sciences. A. 1715. p. m. 13. 14. & A. 1716. p. m. 223.

OBSERVATIO XXIV.

519. HUGENIUS A. 1655. d. 25. Martii primus omnium per Telescopia 12 & 23 pedum Satellitem aliquem Saturni observavit (a) : postea accessere quatuor alii à CASSINO diverso tempore detecti. Nempe duos, qui Saturno proximi, per Telescopia CAMPANI 100 & 136 pedum A. 1684. mense Martio primum reperit; tertio jam ante A. 1672. d. 23 Decembbris per Telescopium CAMPANI 35 pedum & quinto (quartus enim HUGENIANUS est) A. 1671. circa finem Octobris per Telescopium 17 pedum viso. Duos intimos postea quoque deprehendit per Telescopia CAMPANI 47 & 34 pedum atque per Telescopia BORELLI 40 & 70 pedum, & denique per Telescopia ARTOUQUELLII 80, 155 & 220 pedum (b). Recentissime in Anglia JACOBUS POUND una cum aliis per Telescopium HUGENIANUM Satellites hosce Saturni observavit, de quibus paulo ante dubitare cœperat DERHAMUS (c).

SCHOLION.

519. Præter 4 Jovis & 5 Saturni Comites alii observati non sunt : neque facile spes supereft, fore ut plures in posteu[m] detegantur, quia CASSINUS usus est Telescopiis & maximis, & exquisitissimis. Evidem ANTONIUS MARIA SCHYRLEUS DE RHEITA, Capucinus Colonensis, præter Sidera Medicea alias quinque circa Jovem Satellites die 29 Decembr. A. 1642. sibi deprehendisse visus est, quos in honorem URBANI VIII. Pontificis maximi, Sidera Urbanoctaviana appellavit. Sed cum Observatio per GABRIELEM NAUDÆUM cum GASSENDO communicaretur,

(a) Vid. Systema Saturninum p. 9. & seqq.

(b) Transf. Anglic. n. 92. p. 5178. & seqq. n. 92. p. 5181. n. 181. p. 79.

(c) Transf. Anglic. N. 355. p. 768. & N. 356. p. 776.

qui eodem die Jovem observaverat ; statim is deprehendit, Virum religiosum quinque Stellas fixas in fusione Aquæ Aquarii, qua in Catalogo TYCHONIS sunt 24, 25, 26, 27 & 28, cum Satellitibus Jovis confudisse : unde etiam non mirum, quod motu reliquis contrario (qualis nimirum in Fixis appetet) ab Occasu in Ortu progreedi vise reliquisque maiores apparuerint (d). Evidem de RHEITA errorem suum agnoscere noluit (e) ; nemo tamen postea Satellites istos reperire in Calo potuit.

OBSERVATIO XXV.

520. Satellitem quarum MARAIDUS atque CASSINUS filius die 25 Martii h. 11. A. 1715. Cœlo sereno evanescere observarunt, Saturno inter ipsum atque Solem diametaliter interposito (f).

COROLLARIUM I.

521. Privatur adeo Lumine, quando Radii Solares per lineam rectam propagati (§. 46. Optic.) à Saturno intercipiuntur.

COROLLARIUM II.

522. Est igitur instar Lunæ corpus opacum & à Sole illuminatur.

COROLLARIUM III.

523. Cum Saturnus Satellite[m] pone ipsum constitutum non illustret (§. 520), ipse similiter in parte à Sole aversa omnium lumine caret.

THEOREMA VII.

524. *Saturnus, Jupiter, Mars, Venus & Mercurius, nec non Saturni ac Jovis Satellites sunt Corpora Latæ similia.*

Quo-

(d) Vid. Epistola Gassendi ad Gabr. Naudæum de Novem Stellis circa Jovem visis. Oper. Tom. IV. f. 511. & seqq.

(e) Vid. Oculus Enochii atque Eliæ Lib. IV. C. I. membr. 2. f. 171.

(f) Mémoires de l'Acad. Royal. des Scienc. A. 1715. p. m. §2.

Quoniam in Venere, Mercurio & Marte nonnisi ea pars disci splendet, quæ à Sole illuminatur (§. 491), præterea ♀ atque ♂ inter Solem & Tellurem constituti instar maculæ obscuræ in disco Solis comparent (§. 492); ♀, ♂ atque ♂ esse Corpora opaca lumine Solis mutuatio splendentia patet. Idem de Jove manifestum est, quia Lumine privatur ea parte, quam umbra Satellitum attingit (§. 506) & altero Hemisphærio, quod à Sole aversum, constanter Lumine caret (§. 505). Ejus vero Satellites itidem opacos esse lumenque Solis reflectere, supra jam ostensum (§. 504). Non absimili arguento concluditur, Saturnum esse Corpus instar Lunæ opacum Lumenque Solis reflectere: id quod de uno Satellite cum in superioribus etiam evictum fuerit (§. 522), per Analogiam haud fallaci arguento de ceteris quoque concluditur.

Porro cum Lumen Solare per Mercurium & Venerem non transpareat, quando sub eo constituuntur (§. 492); Corpora densa minusque pellucida sint necesse est (§. 12. Optic.), quod idem de Jove & Saturno umbra Satellites obscurantibus patet (§. 504. 522).

Ex maculis ♀, ♂ & 4 variabilibus apparet, dari circa hos Planetas Atmosphærā alterabilem, ceu ex iis manifestum est, quæ supra ad Theor. 5. (§. 486) ostendimus. Eadem Atmosphæræ alterabilitas simili arguento de Jovis Satellitibus infertur (§. 511), adeoque ob similitudinem reliquam etiam de Planetiis reliquis concluditur.

Simili modo ob montes in ♀ depre-

hensos (§. 493) tales quoque in reliquis supponere licet.

Cum adeo ♂, 4, utriusque Satellites, ♂, ♀ & ♂ sint Corpora opaca, Lumine Solis mutuatio resplendentia, montibus prædita & Atmosphæra alterabili cincta, consequenter etiam Aquæ in iisdem existant, quæ per observationem macularum constantium in Venere patent (§. 494) Corpora Lunæ simillima sunt (§. 479. 486).

COROLLARIUM I.

525. Luna est Corpus Telluri nostro simile (§. 687); sunt ergo & Planetæ reliqui omnes eidem Telluri similes.

COROLLARIUM II.

526. Nil adeo obstat, quo minus statuamus, Planetas omnes ab Animalibus atque Hominibus habitari (§. 488).

SCHOLION.

527. De Planetarum incolis multa probabiliter ostendit HUGENIUS in Cosmotheoro, ex similitudine Planetarum cum Terra, quod nempe instar hujus sint Corpora opaca, densa, rotunda, gravia, & à Sole illuminantur ac calefiant, eumque in finem circa ipsum moveantur, argumentatus. Sed multa etiam aliis argumentis inferri poterant. E.gr. Dubio fere penes me caret, Jovicolas esse Terricolis multo maiores, ex genere nempe Gigantum. Nimirum Pupilla dilatatur in Lumine fortiori, coarctatur in debiliiori (§. 56. Optic.). Quare cum in Jove Lux meridiana in eadem altitudine Solis sit debilior, quam in Tellure, ob majorum nempe Jove à Sole distantiam inferius independenter ab his ostendendam (§. 87. Opt.); Pupilla in maxima constrictione, adeoque etiam per se, major esse debet in Jovicolis, quam in Terricolis. Enimvero Experientia loquitur, Pupilam reliquo Bulbo Oculi, Oculum vero reliquo

Corpori esse proportionatum, ut nempe Anima-
ntia Oculos maiores habeant, quorum Pupil-
la major est, & corpori majori gaudeant,
quorum Oculi sunt maiores: quare Corpora
Jovicolarum majora esse debent Corporibus
Terricolarum. Et sane non desunt mibi ra-
tiones, quæ suadent, Jovicolas statura æqua-
les esse OḠ Regi Basan, cuius lectus fer-
reus, MOSE autore (a), habuit longitudinem
novem, latitudinem quatuor cubitorum. Pa-
tetit enim inferius, distantiam 4 à Sole esse
ad distantiam Telluris ab eodem, ut 26 ad 5.
Est igitur Intensitas Luminis Solaris in Jove
ad Intensitatem in Tellure in ratione dupli-
cata 5 ad 26 (§. 87. Optic.). Sed per Ex-
perimentam consiat, Pupillam dilatari in ra-
tione majore, quam Intensitas Luminis de-
crescit, alias enim Objecti remoti claritas
eadem apparere posset, quæ vicinioris, quod
tamen videtur obscurius: Diameter adeo Pu-
pilla in statu maximæ contractionis aut dilata-
tionis Terricolarum est ad Diametrum Pu-
pilla in statu simili Jovicolarum in ratione
majore quam 5 ad 26 (§. 409. Geom.).
Quodsi eandem ponamus ut 10 ad 26 seu 5
ad 13; cum statura Terricolarum ordinaria

sit pedum Parisinorum 5 $\frac{7}{32}$ seu particularum
7515, cujusmodi pes regius Parisinus continet
1440 (tantam nimirum meam reperio),
reperiatur Statura ordinaria Jovicolarum
19539 istiusmodi particularum, hoc est, pe-
dum 13 $\frac{812}{1440}$. Quoniam cubitus Hebreus
juxta Cl. EISENSCHMIDUM (b) est particu-
larum 2384 pedis Parisini, longitudo leffi
Gigantis à MOSE commemorati est 21456:
unde si subducatur pes unus partium 1440,
relinquitur longitudo Gigantis 20016 seu pe-
dum 13 $\frac{1206}{1440}$, cui quam proxime convenit
longitudo Jovicolarum pedum 13 $\frac{812}{1440}$. Ce-
terum Planetarum Incolas jam agnovere Ve-
teres, & METRODORUS (c) affirmat haud mi-
nus absurdum esse in Infinito Spatio Mun-
dum unicum tantum collocare ac in amplissi-
mo campo unicam solummodo spicam nasci,
afferere & credere. Eadem sententiam
multis rationibus adstruit CUSANUS Cardi-
nalis Vir gravis & doctus (d): cuius autorita-
tate permotus, DE REITA è Capucinorum
familia (e), in eandem inclinare videtur,
ut alios taceamus; apertius vero eam am-
pletebitur R. P. CASTELLUS è Societate Je-
su (g).

C A P U T III.

De Systemate Planetario.

DEFINITIO II.

§28. *Per Systema Planetarium in-*
telligo ordinem, quo Plan-
netæ cum Sole in Universo collocati
sunt.

DEFINITIO III.

529. *Planetae primarii dicuntur,*
qui circa Solem moventur: *secundarii*

(a) Deuter. III. II.

sunt, qui circa alium Planetam ferun-
tur.

C O R O L L A R I U M.

530. Sunt adeo Satellites Jovis atque
Saturni Planetæ secundarii (§. 500. 518).

DEFI-

(b) *De Ponderibus & mensuris veterum* R. G.
& H. SECT. 3. C. 4. p. 119.

(c) *Plut. de Placit. Philos.* C. 5.

(a) *De docta ignorantia* lib. 2. c. 11.

(e) *In Oculo Enochii atque Eliæ* Lib. IV. C. 1.
membr. 3. f. 178. & seqq.

(f) *Traité de Phy'. sur la pesanteur universelle*
des corps. Tom. 1. lib. 5. c. 6. p. 575. 576.

DEFINITIO IV.

531. Directo Planeta est motus in Signa consequentia Eclipticæ, nempe ex \textcircled{V} in \textcircled{S} , ex \textcircled{S} in \textcircled{II} & ita porro.

DEFINITIO V.

532. Statio est apparentia in eodem Cœli puncto per aliquot dies.

DEFINITIO VI.

533. Retrogradatio est motus in Signa antecedentia Eclipticæ, e. gr. ex \textcircled{II} in \textcircled{S} , ex \textcircled{S} in \textcircled{V} , &c.

DEFINITIO VII.

534. Planeta vocatur directus, quando in Signa consequentia movetur; stationarius, quando in eodem Cœli puncto immobilis hærere videtur; retrogradus denique, quando in antecedentia movetur.

DEFINITIO VIII.

535. Synodus, Conjunctione seu Coitus Stellarum est concursus earundem in eodem Cœli loco Optico.

DEFINITIO IX.

536. Oppositio est distantia duarum Stellarum per semissem Circuli, seu intervallo 180 graduum.

OBSERVATIO XXVI.

537. Planeta omnes Soli opponuntur, exceptis Venere & Mercurio, quorum illa nunquam ultra gradus 47, hic nunquam ultra 28 à Sole digreditur. Utique Planeta à maxima elongatione rursus ad Solem regreditur & ad Conjunctionem aenuo properat.

OBSERVATIO XXVII.

538. Venus plena facie splendet, si post Conjunctionem fuerit Hesperus, cum elongatione à Sole Lumen decrescit, in

digressione maxima dimidiata cernitur. Dum inde ad Solem regreditur Lumen ulterius decrescit, ita ut instar faloris appareat, cum mox Heliace occidit. Quando Coitus cum Sole celebrato Phosphorus evadit, falcata rursus conspicitur, in maxima digressione denuo dimidiata. Dum inde ad Solem regreditur, Lumen continuo crescit, donec paulo ante Conjunctionem plena facie splendeat. Observationes speciales recenset HEVELIUS (a).

COROLLARIUM.

539. In altera itaque Conjunctione Venus lumine plena; in altera vero omni lumine cassa.

OBSERVATIO XXVIII.

540. Phases Mercurii eadem prorsus observantur, que Veneris, quemadmodum denuo annotatum est ab HEVELIO (b) & cilibet ad Oculum constabit, si per Telescopium melioris nota Cœlo non invito, faciem ejus contempletur.

OBSERVATIO XXIX.

541. Planeta interdum se mutuo occultant. Certe MOESTIUS A. 1591. die 9. Jan. Jovem à Marte coloris ignei ruilantis; A. 1599. d. 3. Octobr. hor. 5. matutina Martem à Venere coloris candidi coniectum vidi (c). A. 1671. d. 1. Jun. HEVELIUS & A. 1678. die 7. Februar. BULLIALDUS Saturnum; A. 1679. d. 5. Jun. HEVELIUS Jovem & A. 1676. d. 21. Aug. FLAMSTEEDIUS, HALLEIUS, HEVELIUS Martem à Luna obiectum conspexerunt. (d) COPERNICUS.

An.

(a) in Proleg. Selenogr. f. 69. & seqq.

(b) loc. cit. f. 74. & seqq.

(c) Keplerus in Astron. Optic. p. 305.

(d) Transaction. Anglic. num. 78. pag. 3027. 3031. num. 129. p. 721. & seqq. num. 139. p. 969. num. 10. p. 29.

An. 1529. die 12 Martii vespere Venerem à Luna tectam observavit (a).

OBSERVATIO XXX.

542. Fixarum à Luna occultationes sèpius contingunt, ut adeo Observationibus specialibus recensendis supersedere possumus. Sed Fixarum aliqua etiam à Planetis reliquis quanquam rarius, occultatæ leguntur. Sane A. 241. ante Christum d. 4. Septembr. mane Jupiter Ascendum Austrinum & A. C. 1633. d. 19. Decembribus mane, observante GASSENDO, Propoda seu Stellam ante pedes Geminorum; Mars A. 272. ante Christum die 18. Jan. referente PTOLEMÆO, Borealem in fronte Scorpii & recentius, observante GASSENDO, extremam in ala Virginis; Venus A. 1574. d. 16. Sept. hor. 4. mat. & A. 1598. d. 25. Sept. hor. 3. mat. observante MOESTINO, Regulum texit (b) KIRCHIUS A. 1679. d. 7. Januar. mane Stellam sextæ magnitudinis in Australi cornu Tauri, que apud BAYERUM littera o noratur, à Saturno occultatam observavit (c).

OBSERVATIO XXXI.

543. CASSINUS, referente GREGORIO (d) primam Arietis aliquando in binas æquales intervallo Diametri utriusvis distantes divisam conspexit. Idem Phænomenon de precedente capite Geminorum observavit: immo Pleiadum aliquas & medianam in Orionis gladio quandoque triplas, aut etiam quadruplices apparentes vidit.

(a) Revolut. cœlest. Lib. V. c. 23.

(b) Ricciolus in Almag. Nov. Lib. VII. Sect. 6. C. 14. f. 721.

(c) Vid. Miscellan. Berolin. p. 205. & seqq.

(d) in Element. Astron. Physic. & Geometr. Lib. III. Prop. 54. f. 274.

PROBLEMA II.

544. Micrometrum construere, hoc est Instrumentum, quo res minutæ in Cœlo exacte dimetiri licet.

RESOLUTIO.

1. In foco Tubi Astronomici aptetur Annulus orichalceus seu ferreus AB cum cochleis foeminiis sibi mutuo diametraliter oppositis.
2. Inserantur duæ cochleæ mares CE & DF ejus longitudinis, ut versatæ intra Tubum sese contingere possint. Dico, tali Instrumento res minutæ in Cœlo dimetiri licere.

DEMONSTRATIO.

Cum enim objecta per Tubum visa cochleis contigua appareant (§. Dioptr.), si ea tamdiu versentur, donec duo puncta opposita contingant, quorum distantiam metiri debes, illico constabit, quot cochlearum striæ isti intervallo respondeant. Ut autem constet, quot scrupula secunda singulis striis convenient, Tubo in Cœlum converso versentur cochleæ, donec duas Fixas, quarum distantia in scrupulis secundis exacte cognita (§. 225), contingant, & notetur numerus striarum isti intervallo respondens. Ita nimirum per Regulam trium constructur Tabella scrupulorum singulis striis convenientium, consequenter distantia duorum quorumcunque punctorum exigua, ope hujus Instrumenti, Tabella constructa, inveniri potest. Q. e. d.

SCHOLION I.

545. Tabella, de qua in Demonstratione diximus, construi etiam poterit, si ope Horologii

logii oscillatorii observetur tempus, quod elabitur, dum Stella in Aequatore constituta ab uno cochlearum extremitate usque ad alterum, Tubo immoto, progreditur, atque in scrupula Aequatoris convertatur. Utimur etiam commode Fixarum loco Luna vel Solis Diametro apparente.

SCHOLION II.

546. Simplicissimum hoc Micrometri genus, quod à quovis Fabro ferrario facile parari potest, excoxitavit KIRCHIUS A. 1677. occultationem Fixae à h[abitu] factam observaturus (a). Alia Astronomis Gallis usitata describit CL. DE LA HIRE (b), & alibi alia occurunt (c). Cæterum Kirchianum agnatum est Instrumento, quo HUGENIUS (d) Diametros apparentes Planetarum metitus, & quod Micrometri inveniendi ansam dedisse videtur.

PROBLEMA III.

547. Observare Diametrum Solis apparentem.

RESOLUTIO.

- Quadrante exactissime diviso & Dioptris Telescopicis instructo observetur altitudo meridiana limbi Solaris tam superioris, quam inferioris.
- Altitudo inferior subducatur à superiori, differentia erit angulus, sub quo Diameter Solis è Terra videtur.

Aliter.

- Super Linea meridiana erigantur duo fila perpendicularia & capite immobile (a) Vid. Praefation. ad Calendarium A. 1696. & Miscell. Berolin p. 202. & seqq.
(b) In Tabul. Astron. Part. 2. p. 6. & seqq.
(c) Vid. Lexicon meum Mathem. sub voce Micrometrum.
(d) In Systemate Saturn. p. 52.

to observetur transitus Solis per Meridianum.

- Quamprimum limbus ☉ ad fila appellatur, notetur momentum temporis, quo ab Horologio oscillatorio indicatur.
- Quando limbus oppositus eadem relinquit, notetur similiter tempus, quod Index Horologii monstrat.
- Tempus prius à posteriore subducatur, residuum erit tempus, quo Diameter ☉ per Meridianum transit.
- Si Sol fuerit in Aequatore, tempus modo inventum convertatur in Scrupula Aequatoris (§. 212), ita prodibit arcus, qui metitur angulum, sub quo Diameter Solis videtur.
- Si Sol fuerit extra Aequatorem, arcus inventus est Circuli paralleli, in quo Sol commoratur, similis arcui Aequatoris, qui interea per Meridianum transit (§. 45. Spheric). Quare cum ob parallelismum rectarum CQ & TA angulus CAT sit angulo ACQ (§ 233. Geom.), hoc est, Declinationi AQ (§. 57. Geom. & §. 76. Astron.) æqualis; Radius Aequatoris AC est ad Radium Paralleli AT, ut Sinus totus ad Cosinum Declinationis seu anguli ACQ (§. 33. Trigon.). Sed arcus similes Paralleli & Aequatoris in eadem ratione existunt (§. 412. Geom. & §. 171. Arith.): ope igitur ejusdem in scrupula Aequatoris convertuntur scrupula Paralleli (§. 302. Arithm.), quæ Diametrum Solis apparentem produnt ut ante.

Tab:
VI.

Fig. 54.

PROBLEMA IV.

548. Diametrum apparentem Solis, Luna ac Stellæ cuiuscunq[ue] observare.

RESOLUTIO.

1. Convertatur in Solem Helioscopium (§. 467. Dioptr.). in Lunam & Stellas Tubus Astronomicus (§. 358. Dioptr.), Micrometro instructus (§ 544).
2. Cochleæ Micrometri versentur donec utrinque limbum Sideris contingant.
3. Notetur numerus spirarum intervallo intra cochleas in Tubo relicto convenientis.
4. Hic denique ope Tabellæ modo supra præscripto (§. cit.) constructæ vertatur in scrupula Æquatoris, quæ Semidiametrum apparentem prodent.

OBSERVATIO XXXII.

549. Diameter Solis, Luna & Planatarum tam inferiorum, quam superiorum non omni tempore eadem deprehenditur; sed in singulis ad certum usque terminum crescit iterumque decrescit. In primis vero notabile est, Planetas superiores multo maiores apparere, si fuerint Acronychii seu in Oppositione cum Sole, quam prope Conjunctionem cum eodem; Planetas vero inferiores maiores videri, si lumine fuerint diminuti, quam ubi antē extiterint. Martis in primis Acronychii Diameter octuplo, immo juxta RICCIOLU M (a) nuncuplo major apparet, quam si prope Conjunctionem in eodem Cœli loco conspiceretur, ita ut A. 1529 mense Julio & Augusto ob prodigiosam magnitudinem novum Sidus crederetur (b).

(a) In Almagest. Nov. Lib. VII. Sect. 6. C. 10. f. 713.
(b) Keplerus in Astronom. Optic. C. 10. p. 333.

COROLLARIUM I.

550. Planetarum distantia à Terra non semper eadem (§. 371. Optic.).

COROLLARIUM II.

551. Planetæ superiores sunt Terræ propiores in Oppositione cum Sole, quam circa Conjunctionem (§. cit.); Mars in primis octuplo, immo noncuplo propior est Telluri in Oppositione, quam circa Conjunctionem cum Sole (§. 212. Optic.).

COROLLARIUM III.

552. Planetæ inferiores Terræ propiores sunt, si lumine diminuti, quam si audi fuerint (§. 371. Optic.).

OBSERVATIO XXXIII.

553. Diametrum Solis apparentem observarunt

	Maximam	Medianam	Minimam
PTOLEMÆUS (c)	33' 20"	32' 18"	31' 20"
TRCHO (d)	32 0	31 0	30 0
KEPLERUS (e)	31 4	30 30	30 0
RICCIOLUS (f)	32 8	31 40	31 0
CASSINUS (g)	32 10	31 40	31 8
DE LA HIRE (h)	32 43	32 10	31 38

Observatur autem hodie Diameter minima, quando Sol existit in ☽; maxima, quando in ☽ haret.

COROLLARIUM.

554. Maxima adeo Solis à Terra distantia hodie in ☽ est, minima in ☽ (§. 211. Optic.).

OBSERVATIO XXXIV.

555. De Luna notatu dignum est quod duplex observetur incrementum & decrementum Diametri apparentis, alterum

(c) Almag. Lib. V. C. 14. f. m. 117.

(a) Progymn. Lib. I. C. 1. p. m. 135.

(e) In Tab. Rudolph. f. 92.

(f) Astron. Reform. Lib. I. C. 12. f. 38.

(g) Apud Ricciolum loc. cit.

(b) In Tab. Astron. p. 10.

terum in Conjunctionibus & Oppositionibus cum Sole, alterum in Quadraturis. Est nempe maxima Luna Diameter apparet in illis minor, maxima in hisce, & minima in illis; minor itidem minima in hisce. Sane in priori casu statuant

	Minimam	Maximam
PROLEMÆUS (a)	31°. 20"	35°. 20"
TYCHO in Conj.	25. 36	28. 48
Idem (b) in Oppos.	32. 0	36. 0
KEPLERUS (c)	30. 0	32. 44
DE LA HIRE (d)	29. 30	33. 30

	In casu autem posteriore ponunt Minimam	Maximam
PROLEMÆUS	42°. 8"	55. 0
TYCHO	32. 32	36. 0

COROLLARIUM.

556. Luna in eodem Orbitæ suæ punto à Terra magis distat in Quadraturis, quam in Oppositionibus & Conjunctionibus (§. 211. Optic.).

OBSERVATIO XXXV.

557. Planetarum superiorum Diametros apparentes juxta Autores diversos exhibet HEVELIUS (e). Stataunt nempe Diametrum

		Minim.	Medium.	Maxim.
ALBATEGNIUS	☿	1°. 29". 13"	1°. 44". 13"	2°. 5". 59"
TYCHO		1. 34. 0	1. 50. 0	2. 12. 0
KEPLERUS		0. 21. 0	0. 25. 0	0. 38. 0
RICCIOLUS		0. 46. 0	0. 57. 0	1. 12. 0
HEVELIUS		0. 14. 10	0. 16. 2	0. 19. 40
ALBATEGNIUS	♃	2. 9. 25	2. 36. 40	3. 18. 24
TYCHO		2. 14. 0	2. 45. 0	3. 59. 0
KEPLERUS		0. 30. 0	0. 38. 0	0. 50. 0
RICCIOLUS		0. 38. 18	0. 49. 46	1. 8. 46
HEVELIUS		0. 14. 36	1. 18. 2	0. 24. 22
ALBATEGNIUS	♂	0. 54. 0	1. 34. 0	6. 10. 0
TYCHO		0. 57. 0	1. 40. 0	6. 46. 0
KEPLERUS		0. 54. 0	1. 34. 0	6. 30. 0
RICCIOLUS		0. 10. 0	0. 22. 0	1. 32. 0
HEVELIUS		0. 2. 46	0. 5. 2	0. 20. 50
ALBATEGNIUS	♀	1. 49. 0	3. 8. 0	6. 42. 0
TYCHO		1. 52. 0	3. 15. 0	4. 40. 0
KEPLERUS		1. 2. 0	1. 48. 0	7. 6. 0
RICCIOLUS		0. 33. 30	1. 4. 12	4. 8. 0
HEVELIUS		0. 9. 30	0. 16. 46	1. 5. 58
ALBATEGNIUS	☿	1. 27. 21	2. 5. 20	3. 41. 45
TYCHO		1. 29. 0	2. 10. 0	3. 57. 0
RICCIOLUS		0. 9. 20	0. 13. 48	0. 25. 12
HEVELIUS		0. 4. 4	0. 6. 3	0. 11. 48

(a) Loco citato. (b) Loco supra citato. (c) In Rudolphinis f. 82. (d) In Tab. Astron. p. 27.
(e) In Tractatu de Mercurio in Sole viso f. 101.

CHRISTIANUS HUGENIUS methodo exquisitiore Diametros Planetarum apparettes inventigans deprehendit Diametrum minimam $\text{h} 30^{\circ}$, Annuli ejus $1'8''$, $2'1'4''$, $\text{d} 30^{\circ}$, $\text{f} 1'25''$. (a). Ex his Observationibus in h , 2 & f accuratissimas judicat, HEVELIUS vero Mercurii Diametrum ex eo in Sole observato elicuit.

SCHOLION.

558. Ingens discrimen inter veteres & recentiores inde oritur, quod illi, veluti ALBATEGNIUS & ipse adhuc TYCHO, nudis oculis estimaverint Diametros Planetarum; recentiores autem Tubis utantur: unde splendor spurius, quem Telescopia tollunt, eos exhibuit justo majores. RICCIOLUS equidem Telescopiis usus est, sed Micrometro caruit, sine quo aut HUGENII apparatu isti simillimo Diameter Planetarum non adeo tuto exploratur (b). Observationes itaque HUGENIANÆ & HEVELIANÆ circa & reliquis merito præferuntur; quibus adeo & nos in posterum utemur.

PROBLEMA IV.

559. Longitudinem & Latitudinem Planetæ observare.

RESOLUTIO.

1. Observetur culminatio Planetæ (§. 134) &
2. Inveniatur ejus altitudo meridiana (§. 129. 142),
3. Noteturque Temporis momentum ope Horologii oscillatorii, quod inter culminationes Planetæ atque Fixæ alicujus notæ Ascensionis rectæ intercedit.
4. Ex data altitudine meridiana Planetæ investigetur ejus Declinatio (§. 150), &

(a) In Systemate Saturnino p. 77. & seqq.

(b) Vid. Astron. Reformatæ Lib. X. Cap. I. f. 353. 354.

5. Ex tempore inter culminationes interjecto & Ascensione recta Fixæ Ascensio recta Planetæ (§. 228).
6. Tandem, cognitis Declinatione & Ascensione recta ejus, inveniatur Altitudo & Longitudo (§. 243).

SCHOLION I.

560. Quodsi distantia Planetæ à Fixa notæ Ascensionis rectæ observetur (§. 225); ejus Ascensio recta itidem inveniri potest (§. 226. 232), quamvis calculo operosiore.

SCHOLION II.

561. Hoc modo sequentia de motu Planetarum proprio patrebunt.

OBSERVATIO XXXVI.

562. Luna & Sol semper apparent directi. Sed h , 2 , d , f & g plerumque directi, interdum retrogradi, non nunquam stationarii. Planetæ superiores sunt retrogradi circa oppositionem cum Sole, duo inferiores circa conjunctionem, h stationarius fit in distantia quadrante paulo majore, 2 in distantia 120 circiter graduum, d in distantia longe majori à Sole: f & g vero semel vesperi post directionem, altera vice mane post retrogradationem, utraque statione Soli propiore digressione maxima.

OBSERVATIO XXXVII.

563. Intervalla temporis inter duas retrogradationes intercedentia inæqualia sunt: in h est unius anni circiter ac 13 dierum, in 2 anni unius & 43 dierum, in d annorum 2 , dierum 50 , in f anni unius, dierum 220 , in g dierum 115 . Nempe h est stationarius diebus 8 , 24 ; d 2 , f $1\frac{1}{2}$, $2\frac{1}{2}$ circiter; retrogradus h diebus 140 , 2120 ; d 73 , f 42 , g 22 ; directus denique

denique & diebus 243, 284, 705, 542, 93 (a). Non tamen singulae singulorum stationes, retrogradationes & directiones constanter inter se prorsus aequales.

OBSERVATIO XXXVIII.

564. *Saturnus motu retrogrado conficit arcum minorem quam Jupiter, Jupiter minorem quam Mars.*

OBSERVATIO XXXIX.

565. *Planeta omnes cum directi, tum retrogradi non eadem celeritate singulis diebus progrediuntur, estque directio superiorum celerrima in Conjunctione cum Sole, retrogradatio in Oppositione.*

OBSERVATIO XL.

566. RICHERIUS A. 1672 in Insula Cayennæ quatuor tantum gradibus ab Äquatore distante primus observavit, Horologium suum Pendulo instructum tardius moveri quam Parisiis, ita ut Pendulum simplex esset contrahendum linea una cum quadrante. Circa annum 1677 Cel. HALLEIUS reperit Horologium suum oscillatorium in Insula S. Helenæ tardius moveri, quam Londini, & Pendulum ideo brevius reddere coactus linea una cum semisse. A. 1682. D. VARIUS & D. DES HAYES longitudinem Penduli singulis minutis secundis oscillantis in Observatorio Regio esse ped. 3. lin. 8 $\frac{1}{2}$ in Insula vero Gorea ped. 3. lin. 6 $\frac{1}{2}$ & in Insulis Guadaloupa & Martinica ped. 3. lin. 6 $\frac{1}{2}$. A. 1697 D. COUPLET Ulyssippone Pendulum brevius reperit quam Parisiis lineis 2 $\frac{1}{2}$ & Paraibæ lineis 3 $\frac{2}{3}$. Annis 1699 & 1700, DES HAYES in Insulis Cayennæ &

(a) Ricciolus in Almag. Nov. Lib. VII. Sect. 5. C. 2. f. 647.

Granadæ longitudinem Penduli ad minutâ secunda oscillantis deprehendit paulo minorem quam ped. 3. lin. 6 $\frac{1}{2}$, in Insula S. Christophori ped. 3. lin. 6 $\frac{2}{3}$, in Insula S. Dominici ped. 3. lin. 7. A. 1704. P. FEUILLEUS invenit in Porto-belo in America eandem ped. 3. lin. 5 $\frac{7}{12}$, in Insula Martinica ped. 3. lin. 5 $\frac{1}{2}$. Est autem latitudo Paraibæ 6° 38' ad Austrum, Portobeli 9° 33' ad Boream, Insularum Cayennæ 4° 55' Goreæ 14° 40' Guadaloupæ 14°, Martinicæ 14° 44' Granadæ 12° 6', S. Christophori 17° 19' & S. Dominici 19° 48' ad Boream (b).

COROLLARIUM I.

567. Cum vi harum Observationum fuerit sub

Latitudine	Longitudo penduli
19° 48'	3' 7"
17 19	3 6 $\frac{3}{4}$
14 0	3 6 $\frac{1}{2}$
14 44	3 5 $\frac{1}{2}$
9 33	3 5 $\frac{7}{12}$
6 38	3 4 $\frac{8}{9}$
4 55	3 6 $\frac{1}{2}$

longitudinem Penduli ad singula minuta secunda oscillantis cum Latitudine locorum seu distantia ab Äquatore decrescere manifestum est.

SCHOOLION I.

568. Patet equidem, quasdam Observationes exhibere longitudinem Penduli in minori ab Äquatore distantia majorem, quam in majore; cum tamen omnes in eo convenient, quod in locis Äquatori vicinioribus minor, quam Parisiis existat, & pleraque, praesertim ex,

Kkk. 3

que

(b) Memoires de l'Acad. Royal. des Scienc. A. 1700 p. m. 222. &c seqq. Conf. Newtoni Princip. Philos. Natur. Mathem. Lib. III. Prop. 20 p. 418. & seqq. Edit. test.

quæ recentius data opera & majori cum cura institutæ, in decrementum regulare consipient, veritati Corollarii nostri rudiores illæ minime obstant.

COROLLARIUM II.

569. Gravitas ergo corporum minor est versus Äquatorem, quam versus Polos & cum accessu ad eundem constanter decrescit (§. 389. Mechan.).

SCHOLION II.

570. Evidem CL. DE LA HIRE cum obseruasset, virgam ferream, quæ bieme fuerat sex pedum, Soli æstivo expositam, contracato calore majore, quam qui externarum partium Corporis Humani solet, $\frac{2}{3}$ unius lineaæ factam fuisse longiorem, mutationem Penduli majori prope Äquatorem calori tribuit (a); sed bene jam monuit Vir summus NEWTONUS, quia virga Penduli in Horologio oscillatorio, quæ Soli exposita non est, calorem aqualem calori externæ superficiei Corporis Humani aqualem concipit, differentiam totam calori attribui non posse (b): id quod etiam ita visum est Celeberrimo BERNOULLIO (c).

THEOREMA VIII.

571. Motus Solis eodem modo e Tellure spectabitur, sive ipse circa Terram intra Orbitam quiescentem revera moveatur, sive Terra circa Solem quiescentem feratur.

DEMONSTRATIO.

Tab. VI. Fig. 55. Sit enim Terra in T & \odot in I: apparet is in φ . Progrediatur \odot in Orbita, quæ Terram ambit, ex I in 2; videbitur in γ . Quodsi ulterius pervernerit in 3; in II spectabitur. Atque ita secundum Signorum successionem in Ecliptica incedere videbitur è Terra.

(a) In Princ. Phil. loc. cit. p. 386.

(b) In Actis Erudit. A. 1710 p. 81. & 82.

Sit jam Terra in in I; Sol Sex eadem spectabitur in φ ; progrediatur illa ex I in 12, videbitur Sol Terricolis progredi ex φ in γ . Quodsi illa ulterius moveatur in II; videbitur Sol ulterius progredi ex γ in II & ita porro. Atque ita secundum Signorum successionem apparterer in Ecliptica incedet.

Motus ergo Solis idem e Tellure spectatur, sive ipse circa Terram, sive Terra circa Solem moveatur. Q. e. d.

THEOREMA IX.

572. Sol e Terra in gradum oppositum ei refertur, in quo ipsa ex Sole spectatur.

DEMONSTRATIO.

Patet ex Demonstrationis præcedentis parte posteriore.

THEOREMA X.

573. Si Planeta P è Tellure T Soli S oppositus spectatur, Terra inter Solem atque Planetam constituitur: si vero Planeta Q Soli S conjunctus apparet, vel Planeta inter Solem & Terram, vel Sol inter Planetam atque Terram constituitur.

DEMONSTRATIO.

Si Planeta Soli oppositus e Tellure spectatur; loca earundem in Ecliptica intervallo 180 graduum distant (§. 536). nempe si Planeta P videatur in φ , Sol in γ apparet, adeoque Planeta P versus dexteram posito, Sol versus sinistram deprehenditur, consequenter Tellus inter Solem S & Planetam P constituitur. Quod erat unum.

Si Planeta Q Soli S conjungitur, e Tellure T in eundem locum Opticum, e gr.

in uterque refertur (§. 535). Cum adeo versus eandem plagam uterque constituantur; Terra T inter Solem & Planetam media non est, sed vel Sol S, vel Planeta Q locum medium occupat. *Quod erat alterum.*

THEOREMA XI.

574. In una Conjunctione Venus atque Mercurius inter Solem & Terram, in altera subsequente Sol inter Terram & Venerem vel Mercurium constituitur.

DEMONSTRATIO.

In omni Conjunctione aut Venus & Mercurius inter Solem & Terram, aut Sol inter Venerem & Mercurium atque Terram constituitur (§. 574). Sed in una Conjunctione Venus & Mercurius ostendunt Telluri T partem sui opacam §. 539. 540) hoc est, à Sole averam N (§ 491): ergo in ea inter Solem & Tellurem constituantur. In altera Conjunctione, quæ illam proxime equitur, partem lucidam (§. 539. 540), hoc est, Soli obversam M (§. 491) pectandam exhibent: ergo tunc temporis Sol S inter ipsos atque Tellurem constituitur. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

575. In una adeo Conjunctione Venus atque Mercurius Telluri Sole propiores vistunt, in altera vero longiori intervallo eadem removentur:

THEOREMA XII.

576. Orbita Veneris atque Mercurii nlem ambit, Tellure extus constituta, orbitaque Mercurii intra Orbitam Veneris continetur.

DEMONSTRATIO.

Sit enim Sol in S, Terra in T & Conjunctione Planeta inferior inter

Tellurem & Solem in B constitutus (§. 574); inde adeo certo intervallo SC à Sole S digreditur usque in C, quod sub angulo STC è Tellure spectatur, ex C vero ad Solem regreditur (§. 538) & in altera Conjunctione, quæ in D celebratur, Sol S inter Planetam D & Tellurem T constituitur (§. 374). Post eam Planeta ex D rursus à Sole digreditur intervallo SA, quod sub angulo ATS è Terra spectatur & ex A ad Conjunctionem tertiam in B regreditur (§. 583), ubi denuo inter Solem S & Tellurem T locum occupat (§. 574). Evidens adeo est, Planetas inferiores moveri in Orbitis Solem S ambientibus, Terra vero T extra eas constituta. *Quod erat unum.*

Jam cum digressiones Veneris maximæ à Sole SC & SA sub majoribus angulis STC & STA spectentur, quam digressiones maximæ Mercurii SF & SG sub angulis STF & STG visæ (§. 537); Orbita Veneris Orbitam Mercurii comprehendit (§. 209. Optic.). *Quod erat alterum.*

THEOREMA XIII.

577. Orbita Saturni, Jovis atque Martis & Solem & Tellurem ambit; Centrum tamen à Centro Telluris longius distat.

DEMONSTRATIO.

Planetæ superiores Soli S & conjuncti in Q, & oppositi in P e Tellure T spectantur (§. 535. 536), ergo Tellus T nunc inter Solem & Planetam constituitur, nunc uterque versus eandem plagam ab ea distat (§. 573). Quare Orbita Planetarum superiorum Tellurem T ambit. *Quod erat unum.*

Tab:
VI.
Fig. 55.

Porro

Tab. Porro Planetæ superiores per Tubos
VI. circa Conjunctionem nunquam cornicu-

Fig. 57. lati apparent, adeoque illo tempore
partem sui lucidam M, hoc est, Soli
S obversam Telluri T opponunt; Sol
adeo inter Terram T & Planetam M
constituitur. Necesse igitur est, ut Orbi-
ta Planetarum superiorum Solem quo-
que S ambiat. *Quod erat secundum.*

Tab. Denique in Conjunctione Planetæ su-
VI. perioris M cum Sole S distantia TM à

Fig. 59. Terra T multo major est, quam distan-
tia in Oppositione TN, e. gr. in J,
 $TM = 8 TN$ (§. 557). Quare si in
C sit centrum adeoque $CM = CN =$
 $\frac{1}{2} TN$ in J, erit $CT = \frac{1}{2} TN$, conse-
quenter Centrum Orbitæ C à Tellure
T valde remotum. *Quod erat terium.*

THEOREMA XIV.

578. *Luna Orbita Tellurem ambit,
sed non Solem.*

DEMONSTRATIO.

In omni Conjunctione Luna lumine
cassa (§. 455), adeoque partem à So-
le aversam Telluri obvertit (§. 456),
consequenter in quocunque Orbitæ lo-
co inter Solem atque Tellurem consti-
tuitur (§. 574). Orbita ergo Lunæ
Solem non ambit. *Quod erat unum.*

Tab. Cum tamen Luna Soli opponatur
VI. (§. 455); Tellus T interdum inter Lu-

Fig. 55. nam P & Solem S consistit (§. 574),
adeoque Orbita Lunæ Tellurem ambit.
Quod erat alterum.

THEOREMA XV.

579. *Si Planeta motu vertiginis ab
Occasu versus Ortum intervallo aliquot
horarum movetur; Sol, cum Luna, Pla-*

*netis reliquis & omnibus Fixis, motu
contrario, intervallo eodem, circa ipsum
revolvi videtur.*

DEMONSTRATIO.

Sit enim stella M in Zenith Planeti-
colæ in T constituti & rotetur Planetæ
T ab Occasu versus Ortum circa Axem
suum: aliquo igitur temporis spatio
elapso, ad Zenith ipsius T perveniet
Sol S, hinc Stella I, inde N, ulterius
Luna L, tandemque denuo Stella M
puncto Planetæ T imminebit. Planeti-
colis adeo Sol S, cum Luna L & Stellis
I, N, M &c. motu contrario circa Pla-
netam, quem inhabitant, moveri vide-
tur (§. 366. *Optic.*) Q. e. d.

COROLLARIUM I.

580. Cum Planetæ tam superiores, quam
inferiores circa Axem rotentur (§. 496.
498; Planeticolis quibusvis Sphæra mun-
dana cum omnibus Stellis atque Sole cir-
ca Planetam, quem inhabitant, ab Ortu
versus Occasum moveri videtur, dantur
que adeo, ob hunc motum Solis apparen-
tem, in Planetis singulis dierum atque noc-
tium vicissitudines.

COROLLARIUM II.

581. Si Tellus, cui Planetæ omnes simi-
les (§. 525), ipsorum instar viginti qua-
tuor horarum spatio circa Axem rotetur,
Cœlum cum Sole, Luna ac Stellis univer-
sis, eodem temporis spatio, ab Ortu in Oc-
casum circa eandem moveri videtur.

THEOREMA XVI.

582. *In Corporibus mundi totalibus,
qua motu vertiginis gaudent, corporum
partialium Gravitas versus Äquato-
rem cum distantia ab eodem continuo
decrescit.*

DEMONSTRATIO.

Dum enim motu vertiginis abripiuntur; à Centro Corporis totalis C recedere conantur (§. 617. *Mechan.*), consequenter cum Äquator QR Circulus maximus (§. 48), paralleli autem versus Polos continuo decrescant (§. 41. *Spheric.*), Vis centrifuga in Äquatore QR maxima, in Parallello AP minor, versusque Polum continuo decrescit in ratione Diametrorum Parallelorum ad Diametrum Äquatoris (§. 623 *Mech.*). Sed Vi gravitatis Corpora partialia ad Centrum totalis nituntur (§. 213. *Mechan.*), adeoque Vis centrifuga Gravitati contraria. Quare cum illa huic resistat (§. 20. *Mechan.*), [neque enim adversus Gravitationem prævalet, quia alias Corpora partialia à Centro totalis dispergerentur] descensum Gravium retardare debet (§ 72 *Mechan.*), maxime qui dem sub Äquatore, minus vero in Parallelis. Patet adeo Gravitationem versus Äquatorem cum distantia ab eodem continuo decrescere. Q. e. d.

SCHOLION.

§83. Supponitur nempe, Vim gravitatis per se esse uniformem, utpote quæ materia coherent proportionalis deprehenditur (§. 112. *Mechan.*).

COROLLARIUM.

§84. Quodsi adeo Tellus motu vertiginis movetur, Gravitas versus Äquatorem cum distantia locorum ab eodem continuo decrescere, & sub Äquatore minima, sub Polis maxima esse debet.

THEOREMA XVII.

§85. Si Terra motu annuo circa Solem feratur; Planetæ inferiores infra annos Wolfii Oper. Mathem. Tom. III.

ni spatum una cum Sole circa ipsam moveri videntur, dum interea suas circa Solem revolutiones in equalibus temporibus absolvent, & circa Conjunctionem retrogradi apparent.

DEMONSTRATIO.

Si Terra circa Solem motu annuo movetur, Orbitam suam peragrat intervallo 365 dierum (§. 27). Sed Mercurium circa Solem revolvi intervallo 87 circiter dierum, inferius independenter ab his constabit. Est itaque motus Terræ ad motum Mercurii fere ut 1 ad 4, consequenter dum § integrum revolutionem absolvit, Terra nonnisi quartam Orbitæ sive partem conficit. Dividatur ergo Orbita Mercurii in 8 partes æquales & Orbitæ Telluris quadrantes dividantur singuli in totidem alias. Sit iam Mercurius in 1 & Terra in T 1, videbitur ex terra § in a. Prægrediatur Terra in 2, & similiter in 2, qui ex illa apparebit in b. Promoveatur Terra in 3, § quoque in 3: videbitur is in c, hactenus adeo directus apparet. Procedat Terra in 4 & § itidem in 4 properans ad conjunctionem cum Sole: conspicietur is in d, consequenter lente progreditur. Conjungatur § Soli in 5, Terra etiam in 5 existente: videbitur is in e, adeoque retrogradus. Accedat § in 6, Tellus itidem in 6: videbitur is in f, retrogradationem continuans. Perveniat § usque in 7, Terra itidem in 7: apparebit is in g, adeoque denuo directus. Sit § in 8, Terra in 8: conspicietur is in h, directus adhuc. Quodsi hac ratione §

Tab.
VI.
Fig. 61.

Tab. in sua Orbita & Tellurem itidem in sua
 VI. ulterius promoveas, donec hæc resti-
 tuatur in T, Mercurius successive spec-
 Fig. 61. tabitur in i, k, l, m, n, o, p, q, r, s, t, u,
 x, y, z, A, B, C, D, E, F, G, H, I,
 adeoque intra spatum annum cum
 Sole (§. 27), totum Zodiacum emetiri
 videtur, ita ut circa singulas conjunc-
 tiones cum Sole retrogradus fiat: quæ
 singula manifesta sunt, si per cogno-
 mina Puncta Orbitarum Telluris atque
 rectas ducas, confusionis evitandæ &
 spatii lucrandi gratiâ hic omissas. Nec
 absimili modo idem de Venere ostendi-
 tur. Q. e. d.

COROLLARIUM.

586. Intra annum adeo $\frac{1}{2}$ ter fit retro-
 gradus: nec absimili modo patet, $\frac{1}{2}$ non-
 nisi semel intra 19 menses retrogradam
 fieri.

THEOREMA XVIII.

587. Si Terra circa Solem motu an-
 nuo feratur; Planeta superiores fient
 retrogradi circa Oppositionem & Telluri
 multo propiores erunt quam in Conjunc-
 tione cum Sole.

DEMONSTRATIO.

Tab. Quoniam Orbitæ Planetarum supe-
 VII. riorum Tellurem ambiant (§. 577),
 Fig. 62. Orbita Telluris intra illorum Orbitas
 continetur. Sit adeo Circulus intimus Or-
 bita Telluris in 12 partes æquales divisus;
 medius vero designet Orbitam Jovis,
 extimus terminetur in superficie Sphæ-
 ræ mundanæ. Quia motus $\frac{1}{2}$ est ad mo-
 tum Telluris, ut 1 ad 12 (§. 138), duode-
 cima Orbitæ $\frac{1}{2}$ pars perinde ac Orbita
 Telluris in 12 partes æquales dividatur.
 Sit jam Terra in 1, $\frac{1}{2}$ itidem in 1: vi-
 debitur is in a. Progrediantur Terra

& $\frac{1}{2}$ in suis Orbitis ex 1 in 2; appare-
 bit hic in b: utroque autem in 3 consti-
 tuto, in c videbitur. Promoveantur
 Terra & $\frac{1}{2}$ in 4, ac inde porro in 5:
 spectabitur hic in priore casu in d, in
 posteriore in e. Hactenus adeo direc-
 tus videtur. Tendat jam Tellus in 6 &
 Planeta perveniat in 6 Soli S mox op-
 ponendus: videbitur hic in f, adeo-
 que retrogradus. Perveniat uterque in
 7, ubi oppositio cum Sole contingit
 (§. 536): $\frac{1}{2}$ in g cernetur, retrograda-
 tionem continuans. Similiter utroque
 ad 8 promoto, $\frac{1}{2}$ retrogradus spectabi-
 tur in h. Utroque ad 9 translato, $\frac{1}{2}$
 iterum directus videbitur in i, & ita
 porro. Eodem modo ostenditur, $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{2}$
 retrogrados fieri in oppositione cum So-
 le. Quod erat unum.

Sit Planeta in A, Tellus in V: vide-
 bitur is Soli S conjunctus (§. 535), tum-
 que distantia ejus à Terra est AV. Sit
 ut ante Planeta in A, Tellus vero in
 T: apparebit is Soli oppositus (§. 536),
 tumque distantia ejus à Terra est AT.
 Quare cum differentia inter distantiam
 priorem AV & posteriorem AT sit in-
 tegra Diameter Orbitæ Telluris TV;
 Planeta superior quilibet Telluri multo
 propior est in Oppositione, quam in
 Conjunctione cum Sole. Quod erat al-
 terum.

COROLLARIUM I.

588. Quia Saturnus tardius Jove, Jupi-
 ter tardius Marte movetur (32.33.34); Tel-
 lus à Saturno digressa citius ad eum redit
 quam ad Jovem & ad Jovem citius quam ad
 Martem. Quare cum Planeta A Soli S op-
 ponatur, si Terra ad eum accedit (§. 573);
 Saturni retrogradationes frequentiores
 sunt.

sunt quam Jovis & Jovis frequentiores quam Martis.

COROLLARIUM II.

589. Quoniam motus $\dot{\theta}$ ad motum Terra est ut 1 ad 30 (§. 32), dum Terra integrum Orbitam percurrit, $\dot{\theta}$ trigesimam circiter suæ partem seu 12 gradus confecit. Quare cum Terra singulis fere diebus gradum unum emetiatur, antequam Saturnum, à quo digressa, iterum assequatur, ultra annum spatium 12 fere elabantur dies necesse est, consequenter spatium temporis inter duas retrogradationes $\dot{\theta}$ intercedens erit circiter unius anni ac dierum 12. Nec absimili modo ostenditur, inter duas retrogradationes $\dot{\theta}$ interjici spatium temporis aliquanto majus anno uno ac mense uno, inter duas Martis vero biennium circiter.

THEOREMA XIX.

590. Orbita Martis Telluri propior, quam Orbita Jovis & hac eidem propior quam Saturni Orbita: Orbita Luna denique est omnium proxima.

DEMONSTRATIO.

Mars enim Jovem, Jupiter Saturnum, Luna Planetas omnes superiores Oculo in Terra constituto tegere potest (§. 541). Mars igitur inter Jovem & Tellurem, Jupiter inter Martem & Saturnum intercedit, Luna vero Telluri proxima, adeoque Orbita Martis propior est quam Orbita Jovis, hæc vero propior Orbita Saturni, Lunæ autem Orbita omnium proxima. Q. e. d.

THEOREMA XX.

591. In Hypothesi Terræ motæ, Saturnus diutius est retrogradus quam Jupiter & hic diutius quam Mars.

DEMONSTRATIO.

Illud attendentibus ad Demonstrationes superiores satis patet, si Planeta

Tab:
VI.
Fig. 63.

superior in F tempore retrogradationis apparentis immotus foret, Puncta stationum fore eadem cum Punctis C & D, in quibus Radii ex Planeta in Centrum Telluris ducti Orbitam ejus tangunt. Ducatur etiam Tangens GA à Planeta remotiore, qui necessario ultra D cadet (§. 23. *Analys. infinit.*). Foret ergo arcus AEB, quem Terra emetiretur in retrogradatione Planetæ remotioris G major arcu CD, quem durante retrogradatione propioris F conficit. Quare cum Saturnus longius distet à Terra quam Jupiter & Jupiter longius quam Mars (§. 590); major arcus Orbitæ Telluris retrogradationi Saturni quam Jovis & major retrogradationi Jovis quam Martis responderet. Etsi vero Planetæ interea, dum retrogradi ex Tellure spectantur, in Orbita sua progrediantur, adeoque arcus Orbitæ Telluris retrogradationibus eorum respondentibus fiant minores prout ex attenta consideratione Demonstrationum superiorum perspicere datur: cum tamen motus $\dot{\theta}$ sit tardior motu $\dot{\theta}$ motusque $\dot{\theta}$ tardior motu $\dot{\theta}$ (§. 32. & seqq.), Puncta stationum, quæ arcum supradictum determinant, à Punctis contactuum minus distabunt in Saturno quam in Jove, & in Jove minus quam in Marte, adeoque arcus ille major adhuc erit pro Saturno, quam pro Jove & major pro Jove, quam pro Marte; consequenter cum Terra in arcu majore diutius commoretur quam in breviore, retrogradationes Saturni erunt diutiniores quam Jovis & Jovis diutiniores quam Martis. Q. e. d.

THEOREMA XXI.

592. In Hypothesi Terra mota, Saturnus per minorem arcum quam Jupiter & Jupiter per minorem quam Mars retrogreditur.

DEMONSTRATIO.

Si Planeta superior G, cum retrogradus videtur, immotus staret, arcus Orbitæ AB per quem Tellus durante retrogradatione incederet, inter tangentes GB & GA interciperetur, foretque pro Planeta remotiori G major quam pro viciniori, ne mpe AEB > CED, quemadmodum modo ostendimus (§. 591). Quare cum HD & HA sint ad FD & GA perpendicularares (§. 304. Geom.) & angulus EHD < EHA (§. 84. Arithm.); erit HFD > HGA (§. 241. Geom.), consequenter CFD > BGA. Quoniam itaque rectæ FL & FM magis divergent rectis GN & GO, majorem quoque arcum inter Fixas comprehendunt, hoc est; Planeta vicinior F per maiorem arcum LM retrogreditur, quam remotior G per NO. Jam cum Planeta tardius Tellure progrediatur, perinde est ac si ille quiesceret, hæc vero excessu celeritatis suæ supra celeritatem Planetæ moveretur (estimatur autem hic celeritas ex motu angulari circa Solem), motus enim Planetæ non nisi tempus retrogradationis abbreviat, seu arcus CD & AB minores efficit, ceu patet ex Demonstratione præcedente. Quare Planeta vicinior etiamsi secundum Signorum successionem in Orbita sua incedat, per maiorem arcum retrogredi videtur, quam remotior si-

mili motu latus, adeoque $\frac{1}{5}$ per arcum minimum, $\frac{1}{4}$ per mediocrem, $\frac{3}{5}$ per maximum retrogreditur (§. 591). Q. e. d.

SCHOLION.

593. Rudis hæc Phænomenorum motus proprii Planetarum determinatio ad præsens institutum sufficit: ex subsequentibus autem, ubi Planetarum Theoriam tradiderimus, distinctius constabit, quod supposito motu Telluris circa Solem exactissime omnium iisdem satisfiat, ita ut ipse RICCIOLUS Tabulas Astronomicas condituras, quæ Observationibus responderent, ad motum Telluris, quem ex decreto Inquisitorum Scripturæ Sacrae adversum profitebatur & acriter impugnabat, tanquam ad sacram anchoram confugere teneretur (a). Ita sane DECHALES in Casu simili ejus vestigia lecturus (b): „P. „RICCIOLUS inquit, licet ab Hypothesi „Copernicana esset valde alienus eamque „pro viribus fuisset infectatus, nullas „tamen Tabulas aptare potuit, quæ me- „diocriter Observationibus responderent, „nisi secundum Systema Terræ motæ, „quamvis inusitata advocasset subsidia, „Epicycloque mutabiles perpetuoque in- „cremente & decremento obnoxios, va- „rieque ad Eclipticam inclinatos adhi- „buisset. Unde in sua Astronomia Re- „formata, in qua Tabulas motuum Cœ- „lestium accuratissimas, omnibusque Ob- „servationibus accommodatas se daturum „promiserat, in Hypothesin Terræ motæ „relabitur.

THEOREMA XXII.

594. Si Terra motu annuo circa Solem revolvitur, nec Diameter Orbitæ ejus ad distan-

(a) Vid. Astron. Reformatæ Lib. X. C. 1. f. 353. 354.

(b) In Mundo Mathem. Tom. 4. Astron. Lib. VI. Prop. 55. fol. 551. 552.

distantiam Fixarum à Terra habeat rationem insensibilem; distantia Fixarum, cum inter se, sum etiam à Vertice; non omni tempore eadem, in specie. Stella Polaris distantia à Vertice in Solstitiis alia, quam in Äquinoctiis.

DEMONSTRATIO.

Si duæ Stellaræ A & B Eclipticæ vicinæ, & earum altera A in oppositione cum Sole S, videbitur distantia earundem sub angulo BCA (§ 536). Quod si eadem A fuerit in coniunctione cum Sole S, spectabitur distantia sub angulo BDA (§. 535). Sed si CD ad CA habeat rationem sensibilem; erit BCA > BDA (§. 188. Geom.). Distantia igitur Stellarum B & A diverso anni tempore varia existit. *Quod erat unum.*

Si Stellaræ M & N fuerint extra Eclipticam seu procul ab ea sitæ; Tellure in T existente, videbuntur sub angulo MTN, & illa in V constituta sub angulo MVN. Quod vero non in omni situ Telluris anguli MTN & MVN æquales esse possint vel exinde liquet, quia angulo MTN invariato, angulus MVN vel major, vel minor evadit, prout Stella N vel n puncto T vel propior vel ab eo remotior supponitur. *Quod erat alterum.*

Quoniam elevatio Poli non mutatur diversis anni temporibus (§. 147); Tellus in Orbita circa Solem ita incedere debet, ut Axis ejus sit constanter Axi Sphæræ mundanæ, hoc est, sibi ipsi Parallelus, adeoque motu annuo Polus Telluris Circulum quendam describit, eodemque modo patet, Polum Eclipticæ n Tellure designatum itidem Circulum

alium describere debere. Sit ergo M Tab. VI. Polus Eclipticæ respectu Solis, P Polus Mundi respectu ejusdem, & Circuli Fig. 66. acbd & ACBD designent eos, quos Polus Eclipticæ & Polus Äquatoris Terrestris describunt. Sit porro PM arcus Coluri Solstitiorum æqualis distantiae Poli Eclipticæ à Polo Mundi & adeo in A oꝝ, in B oꝝ (§. 186). Fiat angulus PMS distantiae Stellaræ Polaris à principio Canceris quoad longitudinem, recta MS distantiae ejusdem à Polo Eclipticæ æqualis: erit in S Stella Polaris. Quando Terra est in Ariete, Polus ejus erit in C; quando vero in oꝝ, idem in A erit (§. 168): in priori adeo casu distantia Stellaræ Polaris à Polo SC, in altero SA. Est vero SC < SA (§. 302. Geom.): distantia ergo Stellaræ Polaris non omni anni tempestate eadem, si Diameter Orbitæ Telluris ad distantiam Fixarum habuerit rationem sensibilem: alias enim DC videbitur ex Tellure sub angulo insensibili, adeoque multo magis differentiæ rectarum ex S ad alia purgata Peripheriæ ACBD ductarum & distantia SC sub angulo insensibili comprehendentur. *Quoꝝ erat tertium.*

COROLLARIUM.

595. Tellure in T constituta, Stella n videtur cum N una eademque: sed ubi illa ad V pervenit, distabit à N aliquo inter- Tab. VII. vallo. Unde in Hypothesi Terræ motæ fieri potest, ut una Stella certo anni tempore appareat in duas aut plures divisa. Fig. 65.

DEFINITIO X.

596. Si Fixa ex duobus diversis locis, veluti quæ Terra motu annuo circa So-

lem lata diverso tempore in Orbita sua occupat, spectatur; differentia locorum Opticorum dicitur *Parallaxis Fixarum*. Vocatur autem *Parallaxis absoluta* differentia locorum Opticorum ejusdem Fixæ ex Centro Solis & Centro Terræ spectatæ, vel angulus, qui intercipitur rectis ex Centro Solis & Centro Terræ in Centrum Fixæ ductis. Quæ ex Parallaxi absoluta in Latitudinem & Longitudinem Fixæ ex Centro Solis ac Centro Terræ spectatæ, nec non in ejusdem Declinationem atque Ascensionem rectam redundat differentia, *Parallaxis Latitudinis, Longitudinis, Declinationis* atque *Ascensionis rectæ* appellatur.

THEOREMA XXIII.

Tab. 597. Si distantia Solis à Terra CS
V. I. ad distantiam Fixæ ab eadem BC ratio-
Fig. 64. nem sensibilem habuerit; Parallaxis ab-
soluta CBS sensibilis, nec toto anni tem-
pore eadem; maxima vero, ubi angulus
ad Terram maximus.

DEMONSTRATIO.

Etenim ut distantia Solis à Terra CS ad distantiam Fixæ ab eadem CB, ita Sinus anguli Parallactici SBC seu Parallaxis Fixæ absolutæ ad Sinum anguli BSC (*§.33. Trigon.*). Quodsi ergo CS ad CB rationem sensibilem habet, Sinus etiam Parallaxeos Fixæ absolutæ ad Sinum anguli BSC, consequenter etiam ipsa Parallaxis absoluta Fixæ ad angulum BSC rationem sensibilem habere debet. Quamobrem cum Sinus anguli BSC ad Sinum anguli BCS sit, ut distantia Fixæ à Terra ad ejusdem distan-

tiam à Sole, adeoque angulus BSC admodum sensibilis esse debeat (*§.541*); Parallaxis quoque Fixæ quin sensibilis esse debeat dubitari nequit. *Quod erat primum.*

In omni puncto Orbitæ cum sit ut Sinus anguli ad Terram BCS ad distantiam Solis à Fixa, ita Sinus Parallaxeos absolutæ CBS ad distantiam Solis à Terra (*§.33. Trigon.*); erit Sinus anguli ad Terram ad Sinum Parallaxeos absolutæ, ut distantia Solis à Fixa ad distantiam ejus à Terra (*§.173. Arithm.*). Jam in Hypothesi Terræ motæ, Centrum Solis in S quiescit, adeoque distantia à Fixa BS eadem semper est (*§. 11. Astron. & §. 170. Geom.*). Quoniam vero ex inferius sequentibus clarius patebit, in praesenti negotio Orbitam Solis sumi posse Circularem & Solem in ejus Centro supponi; consequenter distantia quoque Solis à Terra eadem censeri potest (*§.40. Geom.*); in duobus quibuscunque Orbitæ Punctis Sinus Parallaxium absolutarum ejusdem Fixæ erunt inter se ut Sinus angularum ad Terram (*§ 167. Arith.*). Jam cum per Observationes constet, si qua detur sensibilis Parallaxis, eam tamen valde exiguum esse debere, Sinus vero angularum exiguum sunt ut ipsi Sinus; Parallaxes absolutæ ejusdem Fixæ, in duobus quibuscunque Punctis Orbitæ Telluris, erunt ut Sinus angularum ad Terram (*§.cit. Arithm.*); consequenter cum anguli ad Terram non sint ejusdem quantitatis, atque adeo nec eorumdem Sinus inter se æquales; Parallaxis absoluta Fixæ ejusdem toto anni tempore eadem non est. *Quod erat secundum.*

Angu-

Angulus ad Terram vel rectus esse debet, vel acutus, vel obtusus (§. 66. Geom.). Quamobrem cum Sinus totus, qui Sinus anguli recti est (§. 2. Trigon.), sit omnium Sinuum maximus (§. 6. Trigon.), & Parallaxes absolutæ Fixæ ejusdem in diversis Orbitæ Telluris punctis sint inter se ut Sinus angulorum ad Terram per demonstrata; Parallaxis absoluta maxima erit, ubi angulus ad Terram rectus. *Quod erat tertium.*

COROLLARIUM.

598. Quoniam Parallaxes Latitudinis, Longitudinis, Declinationis & Ascensionis rectæ à Parallaxi absoluta pendent (§. 596); singulæ quoque toto anni tempore eadem non sunt; consequenter si Parallaxis quædam Fixarum absoluta sensibilis datur, Latitudo quoque, Longitudo, Declinatio & Ascensio recta ejusdem Fixæ toto anni tempore non erit eadem.

SCHOLION.

599. *Qua lege Latitudo, Longitudo, Declinatio & Ascensio recta ob Parallaxin Fixarum mutetur, jam non inquirimus, cum paucis Theoria ista tradi non possit.* Dedit eam Astronomus eximus EUSTACHIUS MANFREDIUS (a), apprime necessariam, ut intelligatur, num detur aliqua Fixarum Parallaxis si qua in Declinatione, Ascensione recta, Latitudine ac Longitudine annua mutatio observetur. Neque enim ex qualibet variatione annua colligi potest Parallaxis Fixarum; sed necesse est eam sequi Parallaxeos legem annuam; quod ubi non observaveris, fieri poterit ut Parallaxin aliquam Fixis sensibilem tribuas, quæ tamen ipsis competere nequit. *Quid hactenus circa eam observandam moliti fuerint Astronomi & quem successum habuerit ipsorum studium, nostrum est exponere.*

(a) In Tractatu De annuis Stellarum inerrantium aberrationibus,

OBSERVATIO XLI.

600. ROBERTUS HOOKEIUS per Telescopium 86 pedum perpendiculariter erectum primus observavit Stellam lucidam in capite Draconis ipsi Zenith Collegii Greshamensis, quod Londini est; 27" circiter vel 30" in Solsticio Brumali propiore, quam in Aestivo (b). Observavit An. 1669. d. 6. Julii distantiam à Vertice Septentrionem versus 2° 12", d. 9. Jul. 2° 12", d. 6. Aug. 2° 6", d. 21. Octobr. 1° 48" vel 50" (c). Has Observationes cum lege annua Parallaxeos Fixarum ad amissim conspirare, ut mireris in re tam delicata consensum, demonstravit MANFREDIUS (d).

OBSERVATIO XLII.

601. Post HOOKIUM ab A. 1689. usque ad A. 1697. ope Quadrantis muralis pedum 6 cum unciis octo variationes distantiae Stelle Polaris à Vertice observavit Cel. FLAMSTEEDIUS (e): ex quibus eti Parallaxin Fixarum inferret Astronomus summus, eas tamen ab annua Parallaxeos hujus lege abhorre & privatis literis ipsum docuit ROEMERUS (f) & publice demonstravit CASSINUS filius (g), atque DAVID GREGORIUS aliam variationis hujus causam allegat (h), ob quam Parallaxin inde-

(b) Vid. Tractatus Anglicus, cui Titulus; *An attempt to prove the motion of the Earth.*

(c) Vid. Epistola Flamstedii apud Wallisium Vol. III. f. 107. & seqq.

(d) Loc. cit. C. 8. p. 61. 62.

(e) Vid. Epistola laudata apud Wallisium.

(f) Vid. Horrebowii Copernicus triumphans C. 2. p. 6.

(g) Memoires de l' Acad. Roy. des Scienc. A. 1699. p. m. 107.

(h) In Elem. Astron. Phys. & Geom. Lib. IV. Prop. 55. Schol. f. 275.

inde illatam suspectam reddit. Eandem aberrationem Stellæ Polaris jam ante observaverat PICARDUS in Itinere Uraniburgico; sed cum attentius eandem examinaret, eam aliunde quam à Parallaxi annua pendere agnoverit (a).

OBSERVATIO XLIII.

602. JACOBUS CASSINUS A. 1714. Telescopio simplici trium pedum in Plano Meridiani immobiliter posito variationes altitudinum Sirii observavit (b). Inter altitudinem maximam, quæ d. 9. Julii norata, & minimam, quæ d. 29. Decembris deprehensa, differentia 11" observata. A d. 9. Julii autem usque ad d. 5. Octobr. altitudo maxima decrevit 5' 30". Etsi autem HALLEIUS (c) observationes istas suspectas reddere conetur; eas tamen cum lege Parallaxeos Fixarum annua consenire demonstrat MANFREDIUS. (d).

OBSERVATIO XLIV.

603. MARALDUS A. 1704 & 1705. differentias Ascensionum rectarum à Sphærio ad Arcturum observavit, quas ad MANFREDIUM A. 1707. misit. Eas cum propriis A. 1727 & A. 1728. habitis exhibit MANFREDIUS (e), & cum lege Parallaxeos annua Fixarum confert. Harum aliquas cum eadem consentire,

(a) Mém. de l' Acad. Roy. des Scienc. loc. cit. Conf. Manfredi loc. cit. p. 63. 64.

(b) Mémoires de l' Acad. Roy. des Scienc. A. 1717. p. m. 330.

(c) Philosophic. Transact. num. 364. p. 1. & seqq.

(d) Loc. cit. p. 65. 66.

(e) Loc. cit. c. 2. p. 71. & 72.

alias magis dissentire deprehendit, quam quis suspicari poterat.

OBSERVATIO XLV.

604. Jam ante MARALDUM ab Anno 1692 ex temporibus, quæ inter transitus duarum Stellarum per Meridianum intercedunt. variationes Ascensionis rectæ elicuit OLAUS ROEMERUS & ejus exemplo excitatus Observationes istas postea continuavit HORREBOVIUS ac inde cum ROEMERO Parallaxin annuam fixarum determinat 30" seu scrupuli primi dimidii (f). Enimvero MANFREDIUS (g), qui & ipse istiusmodi Observationibus A. 1728 & 1729. vacavit, non modo illorum Observationes suis prorsus contrarias deprehendit, verum etiam easdem à Lege Parallaxeos annua prorsus dissentire evicit.

OBSERVATIO XLVI.

605. Tandem JACOBUS BRADELIUS (h) summo studio & Instrumentis exquisitissimis variationes Declinationis annuas in 20 Stellis scrutatus est, cumque eas nullo modo per Parallaxin annuam representari posse animadverteret, eas admirando prorsus inter Observationes & Hypothesin consensu, per novam aberrationis legem exhibuit, quam à successiva Luminis propagatione motuque Telluris annuo simul deduxit, scilicet quod Terra interea temporis pro-

gredi-

(f) In Copernico Triumphantē C. 5. §. 26. p. 24.

(g) In Commentariis Bononiens. Scientiar. & Art. Institut. p. 612. & seqq.

(h) Philos. Transact. num. 406. p. 637. & seqq.

greditur, dum Lumen à Fixa ad Oculum Observatoris propagatur. M A N F R E D I U S (a), Hypotheseos Bradleianæ, quam dilucide exponit, cum aberrationibus Ascensionalibus consensum scrutatus invenit, non omnia quidem ad amissim quadrare, in plerisque tamen Stellis multo sane majorem cum hac Hypothesi, quam cum annuis Parallaxibus consensum reperit, ac in quibusdam tam manifestum, ut minime casui atscribi posse videatur, et si causas Physicas à BRADLEIO allatas minime probet.

C O R O L L A R I U M I.

606. Quoniam variationes Annuae Declinationis ac Ascensionis rectæ Fixarum hactenus observatae cum lege Parallaxeos annua non prorsus consentiunt, et si quædam earum ab eadem non abhorreant; à vero aberrarunt, qui exinde Parallaxin Fixarum annuam inferre ausi.

S C H O L I O N I.

607. Unde porro patet, falli etiam eos, qui motum Telluris annum per Parallaxin Fixarum demonstratum esse contendunt.

C O R O L L A R I U M I I.

608. Cum variationes Fixarum, quas in Declinatione & Ascensione recta subeunt, in paucis scrupulis secundis observentur, nullæ autem observentur Parallaxes annuae; evidens est, Parallaxin annua Fixarum, si Hypothesis Terræ motæ sit vera, duobus scrupulis secundis minorum esse debere, adeoque in proxima Fixa non posse unico scrupulo secundo majorem assumi.

S C H O L I O N I I.

609. Observantur Declinationes & Ascensiones rectæ Fixarum (§. 150.228) ac inde Latitudines & Longitudines calculo definiuntur (§. 243). Quamobrem & aberrationes Fixarum, quoad Declinationes & Af-

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

(a) In Comentarij Bononiensi, p. 628. & seqq.

censiones rectas, tantummodo obseruantur; neglectis iis, quæ ad Longitudinem & Latitudinem spectant.

S C H O L I O N I I I.

610. Interest autem rei Astronomicæ, ut aberrationes istæ Fixarum annuae Observorum cura ad liquidum perducantur, non modo ut inde Catalogi Fixarum emendentur, verum etiam ut loca Planetarum ex Observatione reëlius determinentur & motus ipsorum accuratius constituantur.

T H E O R E M A X X I V.

611. Si Terra quiescit, & Sol cum Stellis universis circa Tellurem motu diurno revolvitur; Sidera remotiora celerius, viciniora tardius circa Tellurem revolvuntur.

D E M O N S T R A T I O.

Stellæ nimirum omnes duplici motu moveri videntur, altero ab Ortu versus Occasum, altero ab Occasu in Ortu (§. 21. 30), cum vero impossibile sit, ut Stella, dum ab Ortu in Occasum progreditur, eodem tempore ab Occasu in Ortu promoveatur; si motus ab Ortu in Occasum est verus, alter ab Occasu versus Ortu erit tantum apparenſ, ortus nempe ab inaequali motus diurni celeritate. Ponamus enim Lunam cum Fixa aliqua hodie culminare: quoniam Luna, ex Hypothesi, tardius movetur quam Fixa ab Ortu in Occasum, ubi crastina die Fixa ad Meridianum accedit, Luna adhuc inde versus Ortu distabit, adeoque à Fixa versus Ortu discessisse putatur, videturque motus proprius ob majorem à Fixa distantiam tanto celerior, quo communis tardior. Cum adeo Lunæ motus proprius omnium celerrimus (§. 24), in Sole multo tardior (§. 26)

& inde usque ad Fixas continuo decrescat (§. 32. & seqq.), in quibus tandem omnium tardissimus appetet (§. 256); necesse est motus communis in Fixis sit omnium velocissimus, in h multo tardior, in z multo adhuc tardior & ita porro, tandemque in Luna omnium tardissimus. Distantia vero Fixarum à Tellure major quam Planetarum omnium, Saturni major quam Jovis, Jovis major quam Martis, Martis plerumque major quam Solis, Solis denique major quam Lunæ (§. 541), adeoque remotiora Sidera celerius, viciniora tardius circa Tellurem revolvuntur. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

612. Quoniam remotiora Sidera Peripherias majores describunt vicinioribus (§. 412. *Geom.*), & celerius tamen circa Tellurem revolvuntur (§. 611); Peripheriae majores breviori tempore describuntur minoribus.

COROLLARIUM II.

613. Motus ergo viciniorum tardior, quam remotiorum.

SCHOLION.

614. *Hæc inconcinnitas vitatur in Systemate Terræ motæ, ubi multo convenientius quilibet Planeta tanto majus temporis spatium in Orbita sua motu annuo circa Solem emetenda insumit, quo amplior extiterit.*

THEOREMA XXV.

615. *Si Terra quiescit & Sidera motu communi circa eam revolvuntur; immati celeritate feruntur.*

DEMONSTRATIO.

Inferius independenter ab his ostendetur, distantiam Lunæ à Terra mediocrem esse minimum 57 Semidiametrorum Terrestrium, hoc est, quia Semi-

diameter Terrestris est 860 milliarium Germanicorum, ut in *Geographia demonstratum*, 49020 milliarium Germanicorum. Quoniam itaque Peripheria Circuli diurni Lunaris 307845 milliarium existit (§. 429. *Geom.*); Lunæ motus horarius erit 12827 milliarium & singulis minutis secundis, hoc est intervallo minore, quam quod unico arteriæ pulsu metiri liceat, millaria tria cum quinque partibus nonis & amplius, Luna conficit, utut tardissime omnium lata (§. 611). Patebit ulterius inferius, Solis distantiam à Terra mediocrem esse 22000 Semidiametrorum Terrestrium seu 18920000 milliarium Germanicorum, adeoque spatium Solis diurnum, quando in *Æquatore* existit, 118817600 milliarium (§. 429. *Geom.*). Intervallo itaque unius minuti secundi, hoc est, intra Oculi noctum, Sol spatium conficit 1375 milliarium Germanicorum. Patebit præterea distantiam Solis à Terra esse ad distantiam Martis fere ut 1 ad $1\frac{1}{2}$, ad distantiam Jovis ut 1 ad $5\frac{1}{4}$, ad distantiam Saturni ut 1 ad 9. Quare cum spatia diurna (§. 429. *Geom.*), adeoque & reliqua quæcunque eodem tempore descripta, in eadem ratione existant (§. 171. *Arithm.*); & unico Oculi noctu, progredietur 2062, z 7219, h denique 12375, millaria Germanica. Et quoniam Fixæ longiori multo intervallo quam h à Terra distant (§. 541); motus Fixarum in *Æquatore* aut prope eundem constitutarum, multo velocior erit motu Saturni. Apparet adeo admissa quiete Telluris, Sidera celeritate incredibili circa eam revolvi debere. *Q. e. d.*

SCHOLION.

616. Evidem TYCHO DE BRAHE, qui Terræ quietem, præjudiciis quibusdam inductus, defendit, distantiam Solis à Terra, consensu omnium Astronomorum recentiorum, observationes suo loco adducendas, justo minorem facit, ita ut distantia Fixarum ipsi sit 14000 Semidiametrorum Terrestrium adeoque multo minor distantia Solis à Terra à nobis vi Observationum recentiorum & accuratiorum assumta; sed admissa illa Fixarum distantia extra controversiam justo minore, spatum à Fixa prope Äquatorem constituta, unico noctu Oculi, confectum est 875 milliarium Germanicorum, utique adhuc enorme, et si sputium à Luna confectum sit tolerabile.

THEOREMA XXVI.

617. Si Terra quiescit & Sidera motu communi moventur; singuli Planetæ singulis diebus Spiræ singulas describunt, usque ad certum terminum versus Boream excurrentes & inde rursus ad terminum oppositum versus Austrum recurrentes, nunc ampliores, nunc arctiores.

DEMONSTRATIO.

Singulorum enim Planetarum distantia à Vertice quotidie mutatur, ad certum usque terminum versus Boream crescens, inde rursus usque ad alium versus Austrum decrescens (§. 39). Quare cum Poli altitudo constanter eadem observetur (§. 147), nec tamen Planetæ ad idem Meridiani Punctum restituantur; non Circulos, sed Spiræ usque ad certos terminos versus Polos hinc inde excurrentes describunt. *Quod erat unum.*

Planetæ singuli non eandem constanter à Terra distantiam retinent, sed nunc propius ad eam accedunt, nunc longius ab eadem recedunt (§. 550) & superio-

res, præsertim in Oppositione cum Sole, Terræ multo propiores sunt quam in Conjunctione (§. 551): in majori ergo à Terra distantia Spiræ majores seu ampliores, in minore minores seu arctiores describunt. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM I.

618. Cum tamen motus observetur tardior, si Planeta longius à Terra distet, quam si eidem propior extiterit (§. 614); Spiræ majores celerius describuntur minoribus.

COROLLARIUM II.

619. Et quia distantia maxima & minima Planetarum à Terra non eidem Cœli punto affixa (§. 549. 551); singulis diebus ab omni retro ævo Planetæ singuli alia delati sunt per Cœlum via.

SCHOLION I.

620. Facile apparet, supposita quiete Telluris, inextricabiles sequi motus Planetarum, qui supposito ejus motu diurno & annuo simplicissimi sunt. Nec ullus hæcenus Astronomus vel somniavit de motu Planetarum in Spiris variabilibus computando: sed qui Solem circa Terram quiescentem finxerunt mobilem, in Theoriis Planetarum motum vertiginis Telluris tacite quasi supposuerunt, ut Spiræ diurnæ in Circulos degenerarent, in quibus Planetæ motu proprio ab Occasu versus Ortum incederent: adeo scilicet Astronomia infensa est quies Telluris!

SCHOLION II.

621. Quemadmodum vero Systema Terræ quiescentis sibi relictum nullius est in Astronomia usus; ita exiguum quoque in Physica utilitatem habet, cum præcipuorum Phænomenorum nulla inde ratio reddi possit, adeoque vel provocandum sit ad Numinis nutum immediatum (quod tamen idem esse in Physicis, quod in Geometria est reductio ad absurdum, inter intelligentes & rerum Metaphysicarum satis peritos constat), vel ad rationes nobis

latentes. Sane ut Astronomi Telluris quieti faventes motus Planetarum Phænomena cum Solis præstrem motu complicata salvarent, Orbitam Telluris tanquam Epicyclum Orbitæ Planetarum affixerunt, ita ut Planeta in Epicyclo incederet, dum ipse per Orbitam suam circa Solem deferretur: quamvis ne sic quidem voti sui satis compotes fuerint facti.

THEOREMA XXVII.

622. *Terra mouetur & motu diurno seu vertiginis, & motu anno circa Solem.*

Ex Observationibus constat, Solem cum omnibus Planetis, ac Stellis fixis quotidie oriri atque occidere & successive ad alios aliosque Circulos Verticales appellere (§. 11). Sol autem & Planetæ singuli inæqualibus temporum intervallis motu quodam singulis proprio ab Occasu in Oratum feruntur (§. 23. & seqq.), distantias à Vertice in culminatione continuo mutant (§. 39), omnes Soli opponuntur, præter Venerem & Mercurium (§. 517) & superiores in Oppositione cum Sole propiores sunt, quam in Conjunctione (§. 551) fiuntque circa eam retrogradi, inferioribus circa Conjunctionem retrogradis factis (§. 562). Quo Planeta superior à Terra remotior, eo frequentius fit retrogradus, Venerè tamen inter inferiores contraria ratione tardius retrograda facta quam ♀ (§. 563). Saturni retrogradations sunt diuturnæ, Jovis mediocres, Martis brevissimæ (§. cit.), Saturnus tamen per arcum minimum, 24 per mediocrem, ♂ per maximum retrogreditur (§. 564). Fixarum à Vertice distantia non semper eadem toto anni tempore, immo aliquo tempore Stella una

videtur in plures divisa (§. 543), immo variationes Declinationis & Ascensionis rectæ annuæ observantur (§. 601. & seqq.) & Gravitas accedendo ad Äquatorem continuo imminuitur (§. 566). Admisso motu Telluris cum vertiginis, tum annuo, hæc omnia necessario consequuntur (§. 579 & seqq.), ita ut non solum Phænomenorum singulorum quoad minimas circumstantias ratio pateat, verum etiam (prout in sequentibus docetur) Phænomena singula prompte computari & prædicti possint. Et quamvis variationes distantiae à Vertice, Declinationis & Ascensionis rectæ annuæ cum lege Parallaxeos Fixarum à motu Telluris annuo resultante (§. 597) non prorsus consentiant (§. 604); admisso tamen motu Telluris annuo resultant (§. 605). Ex adverso, posita Telle in universo quiescente, omnis concinnitas in motu Siderum tollitur (§. 611. & seqq.) Sidera singula, sola fere Luna excepta, incredibili prorsus celeritate per Cœli spatha quotidie vagantur (§. 615), motusque Planetarum adeo implicantur (§. 617) ut vix Phænomenorum generalis ratio inde reddi, multo minus eadem juxta accuratum computum in futurum prædicti possint (§. 593. 620). Nulla igitur ratio suadet, Terram quieicere & Solem cum Stellis reliquis circa eam moveri: sed confitendum necessario, Tellurem & motu vertiginis cieri & cum comitatu sui simillimo (§. 525) circa Solem naturæ à Planetis omnibus prorsus diversæ (§. 431) motu annuo ferri.

COROLLARIUM.

623. Quia Poli altitudo toto anni tempore eadem observatur (§. 147), necesse est Tellurem in Orbita sua circa Solem ita librari, ut Axis ejus Axi Mundi constanter sit parallelus.

SCHOLION I.

624. COPERNICUS hunc motum Motum librationis vocat, non inepte hoc simili illustrandum. Globus cum Axe Axi Telluris parallelo in aplustri summo navalí circa Axem mobili appictus cogitur: quod à Noto constanter impellatur, dum circa insulam navigatur: evidens est, in omni Navis situ Axem Globi picti manere Axi Mundano parallellum.

SCHOLION II.

625. Agnovere motum Telluris jam inter veteres Philosophi compures. Motum diurnum Telluris CICERONE teste (a) primus detexit NICETAS Syracusanus; annum circa Solem PHILOLAUS (b). Centum annis post PHILOLAUM & amplius, ARISTARCHUS Samius clarius Systema Terra motæ proposuit, teste ARCHIMEDE (c). Obstigit autem Gentilium supersticio, quo minus ulterius excoleretur & ab omnibus Philosophis, saltem sanioribus, propugnaretur. Sacrilegii enim accusatus est ARISTARCHUS à CLEANTE, quod Universi Lares, Vestamque loco movisset (d). Recentiori ævo NICOLAUS CUSANUS Cardinalis (e), motum Telluris afferuit: non tam Systema Terra motæ invaluit, antequam COPERNICUS summa ingenii vi præclarum ejus in Astronomia usum apertissime ostende-

(a) Quest. Tusculan. Lib. II. non proorsus circa finem.

(b) Plutarchus Lib. III. de Placit. Philos. C. 11. & 13. & Laertius Lib. V. II. C. 85.

(c) In Arenario statim ab initio.

(d) Vid. Plutarch. in Opusculo de facie in Orbe Lune.

(e) De docta ignorantia Lib. XI. & XII.

ret (f), cui mox omnes Philosophi & Astronomi altius vulgo literatorum sapientes, mentem à superstitionis labe repurgatam habentes & extra censuræ Ecclesiasticae pericula constituti accessere, ita ut KEPLERUS jam suo tempore scribere potuerit (g); „Hodier- „ no tempore præstantissimi quique Philo- „ sophorum & Astronomorum COPERNI- „ co adstipulantur: secta est hæc glacies, „ vicimus suffragiis melioribus, ceteris pe- „ ne sola obstat superstitionis metus à „ CLEANTHIBUS: & Vir summus, „ CHRISTIANUS HUGENIUS confi- „ teatur (h); Omnes nunc Astronomos, „ nisi vel tardiore fuerint ingenio, vel „ hominum imperio obnoxiam habeant „ credulitatem, motum Telluri locum- „ que inter Planetas absque dubitatione „ decernere.

SCHOLION III.

626. Sunt qui Terræ motum non admittunt, quod cum Scripturæ Sacrae divinitus revelatae adversum judicent, tum quod in ea Sol oriri & occidere, tum quod tempore JOSUÆ stetisse dicatur. Enimvero videamus, quinam sit Scripturæ de ortu, occasu & statione Solis sensus? Ne autem sensum alienum verbis Scripturæ affingamus, neque inde inferamus, quæ nullo modo in- ferri possunt, in Regulis interpretandi ante omnia conveniamus necesse est. Suppono itaque 1. Verbis Scripturæ singulis suas respondere notiones, & cum tenere sensum eorundem, cui notiones istæ inter legendum occurront: 2. Verba Scripturæ cum attentione lecta notiones modo dictas in animo à præjudiciis libero excitare valere. Si prius negaveris, concedendum erit, verba Scripturæ esse sine mente so-

M m m 3

num

(f) In Libris Revolution. Cœlestium.

(g) In Epitom. Astronom. Copernic. Lib. I. p. 140.

(h) In Cosmoothero Lib. I. p. m. 14.

num: id quod utique absurdum & in Autorem ejus blasphemum. Si posteriorius non admittendum tibi videatur, excitationem notionum cum verbis Scripturæ combinandarum ad supernaturalem Spiritus S. operationem referenti; Textus Hebraicus Veteris & Græcus Novi Testamenti prælectus intelligetur ab homine Hebraicarum & Græcarum litterarum ignaro, modo afferat animum sincerum & veritatis salutaris agnoscendæ cupidum, opemque Spiritus S. precibus ardenti-bus effligit: id quod tamen denuo absurdum censembitur, utpote Experientiae communi adversum. Hinc vero 3. consequitur, necesse esse, ut aut Deus ipse exhibuerit vocum in Scriptura occurrentium definitiones, aut, si notiones jam supponit, ut nobis via ordinaria ad eas pervenire datum sit. Unde tandem 4. concluditur, non alias cum verbis Scripturæ combinandas esse notiones quam quæ ad res præsentes attendentibus occurrunt (§. 19. Method. Mathem.). Per ortum adeo Solis intelligit apparentiam antea latentis in Horizonte, per occasum Solis vero occultationem modo conspicui in Horizonte (§. 14). Quando ergo Ecclesiastes cap. I. 5. Oritur Sol, inquit, & occidit, & ad locum suum revertitur, non aliud certe verborum sensus est, quam Solem, qui modo latuerat, nunc apparere in Horizonte, postquam conspicuus fuerat, denuo occultari & occultatione facti, ad plagam Orientis denuo restitui. Hæc nempe cuilibet manifesta sunt ad Solem attendentibus, atque hæc, non aliæ notiones, vi superiorum à Deo supponi possunt. Similiter cum Jos X. 12. 13. Sol & Luna slettisse dicuntur, per stationem intelligitur situs non mutatus, aut, si mavis, ejusdem situs conservatio. Dum enim Josua jussit Solem stare super Urbe Gabaon & Lunam super valle Ajalon, non aliud certe requisiuit, quam ut Sol, qui ipsi super Urbe constitutus apparebat, situm non mutaret. Exinde ergo, quod Solem jusserrit tueri situm eundem, inferri equit, cum circa Terram quiescentem moveri.

SCHOLION IV.

627. Nimirum probe tenendum est, dupli-cem dari rerum naturalium cognitionem, alteram confusam, quæ Sensui & Imaginationi debetur; alteram distinctam, quæ Intellectui accepta referri debet. Illa Historiam naturalem absolvit & in nuda Phænomenorum recensione acquiescit: hæc vero Scientiam naturalem constituit & rationes Phænomenorum reddit. Quemadmodum Imaginatio Intellectui, ita & Historia naturalis Scientiæ naturali nunquam contraria est, modo rite intelligentur, quæ de notionibus rerum naturalium modo dicta sunt: neque sibi invicem opponi possunt. Historia naturalis ad captum omnium composita; Scientia naturalis captum non modo vulgi, sed etiam plerorumque literatorum transcendit, quippe non comparanda, nisi prius in Althesi & in Experimentando ac Observando fueris versatus & Intellectus in eam formam transierit, quæ literatis superiorum, quas vulgo vocant, Facultatum plerique negatur. Scriptura itaque cum de rebus naturalibus verba facit, non ad Scientiam, sed ad Historiam naturalem pertinentia tradit, quippe non solis Philosophis veri nominis, sed vulgo etiam & literatis in rebus naturalibus non altius vulgo sapientibus intelligenda. Patet adeo, ex Scriptura Sacra dirimi non posse controversiam de motu Terræ, cum hæc quæstio ad Scientiam naturalem pertinet, adeoque à Philosophis Mathematicis decidenda. Egregie in rem nostram GASENDUS (a) duplicem Codicem sacrum distinguit, alterum scriptum, qui Biblicalum nomine venit, alterum Naturam rerum, & illius interpres Theologos, hujus vero Mathematicos agnoscit; Deo nimirum duplice lumine sese manifestante, Revelationis puta ac Demonstrationis. In Scientia adeo naturali audiendi sunt Mathematici, sicut in ob-jectis

(a) In Oratione inaugurali, quæ editioni Ha-giensi Institutionis Astronomicæ ejusdem subjun-gitur. p. 165.

jectis fidei Prophetæ, quorum illi non minus, quam hi Dei ad Homines Interpretes. Et quemadmodum extra limites evagari censerentur Mathematici, qui res fidei ex Geometria confutandas aggredierentur; ita non minus cancellos egrediuntur Theologi & Concionatores, qui de questionibus ad Scientiam naturalem spectantibus & Geometriæ ac Opticæ ignorantiarum captum longe superantibus ex Scriptura Sacra, quæ nihil earum rerum docet, decretoriam sententiam proterve pronuntiant. Exemplo sunt LACTANTIUS atque AUGUSTINUS, quorum ille de rotunditate Telluris (a), hic de Antipodibus (b) pueriliter admodum locutus, et si uterque Scripturæ quædam verba in favorem Hypothesos sua, oppido false, adduceret.

SCHOLION V.

628. Neque est quemadmodum alibi (c) jam monuimus, cur Ecclesiæ Romane Doctoribus scrupulum moveat Copernicanum Systema, cum nec placitis Ecclesiæ suæ repugnet, cuius post Scripturam autoritas ipsius quoque sacra esse debet. Etsi enim à Cardinalibus librorum Censuræ præpositis in GALILEO damnatum fuerit (d); nunquam tamen à Pontifice Summo, neque à Concilio pro Hæresi declaratum, ut Systema Terræ quiescentis pro articulo fidei haberi debeat: qua ratione CARTESIUS Systema Copernicanum amplexus, salva in Ecclesiæ Romanam & Pontificem maximum reverentia à scrupulis conscientiam liberavit (e). Immo Ecclesiæ non nisi contra evidentiā, sed declaraturam, quod Systema terræ motæ S. S. adversum non sit, quamprimum aliqua ejus Demonstratio in medium proferetur, rescripto (f) jam publice declaravit P. FABRI ē

(a) Institut. divin. Lib. III. C. 14.

(b) De Civitate Dei Lib. XVI. C. 9.

(c) In Ratione Prælectionum Sect. I. C. 3. §. 24.

(d) Ricciolus in Almag. vetere & novo. Tom. II. Lib. IX. Sect. IX. C. 40. f. 498. & seqq.

(e) In Epistola ad Mersennum, quæ est 80. Part. 2.

(f) Legitur in Transact. Anglican. A. 1665. mente Junio.

Societate Jesu, Pœnitentiarius in templo D. Petri, quod Romæ est. Quamobrem & permittit, ut eodem tanquam Hypothesi in rebus Astronomicis utamur, quemadmodum jam supra (§. 593) exemplo RICCIOLI docuimus.

SCHOLION VI.

629. Quodsi tamen quis fuerit aut hebetiore ingenio, quam ut hactenus dicta capere possit, aut infirmior, quam ut sibi persuadeat, à Deo permitti, ut Scripturam in nonnullis non intelligant, qui ad eam interpretandam Ecclesiæ præficiuntur; ei cum Virro summo KEPLERO (g) suadeo, „ ut missa „ Schola Astronomica, damnatis etiam, si „ placet, Philosophorum placitis suas res „ agat, & ab hac peregrinatione mun- „ dana desistens domum ad agellum suum „ excolendum se recipiat, oculisque, qui- „ bus solis videt, in hoc adspe&tabile Cœ- „ lum sublatis, toto pectore, in gratia- „ rum actionem & laudes Dei Condito- „ ris effundatur, certus se non minorem „ Deo cultum præstare, quam Astrono- „ mum, cui Deus hoc dedit, ut mentis „ oculo perspicacius videat, quæque in- „ venit, super iis Deum suum & ipse ce- „ lebrare possit & velit, nec unquam ab „ Astronomis utpote non secundum affectuum „ impetum, sed secundum rationem pronunci- „ antibus, vicissim datum datum iri.

THEOREMA XXVIII.

630. Sol fere in medio Systematis Planetarii quiescit, nisi quod motu vertiginis circa proprium Axem moveatur. Circa eum moventur in Orbitis peculiariibus. 1°. Mercurius, 2°. Venus, 3°. Tellus, 4°. Mars, 5°. Jupiter & 6°. Saturnus: circa Terram vero in pecu- liari Orbita movetur Luna, interea dum totum illud spatium, quo Orbitæ Luna continetur, una cum Tellure circa Solem

(g) In Introd. ad Commentarios de Mo- tibus Stelle Martis.

Solem transfertur & simili modo quatuor circa Jovem, quinque circa Saturnum Satellites gyranter.

Tab. VII. Sit enim in S Sol & Terra in T. Quoniam Orbita Veneris atque Mercurii Solem S ambit, Tellure T extus constituta, Orbitaque Mercurii intra Orbitam Veneris continetur (§. 576); circa Solem duo describantur Circuli, designabit eorum interior Orbitam ♀, exterior orbitam ♀. Porro cum Lunæ Orbita Tellurem ambiat, sed non Solem (§. 578); repræsentabitur per Circulum circa Terram descriptum. Similiter cum Orbitæ Saturni, Jovis atque Martis & Solem S, & Tellurem T ambiant, eorum tamen Centra Soli S propiora esse debeant, quam Terræ T (§. 577), sitque Orbita ♂ Telluri propior, quam ♀ & Orbita ♀ propior quam ♂ (§. 591); ex Sole S describantur tres Circuli ambitu suo Tellurem T continentis, repræsentabit intimus Orbitam ♂, medius Orbitam ♀ & extimus Orbitam ♂. Circa Jovem describantur quatuor, circa Saturnum quinque Circuui; erunt iidem Orbitæ Lunularum Jovialium & Saturninarum (§. 500. 518). Denique cum Tellus T motu annuo circa Solem S feratur (§. 622); ex Sole S per Tellurem T describatur Circulus, qui ejus Orbitam exhibebit & spatium, quod inter Orbitas Veneris & Martis alias vacuum relinquatur, occupabit. Ter-

ram vero cum Planetis reliquis ita circa Solem moveri, ut, dum progreduntur, continuo circa Axes suos convertantur, ex superioribus (§. 496. 498.) manifestum est. Patet adeo Systema Planetarium ea ratione se habere, qua ipsum in Theoremate præsente descripsimus.

COROLLARIUM.

631. Sunt itaque ♂, ♀, ♂, ♀, ♀, & ♀ Planetæ primarii; ☽ vero secundarius est (§. 529).

SCHOLION.

632. En celebre hoc ævo Mundi Systema, quod ab instauratore COPERNICO vulgo Copernicanum dici solet, & cuius ope Astronomia ad insignem perfectionem deduxta. TYCHO DE BRAHE (a) Orbitam Telluris omittit & ejus loco Orbitam Solis circa Terram circumducit, quæ Orbitam ♂ intersecat, ut is Telluri Sole propior fieri possit (§. 491), sive Systema Copernicanum fere totum probat. Enimvero cum nulla ratio (§. 620. 621), sed sola superstitione (§. 627. 628), suadeat, Solem circa Tellurem moveri, Terram vero quiescere, non opus est ut figuramentorum recensione Astronomie puritatem commaculemus. Id itaque annotasse nobis sufficerit, quod in Systemate Tycho-nico nullæ sint Planetarum Orbitæ nisi fictitiæ (§. 620): quod adduxit ORIGANUM (b) & LONGOMONTANUM (c), ut motu vertiginis Telluris concessio, motum annuum Soli concederent.

(a) Progymnasm. Lib. II. C. 8. p. m. 189.

(b) Vid. Praefat. ad Ephemerides.

(c) Astron. Danicæ Lib. I. C. 1. f. 161.

C A P U T . IV.

De Theoria Planetarum Primariorum.

H Y P O T H E S I S .

633. *T*Ellus & Planete omnes Primarii mouentur in Orbita Elliptica circa Solem, in cuius Foco uno S Sol quiescit, ea quidem lege, ut radius vector SI ex centro Solis S in centrum Planeta I ductus describat areas ISA temporibus proportionales.

S C H O L I O N .

634. Hac ex multiplice Observationum collatione magna Ingenii sagacitate deduxit KEPLERUS (a), mire triumphatus, si, quod recentius repertum infra expressius docebatur, Theoriam suam Geometriae & Mechanicae apprime conformem intellexisset. Ante KEPLERUM Astronomi omnes Orbitas Planetarum supposuere Circulos eccentricos: qualis quidem Orbita in Sole sic satis Observationibus satisfaciebat, at in Planetis reliquis, praesertim in Marte nimium ab iis aberrabat Orbitas Planetarum esse lineas in se redeuntes ex eo constabat, quod elapsu aliquo temporis intervallo restituantur ad eundem terminum, unde digressi fuerant. Quoniam linearum in se redeuntium notissima Circulus, cui in Geometria Elementari locus est; facile erat supponere, Orbitas istas esse Circulares. Et quia motus Solis & Lunæ inaequabilis apparebat, qui ob perennitatem suam aequabilis judicahatur; Orbitam Solis & Lunæ esse Circulum Telluri eccentricum inferebatur, praesertim cum & continua & certa lege facta Diametrorum apparentium variationem continuam distantiarum à Terra mutationem loqueretur. In Sole Circulus eccentricus sa-

Wolfii Oper. Mathem. Tom. III.

tisfacere videbatur salvandis Phænomenis ea certitudine, ut prædicti possent; sed in Marte nullo satisfaciebat modo, ut adeo indomitus KEPLERO ansam daret de motu Elliptico cogitandi, felici prorsus conatu.

D E F I N I T I O . XI.

635. Perihelium est Punctum Orbitæ P, in quo Planeta minimam à Sole S distantiam habet. In motu Solis circa Terram idem dicitur Perigæum. Tab. VII. Fig. 68.

D E F I N I T I O . XII.

636. Aphelium est Punctum Orbitæ A, in quo Planeta maximam à Sole S distantiam habet. In motu Solis circa Terram idem dicitur Apogæum.

D E F I N I T I O . XIII.

637. Linea Apsidum est recta AP ex Aphelio A in Perihelium P ducta.

D E F I N I T I O . XIV.

638. Eccentricitas est distantia centri Orbitæ C à Sole S.

S C H O L I O N .

639. In Astronomia vetere dicitur distantia centri Orbitæ à centro Terræ.

D E F I N I T I O . XV.

640. Intervallum est recta IS ex centro Planetæ I in Solem S ducta, seu distantia Planetæ à Sole IS.

D E F I N I T I O . XVI.

641. Circulus eccentricus est Circulus PDAE ex centro Orbitæ C dimidio Axe CA tanquam radio descriptus.

Nnn

S C H O -

(a) In Commentariis de Motibus Stellæ Martis.

Tab.

VII.

Fig. 68. 642. In veteri Astronomia Circulus eccentricus est ipsa Orbita Planetæ.

SCHOLION.

DEFINITIO XVII.

643. Motus medius est, quo Planeta in sua Orbita æquabiliter moveri supponitur.

SCHOLION.

644. Ad eum adeo determinandum opus est, ut integræ revolutionis Periodus in quantumlibet minimis scrupulis definiatur.

DEFINITIO XVIII.

645. Motus verus est motus Planetæ, qualis ex Tellure spectatur.

DEFINITIO XIX.

646. Anomalia est distantia Planetæ ab Aphelio vel Apogeo.

DEFINITIO XX.

647. Anomalia media sive simplex in veteri Astronomia est distantia loci medii Planetæ ab Apogeo; in recentiore KEPLERI tempus, quo Planeta ab Aphelio A usque ad locum medium seu Punctum Orbitæ suæ I digreditur.

COROLLARIUM.

648. Quoniam area ASI temporis, quo Planeta arcum AI describit, proportionalis est (§. 633); eadem mensura Anomalie media optime constituitur.

DEFINITIO XXI.

649. Anomalia eccentrici est arcus Circuli eccentrici AK inter Aphelium A & rectam KL, quæ per centrum Planetæ I ad Lineam Apsidum AP perpendicularis ducitur, interceptus.

DEFINITIO XXII.

650. Anomalia vera vel coæquata seu angulus ad Solem est angulus ASI, sub

quo distantia Planetæ ab Aphelio AI ex Sole videtur.

COROLLARIUM.

651. In motu adeo Solis erit distantia loci veri Solis ab Apogeo ex Tellure visa (§. 636), seu potius distantia loci veri Telluris ab Apogeo ex Sole visa quæ isti æquipollent (§. 571).

DEFINITIO XXIII.

652. Äquatio centri seu Prosthaphæresis est differentia inter locum verum & medium Planetæ, seu quod perinde est, inter Anomaliam medium & coæquatam.

PROBLEMA V.

653. Observare Äquinoctium seu ingressum Centri Solis in Äquatorem.

RESOLUTIO.

1. Cum hodie ex Ephemeridibus & Calendariis constet dies, in quo Sol Äquatorem ingreditur, eo die observetur altitudo Solis meridiana (§. 129. 137), per additionem Parallaxeos (§. 368) & subtractionem Refractionis corrigenda (§. 336).
2. Conferatur altitudo Solis cum altitudine Äquatoris: cui si æqualis deprehendatur, Äquinoctium in ipsum meridiem incidit. Quodsi illa hac major fuerit, Äquinoctium vercale ante meridiem, autumnale post eundem contigit. Denique si illa hac minor deprehendatur, vercale post meridiem, autumnale ante eundem accidit (§. 158). Quare
3. Altitudo minor è majore auferatur, ut relinquatur Declinatio Solis (§. 150).

Dico

Dico, tot horis ante vel post meridiem contigisse Äquinoctium, quo scipulorum primorum Declinatio extiterit.

DEMONSTRATIO.

Intervallo 24 horarum Sol primum fere gradum Arietis vel etiam Libræ percurrere observatur (§. 203) & in spatio tam exiguo supponere licet, Declinationis incrementa in casu priore, decrementa in posteriore esse temporis proportionalia. Cum adeo Declinatio in $11^{\circ} \gamma$ & \perp sit $24'$, supposita Declinatione Eclipticæ $23^{\circ} 30'$, aut juxta D.N. DE LA HIRE $23^{\circ} 29'$ (§. 198); evidens est Declinationem tunc temporis variari minuto uno in singulas horas.
Q. e. d.

OBSERVATIO XLVI.

654. Quodsi plures Observationes Äquinoctiorum inter se conferantur, Solem diutius in Signis Borealibus, quam in Australibus commorari manifestum est. Juxta CASSIN. Observationes Sol commoratur in Signis Borealibus 186 d. 14 h. 53', in Australibus vero 178 d. 14 h. 56', differentia adeo existente 7 d. 13 h. 57' (a).

COROLLARIUM.

655. Cum maxima Solis à Terra distantia hodie in \odot sit, minima in λ (§ 554); Sol longius commoratur in Semicirculo, in quo majorem à Terra distantiam habet.

PROBLEMA VI.

656. Observare Solstitionem, seu ingressum Solis in $\odot\lambda$ & $\odot\gamma$.

(a) Astron. Reform. Lib. I, C. 7, f. 22, 23.

RESOLUTIO.

1. Cum hodie ex Ephemeridibus & Calendariis non ignotus dies, quo Solstitionum accidere debet; per aliquot dies observetur altitudo meridiana Solis, maxima, qua fieri potest, accurate, magno in primis Gnomone, qui Quadrantibus hoc in negotio præferendus (§. 129. 137).
2. Quamprimum tres obtinentur altitudines, quarum media in Solsticio Ästivo major, in Hiberno minor extat reliquis, hoc ipso dies Solstitionis innotescit (§. 159).
3. Altitudo Solstitialis conferatur cum altitudinibus immediate antecedente & consequente. Quodsi enim ambæ fuerint aequales, Solstitionum in ipsum meridiem incidit: si præcedens fuerit major consequente, Solstitionum Ästivum post meridiem accidit, Brumale vero ante eundem.
4. Quare cum Declinatio Solis tunc temporis intervallo 24 horarum non ultra 15 secunda mutetur (§. 198), differentia altitudinis Solstitialis ab antecedente vel consequente per subtractionem inventa, ope Regulae trium reperitur horarum intervalum, quo à meridie Solstitionum distat.

COROLLARIUM.

657. Error adeo 15 secundorum in altitudine meridiana admissus producit errorum integri diei in tempore Solstitionis definiendo.

SCHOLION.

658. Patet hinc difficultas observandi Solstitionis, ut adeo alium modum observandi Solstitionis

ta excogitaverit HALLEIUS (*a*), demonstratum à GREGORIO (*b*), quo Solstitia accuratius observari posse confidit, quam Äquinactia observantur (§. 654). Operæ igitur premium judicamus ut eundem hic distincte exponamus & ex primis Principiis, more nostro, demonstremus.

LEMMA I.

Tab. 659. Sinus versus RG & Rg sunt XII. in ratione duplicata Chordarum RC & Fig. 98. Rc arcum, ad quos referuntur.

DEMONSTRATIO.

Est enim ut Diameter Circuli ad Chordam RC, ita Chorda RC ad Sinum versum RG & ut eadem Circuli Diameter ad Chordam Rc ita Chorda Rc ad Sinum versum Rg (§. 330. *Geom.*), consequenter Diameter ad Sinus versos RG & Rg in ratione duplicata Diameter ad Chordas RC & Rc (§. 216. *Arithm.*). Quamobrem Sinus versus RG & Rg sunt in ratione duplicata Chordarum RC & Rc (§. 196. *Arithm.*). Q. e. d.

COROLLARIUM.

660. Quoniam arcus exigui sunt inter se ut Chordæ; si arcus RC & Rc fuerint exigui, erunt Sinus versus RG & Rg in ratione duplicata arcuum RC & Rc.

THEOREMA XXIX.

661. Differentiæ Declinationum Solis à maxima, paulo ante & post Solstitionem, sunt inter se in ratione duplicata temporum inter singula Observationum momenta & ipsum Solstitionum interceptorum.

(a) In Transact. Anglic. num. 219. & p. 12.

(b) In Elem. Astron. Phys. & Geom. Lib. III. Prop. II. f. 221. & seqq.

DEMONSTRATIO.

Designet arcus RL Eclipticæ portiōnem exiguum prope punctum Solstitionale R & recta eam tangens TR portiōnem Tropici. Ex punctis Eclipticæ C & c demittantur ad TR perpendiculares, erunt DC, dc distantiae à Tropico, cum arcus exigui pro lineis rectis haberi possint; consequenter differentiæ Declinationum in C & c à maxima in R. Quodsi RG ducatur ad TR perpendicularis, erit ea pars Diametri (§. 292. *Geom.*) & ductæ ex punctis c & C rectæ CG & cg ipsis DR & dr parallelæ erunt ad RG perpendicularares (§. 230. *Geom.*), consequenter DC = GR & dc = gr (§. 226. *Geom.*). Quamobrem cum RG & rg sint in ratione duplicata arcuum RC & Rc (§. 659); erunt etiam DC & dc, seu differentiæ Declinationum Solis à maxima in Punctis C & c, in ratione duplicata eorundem arcuum RC & Rc. Patebit ex inferioribus, ideo quod Apogæum Solis à Puncto Solstitiali non procul distet, motum ad sensum æquabilem esse. Sunt itaque arcus CR & cR ut tempora, quibus percurruntur (§. 31. *Mech.*); consequenter differentiæ Declinationum in punctis C & c à maxima DC & dc sunt circa Solsticia in ratione duplicata temporum inter momenta Observationum in C & c & Solstitionem interceptorum. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

662. Quoniam arcus RC pro recta sumi potest, cum sint cd & CD inter se parallelae (§. 256. *Geom.*); erit dR : DR = cR : CR (§. 268. *Geom.*), consequenter cum arcus cR

cR & CR repräsentent tempus ab Observationibus in c & C factis usque ad Solsticium in R. residuum, quemadmodum ex Demonstratione intelligitur, idem tempus etiam exponi potest per rectas dR & DR.

COROLLARIUM II.

663. Et quoniam $Rg : RG = ge^2 : GC^2$ ($\S. 661, 662$); arcus Eclipticæ exiguis LR prope Solsticium Parabolam repräsentat, cuius Abscissæ Rg, RG exponunt differentias Declinationum à Declinatione maxima, semiordinatae vero gc , GC tempora inter momenta Declinationum observatarum & ipsum Solsticium intercepta.

THEOREMA XXX.

664. Si circa Solsticium observentur umbrae Gnomonis præalii, in G, F & E, erunt differentiae umbrarum EG & EF differentiae Declinationum Solis in Observationum momentis.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Gnomen AB ad BG perpendicularis, anguli BAG, BAF & BAE tanquam suis verticalibus æquales ($\S. 156. Geom.$) exhibent distantias Solis à Vertice, consequenter cum tantundem ad Verticem Sol accedat, quantum ab Äquatore recedit, adeoque Declinatio ejusdem augetur ($\S. 75.$) & contra; anguli EAG & EAF sunt differentiis Declinationum in G, E & F æquales. Concipiamus jam Planum aliquod CD ad Planum BG ita inclinatum, ut radius Ae sit ad idem perpendicularis, ob angulos eAf & eAg admodum exiguos, etiam Af & Ag ad idem Planum erunt propemodum perpendiculares; consequenter si centro A ducas arcus per Puncta e, g & f, ipsis

perpendiculares ($\S. 38. Anal. infin.$), arcus isti angulorum eAf & eAg mensuræ ($\S. 57. Geom.$) sensibiliter non different à rectis ef & eg, atque ideo hæ rectæ pro differentiis Declinationum Solis in G, E & F haberi possunt. Jam quia Gnomon AB præaltus, per hypoth. rectæ Gg, Ef, Ee, in puncto valde remoto A concurrentes, pro parallelis haberi possunt. Quamobrem erit $GE : EF = ge : ef$ ($\S. 268. Geom.$); consequenter umbrarum in G, E & F observatarum differentiae GE & EF sunt ut differentiae Declinationum in Observationum momentis. Q. e. d.

COROLLARIUM.

665. Quodsi ponamus in H esse locum umbrae Solstitialis; erunt HG, HF, HE differentiae Declinationum Solis in G, F & E à Declinatione maxima.

PROBLEMA VII.

666. Datis tribus Observationibus umbrarum Gnomonis præalii in eodem Circulo verticali circa Solsticium, veluti inter 5 dies ante Solsticium & intra quinque dies post idem, in G, F & E; invenire tempus Solsticij.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

I. Cum differentiae umbrarum à Solsticiali HG, HF, HE sint in ratione duplicata temporum inter momenta Observationum & tempus Solsticij interceptorum ($\S. 665, 661$); si circa rectam BH, in qua observantur umbrae Gnomonis, descripta concipiatur Parabola NHP, transiens in Vertice per terminum umbræ Solsticialis BH, & HG, HF, HE sint

Tab.
XII.
Fig.
100.

differentiae umbrarum observatarum à Solstitali; erunt GN, EM & FO tempora inter Observationum momenta & Solstodium in H intercepta (§. 663).

2. Sit igitur tempus inter primam & secundam Observationem intercedens $AC=NR=a$, tempus intercedens inter secundam Observationem & tertiam $CD=b$, differentia umbrarum in prima & secunda Observatione $EG=c$, differentia earundem in secunda & tertia $EF=d$, tempus inter Observationem secundam & Solstodium intercedens $ME=x$; erit tempus inter primam & Solstodium interceptum $NG=a+x$ & quod intercipitur inter tertiam & Solstodium $FO=b-x$. Quodsi porro Parameter fuerit $=p$; erit $EH = x^2 : p$, $HG=(a^2+2ax+x^2) : p$ & $FH(b^2-2bx+x^2) : p$ (§. 39 I. Analys. infin.).

3. Habemus itaque

$$\begin{aligned} c &= \frac{a^2 + 2ax}{p} & d &= \frac{b^2 - 2bx}{p} \\ p &= \frac{a^2 + 2ax}{c} & p &= \frac{b^2 - 2bx}{d} \\ \frac{a^2 + 2ax}{c} &= \frac{b^2 - 2bx}{d} \\ a^2d + 2adx &= b^2c - 2bcx \\ 2adx + 2bcx &= b^2c - a^2d \\ x &= \frac{b^2c - a^2d}{2ad + 2bc} \end{aligned}$$

Paret adeo, quomodo inveniatur tempus EM sive CB inter Observationem umbræ secundam in E & momentum Solstodium in B intercedens. Nimirum

1. Quadratum temporis à secunda Observatione usque ad tertiam ducatur in differentiam umbræ in prima & secunda Observatione, & quadratum temporis inter primam & secundam Observationem intercedentis in differentiam umbrarum in secunda & tertia Observatione.

2. Ducantur etiam ipsa tempora in easdem umbrarum differentias.

3. Tandem differentia factorum num. 1. repertorum dividatur per duplam summam factorum num. 2. inventorum; quotus erit tempus à secunda Observatione usque ad momentum Solstodium.

$$\begin{aligned} \text{Quodsi etiam desideres tempora inter primam & tertiam Observationem atque Solstodium momentum interjecta, cum sit prius } MG &= a+x, \text{ posterius } \\ FO &= b-x; \text{ erit illud } = a + \frac{b^2c - a^2d}{2ad + 2bc} \\ &= \frac{2a^2d + 2abc + b^2c - a^2d}{2ad + 2bc} \\ &= \frac{a^2d + 2abc + b^2c}{2ad + 2bc}; \text{ hoc vero} \\ b - \frac{b^2c - a^2d}{2ad + 2bc} &= \frac{2abd + 2b^2c - bc^2 + a^2d}{2ad + 2bc} \\ &= \frac{2abd + a^2d + b^2c}{2ad + 2bc}. \end{aligned}$$

$$\begin{aligned} \text{Si umbra in F sit media inter} \\ \text{umbram in E & G, ut nempe } AC \\ &= CD, \text{ erit } a = b, \text{ adeoque } x \\ &= ME = \frac{a^2c - a^2d}{2ad + 2ac} = \frac{ac - ad}{2d + 2c}, \\ MG &= \frac{a^2d + 2a^2c + a^2c}{2ad + 2ac} = \frac{3ac + ad}{2d + 2c} \\ &\& FO = \frac{2a^2d + a^2d + a^2c}{2ad + 2ac} = \frac{3ad + ac}{2d + 2c}. \end{aligned}$$

Nimirum

Dupla summa differentiarum, quæ inter umbras in prima & secunda, atque in secunda & tertia Observatione intercedunt est ad differentiam earundem, ut tempus inter primam & secundam Observationem intercedens ad tempus inter Observationem secundam & Solstitionem interceptum.

Et ut eadem dupla summa ad summam simplam, sed dupla differentia umbrarum in prima & secunda Observatione auctam, ita tempus inter primam & secundam Observationem ad tempus inter primam & Solstitionem.

Denique ut eadem dupla summa ad summam simplam, sed dupla differentia in secunda & tertia Observatione auctam, ita tempus inter primam & secundam Observationem intercedens ad tempus inter tertiam Observationem & Solstitionem interceptum.

S C H O L I O N.

667. Regulae hæ Praxi admodum accommodatae & ex ipsa resolutione Problematis apparet, cur HALLEIUS afferuerit, Solstitia facilius & accuratius observari posse quam Äquinoctia. Etenim umbrarum Observationes facilissimæ, & calculus nulla alia Elementa Astronomica ab aliis Observationibus pendentia supponit, quemadmodum Observationes Äquinoctiorum obnoxiae sunt refractionibus, & calculus eorundem pendet ab elevatione Äquatoris & Declinatione maxima Eclipticæ (§. 635).

O B S E R V A T I O X L V I I .

668. Quodsi Observationes Äquinoctiorum cum Observationibus Solstitionum conferas; inegalitas moræ Solis in quatuor Eclipticæ quadrantis manifesta est. Juxta RICCIOLUM (a) mora Solis in Signis vernalibus 93 d. 36'; in aestivis 93 d. 12 h. 12'; in autumnalibus 89 d. 14 h. 11'; in hibernis 89 d. 45'.

P R O B L E M A I X.

669. Invenire quantitatem Anni Solaris, hoc est, temporis intervallum, quo Sol Eclipticam percurrit.

R E S O L U T I O.

1. Observatio Äquinoctii antiqua conferatur cum Observatione recentiore; ubi prius antiqua methodo inferius tradenda ad eundem meridianum atque idem Calendarium fuerit reducta, & per subtractionem investigetur præcessio Äquinoctiorum, hoc est, temporis intervallum, quo à die Observationis antiquæ in antecedentes retrogressum.
2. Quæratur tempus inter duas Observationes intercedens in Annis Julianis, quorum unusquisque 365 dieum & horarum 6, & per illud Præcessio Äquinoctiorum dividatur, quotus est Præcessio anni unius.
3. Quodsi ergo hæc à quantitate Anni Juliani subducatur, relinquetur quantitas Anni vera.

E. gr. HIPPARCHUS observavit A. 158. ante Christum natum Alexandriae Äquinoctium autumnale d. 27 Sept. hora 24, seu in ipso meridie: HEVELIUS vero A. 1655 Dantisc. d. 12 Sept. 21 h. 12' 30''. Est ergo.

Æq. HIPPARCHI.	Sept. 26.	24 ^h .	0 ^o .	0 ⁱⁱ
Diff. Meridianorum subt.			I.	27.
Æq. HIP. in Merid. Dantisc.	26.	22.	32.	51
Æq. HEVELII	12.	21.	12.	30
Præcessio Äquinoct.	14.	I.	20.	21
Intervallum An. 1812.				
Ergo Præcess. annua	11'	10"	12'''	37''''
Annus Julianus. 365 d. 5 ^h . 59 ^m . 59 ^s . 59''''. 60''''				
Præcess.	11.	10.	12.	37
Annus Solaris 365. 5. 48. 49. 47. 23.				

(a) Astron. Reform. Lib. I. C. 7. f. 22. 23.

SCHOLION.

670. In quantitate Anni Solaris determinanda Äquinoctia Solsticiis præferuntur, quia Solsticia communi methodo difficiliter observantur (§. 6). Et Äquinoctia Autumnalia Vernalibus anteponuntur, quia Vernalium Observationes Refractio, ob vapores Vere copiosiores, magis turbare creditur.

OBSERVATIO XLVIII.

671. KEPLERUS in Tabulis Rudolphinis quantitatem Anni Solaris ponit 365 dierum, 5 h. 48' 57" 39III, RICCIOLUS in Astronomia Reformata 365 d. 5 h. 48' 48", TYCHO in Progymna matibus 365 d. 5. h. 48' 50", DE LA HIRE in Tabulis Astronomicis 365 d. 5 h 49', qualem nimirum invenerunt BLANCHINIUS atque CASSINUS (a) & Calendarii Gregoriani Autores supposuerunt.

PROBLEMA IX.

672. Data quantitate Anni Solaris, invenire motum Solis medium in anno 365 dierum, item diurnum, horarium, &c.

RESOLUTIO.

Quia motus medius est tempori proportionalis (§. 643), erit ut quantitas Anni Solaris ad 360° , ita annus 365 dierum, dies unus, hora una, scrupulum unum &c. ad arcum Eclipticæ eo tempore conficiendum. Reperietur adeo hic arcus ope Regulæ trium (§. 302. Arithm.).

E. gr. PHILIPPUS DE LA HIRE assumit quantitatatem anni 365 d. 5 h. 49' (§. 671),

(a) Vid. Acta Erudit. A. 1705. p. 309.

reperitur adeo motus in anno communi 11 Signorum $29^\circ 45' 40''$, in uno die $59^\circ 8''$, in una hora $2' 28''$, in uno minuto primo $2'' 28'''$ &c.

COROLLARIUM.

673. Per solam adeo additionem instar Abaci Pythagorici (§. 109. Arithm.) inde construuntur Tabulae motuum mediorum in annis, diebus, horis & scrupulis.

PROBLEMA X.

674. Observare locum Aphelii & Perihelii, seu situm Lineæ Apsidum determinare.

RESOLUTIO.

Quoniam Terra in Aphelio maximum, in Perihelio minimum à Sole distantiam habet (§. 635. 638); ibi motus ejus tardissimus, hic velocissimus appetet (§. 354.). Observetur itaque singulis diebus locus Solis, dum Cancrum & Capricornum ingreditur, summa, qua fieri potest, accuratione (§. 203) & loca se invicem consequentia dierum à se invicem subtrahantur, ut relinquatur motus Solis diurnus. Quando enim velocissimus, in Perihelio Terra est; quando tardissimus, in Aphelio; consequenter cum constet, ubi hæreat Sol, hoc ipso patet ubi sit Terræ Aphelium & Perihelium.

Aliter.

I. Quodsi Observationes locorum Solis per aliquod temporis intervallum continuuntur, donec idem motus Solis diurnus bis reperiatur; duo habentur loca ab Aphelio & Perihelio æquidistantia. Quamobrem

2. Si arcus inter duo ista loca intercep-tus bifariam dividatur, habetur lo-cus Aphelii vel Perihelii, prouti Observations ○ ⊖ vel ○ ☾ propio-res (§. 554).
3. Cum Aphelium Perihelio opponatur (§. 633); loco uno dato alter inno-tescit, addito Semicirculo seu 180° :

PROBLEMA XI.

675. Invenire Eccentricitatem Solis.

RESOLUTIO.

1. Quoniam Diameter apprens Solis maxima est ad minimam ut $32' 43''$ ad $31' 38''$, (§. 552), hoc est (re-ductione scrupulorum primorum ad secunda facta) ut 1963 ad 1898 ; erit distantia Solis à Terra maxima SA ad minimam PS ut 1963 ad 1898 (§. 212. Optic.).
2. Cum adeo sit $PS + SA = PA = 3861$; reperietur Radius Eccentrici CP, 1930 ; consequenter $SC = PC - PS = 32$.
3. Quare si $CP = 100000$: invenitur $CS = 1658$ (§. 302. Arithm.).

COROLLARIUM.

676. Cum Eccentricitas SC in Sole vix sexagesimam Radii Eccentrici CP partem excedat (§. 675); Orbita Solis Elliptica à Circulari non admodum differt.

SCHOLION.

677. Unde non mirum, quod Calculus in Circulo Eccentrico institutus Observationibus satis respondeat. Et quoniam Eccentricitas ex variatione Diametrorum apparentium, in quibus observandis error aliquot scrupulo-rum secundorum evitari vix potest, deducta

non satis exacta haberri debet; ideo nil obstat, quo minus Eccentricitas & locus Apogei in Hypothesi Circuli eccentrici investigetur: quod adeo faciemus Problemate sequente.

PROBLEMA XII.

678. Datis duabus Observationibus Tab. Æquinoctiorum sibi immediate succeden-tium & uno loco Solis exira puncta Fig. 69. Æquinoctialia & Solstitialia in S; in-venire Eccentricitatem TC & locum Apogei A.

RESOLUTIO.

1. Ob datum locum Solis L datur arcus DL, distantia ○ à puncto Æqui-noctiali verno; consequenter angu-lus LTD (§. 57. Geom.) & ejus con-tiguus LTB (§. 149. Geom.).
2. Ob datum tempus Æquinoctii in B; datur tempus, quo Sol ex L in B per-venit: cui conveniens motus medius Solis reperiatur (§. 672), & sic ha-bebitur angulus SCM seu SCI.
3. Similiter, ob datum tempus Æquinoc-tii in D, datur tempus, quo Sol ex M pervenit in W: cui conveniens motus medius reperiatur (§. 672), & sic habebitur angulus MCW; consequenter angulus CMW (§. 248 Geom.), & ob ante repertum LTB (num. 1) angulus MIT (§. 245. Geom.), cui SIC æqualis (§. 156. Geom.).
4. Datis adeo in Triangulo CSI latere CS 100000 & angulis SCI & CIS (num. 2 & 3), invenitur latus CI (§. 36 Trigon.), quod ex radio CM subductum relinquit MI.

Ooo

5. Hinc

Tab. 5. Hinc porro in Triangulo MIT ex VIII. datis singulis angulis (*num. 1 & 3*)
Fig. 69. & latere MI (*num. 4*) reperitur TI
(§. 36. *T. 1. ig.*).

6. Denique ex datis in triangulo TIC lateribus TI & IC (*num. 4 & 5*) & angulo CIT (*num. 3 & §. 149 Geom.*), invenitur angulus ITC, seu LTA, distantia Apogæi AL à loco Solis in L observato (*§. 40. Trigon.*) & Eccentricitas TC (*§. 36. Trigon.*).

E. gr. RICCIOLUS (*a*) observavit Bononiæ A. 1655 d. 30. Jul. in ipso merid. locum $\odot. 7^{\circ} 0' 8'' \Omega$ & Äquinoctium Autumnale in B, d. 22. Sept. $18^{\text{h}} 55'$ A. 1656. Äquinoct. Vernalē in D. d. 19. Mart. $9^{\text{h}} 51'$.

Erat adeo

Tempus quo \odot ex L in B pervenit $54^{\text{d}}. 18^{\text{h}}. 55'$

Tempus quo ex B in D promotus $178^{\text{d}}. 14. 56.$

Unde

Angulus SCM - - - - -	$54^{\circ} 0' 35''$
Angulus MCW - - - - -	$176. 3. 10. 35''$
Ergo CMW - - - - -	$1. 58. 25$
Angulus LTD - - - - -	$127. 0. 8.$
LTB. - - - - -	$52. 59. 52$
MIT seu CIS - - - - -	$125. 1. 43$
CIT - - - - -	$54. 58. 17$
CSI - - - - -	$0. 57. 42$

Quare si CS = 100000

reperiatur CI = $2049\frac{1}{2}$, IM = 97951

TI = 4224 CT = 3480

LTA - - - - - $28^{\circ} 50' 0''$

LTD - - - - - $127. 0. 8$

Ergo ATD - - - - - $98. 10. 8$

hoc est locus Apogæi \odot $8^{\circ}. 10'. 8''$.

COROLLARIUM I.

679. Quodsi ex supposita Eccentricitate TC, quæ in circulo eccentrico repræsentandis æquationibus respondet, quæratur ratio Semidiametrov apparentium, erit ea ob. TV = CV - CT = 96520 & ob. NT = CN + TC = 103480, ut 103480 ad 96520. Unde si Semidiameter apparetis

maxima fuerit $1963''$ seu $32' 43''$ reperiatur minima $1830''$ seu $30' 30''$, adeoque justa minor (§. 553). Quare cum dimidia Eccentricitas seu $\frac{1}{2}$ TC 1740 eodem, quo ante calculo, producat Semidiametrum minimam $31' 36''$, quæ ab observata $31' 38''$ nonnisi $2''$ dissidet (*§. cit.*); evidens est dimidiæ Eccentricitatæ TC repræsentandis variationibus Semidiametrov apparentium, adeoque Eccentricitatæ in Ellipsi satisfacere (§. 675).

COROLLARIUM II.

680. Hinc vero apparet centrum medium motuum F non esse in centro Eccentrici C, sed ab eo tanto intervallo distare versus Apogæum A, quanto Sol S ab eodem F versus Perigæum P distat, ut nempe sit CS = CF.

SCHOLION I.

681. Cum hæc perpenderet KEPLERUS qui bisectionem Eccentricitatis primus reperit, atque perpenderet, esse in Ellipsi duos Focos S & F à centro C aequaliter utrinque remotos; in Ellipticam Orbitarum figuram incidit. Quamvis adeo primum erat inferre, Focum Ellipseos alterum F esse Centrum mediorum motuum, hoc est ex eo motus Planetæ in Orbita Physice inæquales spectari æquales, quod etiam ab ipso animadversum constat (*b*); eam tamen Hypothesin, quam postea excoluit SETHUS WARDUS (*c*) apud Anglos & Comes de PAGAN (*d*) apud Gallos, rejevit, quod eam deprehenderet Phænomenis minimum consentientem, præsertim in Marte, qui Theoriæ inveniendæ ansam dedit, ac præterea causis Physicis, quas scrutabatur, adversam, quemadmodum & postea demonstratum est à BULLIALDO (*e*) & veram Theoriæ supra propositam exhibuit, quæ incessu Planetaryrum in Orbita Curvilinea circa Solem convernit (*§. 651. Mechan.*).

SCHO-

(a) Astron. Reform. Lib. I. C. 9. f. 30.

(b) Epit. Astron. Copernic Lib. V. Part. 2. p. 685.

(c) In Astronomia Geometrica.

(d) In Theoria Planetaryrum.

(e) In Fundamentis Astron. Phil. clarius explicatis C. 1. & 2. p. 7. & seqq.

SCHOLION II.

682. PTOLEMÆUS (*a*) Eccentricitatem Solis Anno A.C. 139. reperit partium 4152 qualium Radius Eccentrici est 100000, quæ bissecta pro Ellipti est 2076. Enimvero ALBATEGNIUS (*b*) A.C. 883; jam observavit eam esse justo majorem, eamque fecit 3465 $\frac{3}{11}$ istiusmodi partium, quas diximus, quæ bissecta evadit fere 1733. Etsi autem, qui ipsum secuti sunt, ipse COPERNICUS & TYCHO, eandem majorem Albategniana, utut minorem Ptolemaica statuerint, & KEPLERUS bissectam (*c*) 1800 partium esse collegerit, qualium Eccentrici Radius est 100000; nostro tamen ævo omnes in eo consentiunt Astronomi, Eccentricitatem KEPLERIANAM in excessu peccare, ac ideo Tabulas Rudolphinas correctione indigere. CASSINUS Eccentricitatem bissectam statuit partium istiusmodi, quas diximus, 1700; WHISTONUS (*d*) eam accuratius esse ait 1686.

LEMMA II.

683. Sector Circuli AKC est ad aream integrum Circuli, ut arcus AK ad Peripheriam Circuli.

DEMONSTRATIO.

Sector Circuli AKC æqualis est Triangulo cuius basis æqualis est arcui AK, altitudo autem Circuli radio CA (*§.415 Geom.*), area vero Circuli æqualis est Triangulo, cuius basis æqualis est integræ Peripheriæ Circuli, altitudo vero radio CA (*§.410 Geom.*). Est itaque Sector AKC ad aream Circuli, in ratione arcus CA ad integrum Peripheriam (*§.389 Geom.*). Q.e.d.

PROBLEMA XIII.

684. Data Eccentricitate SC, una cum Anomalia Eccentri AK; invenire Anomaliam medianam.

(*a*) Almag. Lib. III. C. 4. f. m. 68.

(*b*) De Scientia Stellarum C. 28.

(*c*) In Tab. Rudolphinis.

(*d*) In Prælect. Astronom. Lect. 8. Probl. 3. p. 90.

RESOLUTIO.

Quoniam Anomalia media exprimitur per aream ASI seu ejus ad integrum Ellipsin, in qua Planeta movetur, rationem (*§.648*), & area ASI ad Ellipsin integrum eam rationem habet, quam ASK ad Circulum integrum (*§.141 Analyt. infinit.*); non alia re opus est, quam ut area KSA in istiusmodi partibus inveniatur, qualium area Circuli integri ADPE est 360. Igitur

1. Data Semidiametro Eccentrici CA, quæratur area Circuli (*§.429 Geom.*).
2. Data Eccentricitate SC una cum KL Sinu Anomaliae eccentrici KA, inveniatur area Trianguli KSC (*§. 392 Geom.*).
3. Hinc porro ope Regulæ trium investigetur, quot gradus & scrupula eidem Triangulo convenient, qualium integra Circuli area est 360.
4. Jam cum Sector KCA habeat ad aream Circuli rationem arcus KA ad Peripheriam integrum (*§.683*); Anomalia Eccentri KA addatur Triangulo KSC in gradibus & scrupulis Circuli invento: summa erit area KSA, adeoque exprimet Anomaliam medianam quæsitam.
5. Quodsi Planeta à Perihelio P ad Aphelium A progrediatur, Triangulum SKC à sectore PCk seu Anomalia Eccentri subtrahendum, ut relinquatur Anomalia media ADPKS excesfus PSk ultra Semicirculum.

E. gr. juxta KEPLERUM in Rudolphinis Eccentricitas Solis CS est 1800, radio CA existente 100000. Sit Anomalia eccentrici AK 2° ; erit KL 3489, adeoque Triangulum

Ooo 2

SKC

Tab.
VII.
Fig 68.

Tab. SKC 3140100. Sed Circuli eccentrici area
 VII. est 31415900000 (§.425.429 Geom.): quare
 Fig. 68. si eadem ponatur ; 60° seu $1296000''$, re-
 perietur SKC paulo major $129''$, hoc est,
 quam proxime $2' 10''$. Est igitur Anoma-
 lia media $2^{\circ} 2' 10''$, prout extat in Ru-
 dolphinis.

PROBLEMA XIV.

685. Data Eccentricitate CS, una-
 cum Anomalia eccentrici; invenire inter-
 vallum SI.

RESOLUTIO.

Quoniam angulum KCA Anomalia Eccentrici AK metitur (§.58 Geom.); erit CL ejusdem Cosinus (§. II Trigon.); in ultimo quadrante CL Sinus excessus super 3 quadrantes; in secundo, utpote Sinus arcus Dk, Sinus excessus super unum; & in tertio, utpote Sinus arcus Ek Cosinus excessus super duos.

1. Fiat ut CA ad CL, ita CS ad quar-
tam proportionalem: quæ
2. in primo & ultimo quadrante adda-
tur ad CA, in secundo & tertio inde subtrahatur, ut prodeat interval-
lum SI.

E. gr. Sit Eccentricitas Solis CS 1800, ano-
 malia eccentrici 2° , erit CL 99939, con-
 sequenter quarta proportionalis ad CA,
 CL & CS 1799. Ergo intervallum SI
 101799, prout extat in Rudolphinis.

DEMONSTRATIO.

Sit enim AL = x , SC = c , CA = $\frac{1}{2}a$,
 erit SI in primo & tertio quadrante
 $\frac{1}{2}a + c - 2cx : a$, in secundo & quarto
 $\frac{1}{2}a - c + 2cx : a$ (§.434 Analy. infin.). Est
 vero $c - 2cx : a$ quarta proportionalis ad
 $\frac{1}{2}a, \frac{1}{2}a - x & c$, hoc est, ad CA, CL &
 CS: ergo si ea addatur ad AC in casu
 uno, in altero autem inde subtrahatur,
 prodibit SI. Q. e. d.

PROBLEMA XV.

686. Datis Anomalia Eccentrici AK, Eccentricitate SC & intervallo SI; invenire Anomaliam coæquatam seu angulum ad Solem ISA.

RESOLUTIO.

I. Si Planeta fuerit in primo (vel ultimu-
 mo quadrante), in Triangulo ISL
 ad L rectangulo, ex datis intervallo
 SI & SL composita ex Cosinu ano-
 maliae Eccentrici AK in primo & Sinu
 excessus super tres quadrantes in ultimu-
 mo quadrante, atque Eccentrici-
 tate CS, invenitur Anomalia coæ-
 quata ISL in primo quadrante (§.40.
 Trig.), vel ejus complementum ASk
 ad Circulum in ultimo quadrante.

E. gr. Sit Eccentricitas \odot SC 1800, Ano-
 malia eccentrici 2° , erit SI 101799 (§.685),
 CL 99939 & hinc SL 101739: reperitur
 ISL $1^{\circ} 57' 58''$.

II. Si Anomalia eccentrici fuerit quadrans
 AD Eccentricitas SC est latus Trian-
 guli GSC & angulus GSC reperitur
 ut ante.

III. Si Planeta fuerit in secundo vel ter-
 tio quadrante, e. gr. in k, in Trian-
 gulo iSl ad l rectangulo, datur in-
 intervallum iS, latus lS, quod est dif-
 ferentia inter Eccentricitatem SC &
 Cosinum lC excessus Anomaliae ec-
 centrici super quadrantem in priore,
 super Semicirculum in posteriore ca-
 su. Unde angulus lSi reperitur ut
 ante.

COROLLARIUM.

687. Quodsi Anomalia media & coæ-
 quata à se invicem subtrahantur, relin-
 quetur Aequatio centri (§. 652).

SCHOZ

SCHOLION.

688. Patet jam ratio construendi Tabulas æquationum, quales pro Sole & singulis Planetis exhibet KEPLERUS inter Rudolphinas. Nimurum 1. Anomaliam eccentrici à gradu 1. usque ad 180 in prima Columna posuit & ei valorem Trianguli SIC (quod Partem Æquationis Physicam, alias quoque Triangulum æquatorium vocat, cum altera Pars Æquationis Optica ipsi sit angulus SIC) seu respondentis in Eccentrico SKC subjicit (§. 684), quorum aggregatum Anomaliam medium constituit (§. cit.) 2. Ad latutus Anomaliae eccentrici atque mediae posuit Anomaliam coæquatam per Problema præsens (§. 686). erutam & 3. Intervallum per Problema præcedens (§. 685) repertum.

SCHOLION II.

689. In aliis Tabulis Astronomicis in Columna prima comparet Anomalia media ex Anomalia eccentrici eticienda (§ 684), in altera Æquatio centri ex coæquata & media Anomaliis facile determinanda (§. 687) & in tertia denique Intervallum, quod per Problema 14. (§. 685) reperiri potest.

PROBLEMA XVI.

690. Data Eccentricitate & Anomalia media; invenire Anomaliam eccentrici & Anomaliam coæquatam.

RESOLUTIO.

Constat ex superioribus (§. 684), Anomaliae mediæ respondere aream KSA & Anomaliae eccentrici sectorem KCA, cui tot partes Areae totius Circuli convenient, quot Arcus Eccentrici AK habet gradus. Non alia igitur re opus est, quam ut area Trianguli Æquatorii SKC in partibus istiusmodi inveniatur, qualium Circulus ec-

centricus 360 habet. Hinc enim innotescit Anomalia eccentrici (§. cit.) & inde porro coæquata (§. 686). KEPLERUS (a) utitur Regula positionum, pro arbitrio Anomaliam eccentrici assumens & inde medianam computans, calculumque quoties opus est, instaurans; id quod exemplo rectius, quam præceptis docetur.

Sit e. gr. Anomalia media $2^{\circ} 2' 10''$ seu $7330''$. Quoniam Sector KCA minor area KSA, erit etiam Anomalia eccentrici KA minor $2^{\circ} 2' 10''$, adeoque Sinus KL minor 3552.94 , Sinu nempe $2^{\circ} 2' 10''$. Fiat ergo KL 3550 . Quoniam Triangula DSC & SKC inter se in ratione DC & KL existunt (§. 389. Geom.), DC vero 100000 & SC 1800 , adeoque DSC $90\ 000\ 000$ (§. 392. Geom.) seu $3713''$; reperiatur per Regulam trium, ope nempe rationis DC ad KL, seu Sinus totius ad Sinum Anomaliae eccentrici assumtae Triangulum Æquatorium SKC $132''$ seu $2' 12''$, quod Anomaliae eccentrici $2^{\circ} 2' 5''$ (cui nempe respondet Sinus 3550) additum, producit Anomaliam meditam $2^{\circ} 4' 17''$, quæ datam $2^{\circ} 2' 10''$ excedit $2' 7''$. Assumatur ergo Anomalia eccentrici primo assumta minor, scilicet $2^{\circ} 1'$ ad instaurandum calculum. Cum ei respondeat Sinus KL 3519 , reperiatur \triangle SKC $130''$ seu $2' 10''$: quod additum Anomaliae eccentrici $2^{\circ} 1'$, producit Anomaliam medium $2^{\circ} 3' 10''$, data $2^{\circ} 2' 10''$ majorem $1'$. Assumatur itaque ad instaurandum calculum Anomalia eccentrici 2° . Quoniam eidem convenit KL sinus 3499 , reperiatur \triangle SKC $130''$ seu $2' 10''$: quod additum Anomaliae eccentrici 2° producit Anomaliam medium $2^{\circ} 2' 10''$ quæ cum data prorsus coincidit. Est igitur Anomalia eccentrici 2° : qua data Intervallum SK & Anomalia coæquata facile reperitur (§. 685. 686).

Ooo 3

En

(a) Epit. Astron. Lib. V. p. 695.

En typum exempli:

Sit Sinus KL = 3550

$10000 : 3713 = 3550$

3550

185650

I

18563

$\pm 32 (2' 12''$

11139

60

13181150

$(132'') \Delta SKC$

I 00000

ΔSKC

$2' 12''$

Anom. Eccentri

2° 2 5

Anom. media

2 4 17

Anom. med. data

2 2 10

Excessus

2 7

Anomalia eccentrici

2° 1'

Sinus LK = 3519

$100000 : 3713 = 3519$

3519

3417

I

3713

$\pm 30 (2' 10''$

18565

60

11139

13066047

$(130'') \Delta SKC$

I 00000

ΔSKC

$2' 10''$

Anom. Eccentri

2° 1 0

Anom. media

2 3 10

Anom. media data

2 2 10

Excessus

1. 0

An. Eccentri verior 2°

Sinus KL = 3490

$100000 : 3713 = 3490 :$

3490

334170

I

34852

$\pm 30 (2' 10''$

11139

60

12958370

$(130'') \Delta SCK$

I 00000

ΔSCK

$2' 10''$

Anom. Eccentri

2' 0 0'

Anom. media

2° 2' 10'4

SCHOLION.

691. Methodum indirectam adhibuit KEPLERUS, quod de directa invenienda despataret. Enimvero cum directa Methodus non sit impossibilis, eam ut explicemus fas est.

THEOREMA XXXI.

692. Si in Circulo eccentrico AD sumatur arcus AD Anomalie media æqualis & per centrum Planetæ I in Orbita Elliptica AIP ducatur recta KL ad Lineam Apsidum AP perpendicularis, tandemque ex Centro C ad Punctum K ducatur recta CK; erit perpendicularis SG ad eandem, si opus est, productam demissa arcui DK æqualis.

DÉMONSTRATIO.

Quoniam arcus AD æqualis est Anomalie mediæ per hypoth. erit is ad integrum Circuli eccentrici Peripheriam, ut tempus motus medii Planetæ ab Aphelio A in I ad tempus Periodicum, quo scilicet integrum Orbitam percurrit. Similiter quia Sector Ellipticus ASI Anomaliam medium repræsentat, (§. 650); idem ad integrum Eclipseos aream in eadem ratione existit; consequenter ad ipsam est, ut arcus Circuli eccentrici AD ad Peripheriam integrum ejusdem (§. 167. Arithm.). Jam vero sector ASI est ad aream integrum Ellipseos, ut sector Circuli ASK ad aream integrum Circuli (§. 141. Analys. infinit.); consequenter sector Circuli ASK ad aream integrum Circuli, ut arcus Circuli Eccentrici AD ad Peripheriam ejusdem integrum (§. 167. Arithm.). Quamobrem cum etiam sit ut arcus Circuli eccentrici AD ad Peripheriam ejusdem integrum, ita sector DCA ad integrum Circuli

Circuli aream (§. 683), consequenter sectores Circuli DCA & ASK ad aream Circuli eandem rationem habeant (§. 167. *Arithm.*); erunt sectores isti inter se æquales (§. 177. *Arithm.*) Quodsi ergo utrinque auferatur sector ACK; erit \triangle SCK sectori DCK æquale (§ 91. *Arith.*); adeoque $DK \cdot \frac{1}{2} CK = SG \cdot \frac{1}{2} CK$ (§. 392. 435. *Geom.*); consequenter arcus DK = SG (§. 94. *Arithm.*). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

693. Quodsi ex D demittatur ad radium Circuli CK perpendicularis DE erit ea Sinus arcus DK (§. 3 *Trigon.*). Quare cum etiam sit SG ad eandem KG perpendicularis per hypoth. si ex D ducatur DF ipsi KG parallela; erit FG = DE (§. 226. *Geom.*), consequenter SF differentia inter Arcum DK & ipsius Sinum DE (§. 692).

COROLLARIUM II.

694. Si angulus FDS fuerit uno scrupulo secundo minor; erit DS ad sensum ipsi GK parallela, adeoque angulus CDS ipsi DCK æqualis (§. 233. *Geom.*).

LEMMA III.

695. Invenire differentiam inter arcum & Sinum ejusdem tam in partibus, qualium radius, est 10000000, quam in scrupulis secundis gradus.

RESOLUTIO.

I. Quoniam Diameter ad Peripheriam ut 10000000 ad 31415926 fere (§. 426. *Geom.*), erit Radius ad Peripheriam ut 10000000 ad 62831853 fere. Quare cum eadem Peripheria sit 360° ; inferendo ut 360° ad 62831853 ita Arcus datum ad quartum proportionalem, invenietur Arcus in istiusmodi partibus, qualium Radius est 10000000.

2. Quare cum in Canone Sinuum Sinus ejusdem Arcus in istiusmodi partibus detur; si ab Arcu auferatur, relinquitur differentia in partibus Radii.

3. Denique cum gradus unus sit 174533 in partibus Radii (n. 1.) & scrupulorum secundorum 3600, inferendo ut 3600 ad 174533 ita differentia in partibus Radii reperta (n. 2.) ad quartum proportionalem; erit is eadem differentia in scrupulis secundis.

PROBLEMA XVII.

696. Data Eccentricitate SC & Radio Eccentrici CA; invenire Axem Tab. VII. dimidium minorem Orbitæ Ellipticæ CG. Fig. 68.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

Quoniam in Ellipsi recta ex Foco S ad Punctum G ducta est Axi dimidio majori CA æqualis (§. 434. *Analys. infinit.*), à quadrato Radii Eccentrici SG subtrahatur quadratum Eccentricitatis SC & ex residuo extrahatur Radix, quæ erit dimidius Axis Orbitæ Ellipticæ minor CG (§. 517. *Geom.*).

E. gr. Juxta KEPLERUM Eccentricitas Solis SC = 1800, CA = 100000. Reperiatur ergo CG = 99983.

PROBLEMA XVIII.

697. Data Anomalia media & Eccentricitate SC; invenire coequatam.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

I. Quoniam Anomalia media exprimitur per aream sectoris ASI (§. 648); ex ea inveniri potest semiordinata IL, ex loco Planetæ I ad Lineam aplidum AP ducta (§. 193. *Analys. infinit.*).

2. Quæ-

- Tab. VII. Fig. 68. 2. Quæratur porro ex Radio Eccentrici CA & Eccentricitate CS Axis dimidiatus minor Orbitæ Ellipticæ CG (§. 696).
 3. Quoniam IL ad LK ut CG ad CD (§. 598. *Anal. infin.*) ; per Regulam trium invenietur KL : qui cum sit Sinus Anomaliae Eccentri AK (§. 3. *Trigon.* & §. 649. *Astron.*).
 4. Hæc cognita invenietur Intervallum SK (§. 685), tandemque Anomalia coæquata (§. 686).

Aliter.

- Tab. XII. Fig. 101. Quia ex dato sectore ASI semiordi- nata IL molesto calculo eruitur, ideo addere lubet Methodum faciliorem ad condendas Tabulas Æquationum magis aptam.

1. Cum in \triangle DCS dentur latera DC Radius Eccentrici & CS Eccentricitas una cum angulo DCS ipsi DCA Anomaliae mediæ datæ æquali, *per hypoib* deinceps posito (§. 149 *Geom.*) ; reperietur angulus CDS (§. 40. *Trigon.*).
2. Quoniam hic ipse angulus alteri DCK æqualis, si angulus SDF fuerit uno scrupulo secundo minor (§. 694), id quod obtinere deprehenditur, si CDS fuerit minor $2^\circ 30'$; angulus inventus ex Anomalia DCA subtrahatur, relinquetur angulus ACK, Anomalia Eccentri (§. 649).
3. Quodsi vero idem angulus CDS fuerit major $2^\circ 30'$; ex datis in \triangle CDS lateribus DC & CS, una cum angulo CDS n. 1. reperto, invenitur latus SD (§. 38. *Trig.*).

4. Hinc porro quæratur differentia inter Arcum, qui metitur angulum CDS & ejus Sinum in scrupulis secundis (§. 695), quem citra errorem sensibilem pro differentia inter Arcum DK & ejus Sinum DE seu recta SF accipere licet.
5. Quoniam in \triangle SDF est ut DS ad Sinum totum, ita SF ad Sinum anguli SDF (§. 33. *Trig.*), & SF in scrupulis data haberi potest pro Arcu, cuius Sinus eadem SF in particulis decimalibus Radii data, Sinus vero Arcuum seu angulorum exiguum sunt inter se ut ipsi Arcus seu anguli; erit quoque SF in scrupulis secundis data ad angu'um SDF, ut SD ad Sinum totum (§. 167. *Arithm.*), adeoque angulus SDF reperiri potest.
6. Quodsi jam angulus SDF ab angulo SDC ante (n. 1) invento subtrahatur, relinquetur angulus FDC, cui DCK, æqualis, & hinc ut ante (n. 2) reperitur Anomalia Eccentri KCA.
7. Data Anomalia Eccentri KCA & Eccentricitate SC invenitur Intervallum IS (§. 685), tandemque Anomalia coæquata ISA (§. 686). Vel cum data Anomalia Eccentri ACK detur complementum ad duos rectos KCS (§. 149. *Geom.*) ac præterea in \triangle SKC dentur latera CS Eccentricitas & CK Radius Eccentrici, reperietur angulus SKC (§. 40. *Trigon.*) : qui ex Anomalia Eccentri KCA subductus relinquit angulum KSA (§. 139 *Geom.*). Quodsi

SL sumatur pro Sinu toto, erit KL
 Tangens anguli KSA & IL Tan-
 gens anguli ISA (§. 7. Trigon.).
 Quare cum sit KL ad IL ut Ra-
 dius Eccentrici ad Axem conju-
 gatum Orbitæ Ellipticæ ex datis
 inveniendum (§. 599 *Analys. fin.*)
 inferendo: ut Radius Eccentrici
 ad dimidium Axem minorem ita
 Tangens anguli KSA ad Tangen-
 tem anguli ISA, reperitur tandem
 Anomalia coæquata ISA.

E. gr. Quæratur Anomalia vera Solis,
 quæ respondet Anomalia media 2°. Cum
 sit juxta KEPLERUM Eccentricitas SC =
 1800'', erit Typus exempli sequens.

$$CD = 100000 \quad CD = 100000 \\ SC = 1800 \quad SC = 1800$$

$$CD + CS = 101800 \quad CD - SC = 98200 \\ \text{ang. } \frac{1}{2} DCA = \frac{1}{2} (CSD + CDS) = 1^\circ$$

$$CD + SC = SA$$

$$CD - SC = SP$$

$$\text{Log. SA} \quad 50077478$$

$$\text{SP} \quad 49921115$$

$$\text{Tang. } \frac{1}{2} DCA \quad 82419215$$

$$\text{Summa Logg.} \quad 132340330$$

$$\text{Tang. } \frac{1}{2} (CSD - CDS) \quad 82262852,$$

cui in Tabulis quam proxime respondent
 57' 52''

$$\frac{1}{2} (CSD + CDS) = 1^\circ 0' 0'' \\ \frac{1}{2} (CSD - CDS) = 57' 52''$$

$$DCK = CDS = 2' 8'' \\ DCA = 2^\circ$$

$$KCA = 1^\circ 57' 52''$$

$$\frac{1}{2} KCA = \frac{1}{2} (CSK + SKC) = 58' 56''$$

Log. SA	50077478	Tab: XII.
SP	49921115	Fig. 101.
Tang. $\frac{1}{2}$ KCA	82341291	
Logg. Summa	132262406	
Tang. ($\frac{1}{2}$ CSK - SKC)	82184928	
cui in Tabulis respondent	56' 50''	
$\frac{1}{2}$ (CSK - SKC) =	56' 50''	
$\frac{1}{2}$ (CSK + SKC) =	58' 56''	
ASK = 1° 55' 46''		
Log. CD	40000000	
Semi-axi minor	39999261	
Tang. ASK	85274736	
Logg. Summa	125273997	
Tang. ASI	85273997	
cui in Tabulis respondent 1° 55' 44''		
pro Anomalia coæquata quæfita.		

COROLLARIUM I.

698. Quoniam perinde est, sive b ipsi c addas & a $b + c$ subtrahas a , sive differentiatam $a - b$ a c subtrahas, utrobique nimirum prodeunte $b + c - a$; differentia Logarithmorum distantia maximæ & minimæ à Sole AS & SP subtrahenda est à Tangente dimidiæ Anomalia mediæ ACD pro differentia dimidia angulorum CSD & CDS & à Tangente dimidiæ Anomalia eccentrici ACK pro semidifferentia angulorum CKS & CSK.

COROLLARIUM II.

699. Eodem modo patet, differentiam Logarithmorum Axium dimidiorum Orbitæ Ellipticæ subtrahi debere à Tangente anguli ASK pro Anomalia coæquata.

COROLLARIUM III.

700. Quoniam in quolibet Planeta distantia maxima & minima & Axes dimidii P p p Orbitæ

Tab. XII. Orbitæ Ellipticæ sunt quantitates constantes; nonnisi duobus Logarithmis ad calculum opus est subtractivis, veluti in Sole, si Eccentricitas KEPLERIANA retineatur, 156363 & 739, quorum ille est differentia Logarithmorum distantiarum, hic Axium.

SCHOOLION.

701. Monuit jam CASSINUS (a), cui methodum hanc debemus, in Theoria Solis, Luna, Veneris, Jovis & Saturni, negligendam esse differentiam inter arcum DK & ejus Simum DE. Calculus igitur in his Planetis maxima facilitatis (§. 698 & seqq.). Et quamvis differentia ista in Marte atque Mercurio, quorum Orbitæ valde eccentricæ, negligi non possit, ad facilitandum tamen calculum construi potest Tabula (§. 695), qualem exhibet CASSINUS (b) ut inde differentiae desideratae excerpi possint a Tabularum Conditoribus, quoties opus habent.

PROBLEMA XIX.

702. Invenire Apogei motum annum.

RESOLUTIO.

1. Conferantur inter se duæ Observations loci Apogei longissimo intervallo à se invicem distantes, minorque è majore subducatur.
2. Differentia in scrupula minima conversa dividatur per numerum Annorum inter utramque Observationem intercedentium.

Quotus erit motus Apogei annus.

E. g. HIPPARCHUS anno ante Christum 140 observavit Apogæum Solis in $2^{\circ} 50' 30''$, RICCIOLUS anno post Christum 1646 in $2^{\circ} 7' 26' 15''$. Quodsi differentia $31' 56' 15''$ ad scrupula secunda redacta dividatur

(a) In Comment. Acad. Reg. Scient. A. 1719. p. 199. Edit. Bat.

(b) Loc. cit. p. 204.

per intervallum Annorum 1785 prodibit motus annuus Apogæi $1' 2''$ quemadmodum extat in Tabula Cel. DE LA HIRE.

COROLLARIUM.

703. Dato motu annuo Apogæi, facile invenitur mensurus atque diurnus & Tabulae motuum Apogæi construuntur quemadmodum Tabulae motuum mediorum (§. 672, 673).

PROBLEMA XX.

704. Dato ad aliquod momentum per Observationem loco Solis vero; invenire medium.

RESOLUTIO.

1. Quæratur locus Apogæi ad datum tempus (§. 674, 678).
2. Longitudo Apogæi subtrahatur à longitudine Solis, aucta integro Circulo, si illa minor fuerit: quod relinquitur est Anomalia coæquata seu angulus ISL (§. 650).
3. Quodsi in Tabulis aequationum Anomalia coæquata evolvatur; invenietur ei respondens media.
4. Anomalie media addatur locus Apogæi; ita prodibit locus Solis medium.

COROLLARIUM.

705. Dato loco Solis medio ad aliquod tempus datum facile invenitur idem ad tempus quocunque aliud datum (§. 672).

PROBLEMA XI.

706. Dato motu Solis medio & motu Apogæi annuo; invenire motum Anomalie annuum.

RESOLUTIO.

Cum motus Apogæi annuus sit differentia inter motum Solis medium & motum Anomalie (§. 646); motus Apogæi

ex

ex motu Solis subductus relinquit motum Anomaliae annum. E. gr.

Motus \odot medius ann.S. $11.29^{\circ}45'40''$

Motus Apogei annuus $1^{\circ}2'$

Motus Anomal. annuus $11.29^{\circ}44'38''$

COROLLARIUM.

707. Dato motu Anomaliae anno, inventur etiam menstruus & sic Tabulae Anomaliarum Solis conduntur.

SCHOLION.

708. Tales Tabulas exhibet LONGOMONTANUS in Astronomia Danica. Notandum vero, quod pro motu Anomaliae diurno atque horario sumatur medius diurnus & horarius ob tarditatem motus Apogei.

THEOREMA X|XXII.

709. Dies Solares sunt inaequales.

DEMONSTRATIO.

Quoniam cum Arcibus Eclipticæ æqualibus inaequales Arcus Äquatoris per Meridianum transeunt, que in admodum vel ex Tabulis Ascensionum rectarum constat, tum etiam ex collatione Arcuum Äquatoris & Eclipticæ inter Punctum Äquinoctiale alterutrum & Circuitos quo slibet Declinationum interceptorum statim innotescit; præterea ipse motus Solis verus in Ecliptica inaequalis est, testibus Observationibus: fieri omnino nequit, ut in singulis Solis revolutionibus idem numerus graduum a scrupulorum Äquatoris per Meridianum transeat. Dies adeo Solares inaequales sunt (§. 211). Q. e. d.

COROLLARIUM I.

710. Quoniam ad motus Siderum computandos tempus æquale requiritur; ejus mensura non inepte constituitur Sol quidam fictus, qui motu medio Solis in Äquatore movetur.

COROLLARIUM II.

711. Est adeo differentia inter dies æquales & inaequales temporis particula, qua durante differentia inter Ascensionem rectam Solis veri & locum Solis ficti seu locum medium veri per Meridianum transit.

DEFINITIO XXIV.

712. Tempus medium est tempus æquale quod appulus Solis ficti, motu Solis veri medio in Äquatore incidentis, ad Meridianum determinatur.

DEFINITIO XXV.

713. Tempus apparenſ vel verum est tempus inaequale, quod motu Solis veri in Ecliptica incidentis determinatur.

DEFINITIO XXVI.

714. Äquatio temporis est differentia inter tempus medium & apparenſ.

PROBLEMA XXII.

715. Dies Solares aquare; hoc est, tempus apparenſ in medium convertere & medium in apparenſ.

RESOLUTIO.

I. Si Ascensio recta Solis æquatur motui medio ejusdem, Sol fictus & verus eodem tempore per Meridianum transeunt, adeoque tempus apparenſ cum medio coincidit.

II. Si Ascensio recta est major motu medio, hic ab illa subtrahatur & differentia in tempus Solare conversa (§. 212) subducatur ex apparente, ut habeatur medium, vel addatur medio, ut habeatur apparenſ (§. 721 & seqq.).

III. Si denique Ascensio recta minor motu medio, illa ex hoc subducatur & differentia in tempus Solare conver-

fa (§. 212) addatur apparenti, ut habeatur medium, vel è medio subducatur, ut prodeat apparenſ (§. cit.).

SCHOLION I.

716. *Hac æquandi ratio obtinet, si calculus fuerit progressivus: si vero retrogradus, h. e. si tempus ante Epocham retro numeretur, contraria prorsus ratione operandum.*

SCHOLION II.

717. *Dicitur autem Aequatio à nobis exposita Astronomica, cui alias addidere recentiores, hoc loco prætermittendas, quia non certis. sed ad arbitrium confictis fundamentis, judice RICCIOLO (a) nituntur & Eclipsibus, omnibus pensatis, Astronomica magis satisfacit quam aliae, ex falsis hypothesibus de Solis & Lunæ motibus, ex Meridianorum differentia minus exacta & ex Observationibus Eclipsum fallacibus manantibus, quæ contra eam afferuntur.*

PROBLEMA XXIII.

718. *Conſtituere Epochas seu Radices motus Solis medii & Apogæi.*

RESOLUTIO.

1. Eligatur aliqua Epochæ, à qua principium numerationis fieri debet, e. gr. meridies diei primæ Januarii (aut ultimi Decembris) Anni secularis.
2. Quæratur aliquis locus Solis verus ad datum quocunque tempus apparenſ per Observationem (§. 204).
3. Locus verus convertatur in medium (§. 713) & tempus apparenſ itidem in medium (§. 715), ut habeatur aliquis locus Solis medius ad datum aliquod tempus medium.

(a) Almag. Lib. III. C. 32. f. 179.

4. Quæratur intervallum inter Epocham & tempus Observationis medium in annis, diebus, horis atque scrupulis, eique competens motus medius assignetur (§. 672).
5. Subtrahatur is ex loco Solis medio ante invento, ut prodeat Longitudo Solis media ad Epocham, quæ tempus Observationis præcedit; idem ad eundem addatur, ut locus Solis ad Epocham prodeat, quæ tempus Observationis sequitur.
6. Simili prorsus modo locus Apogæi observatur (§. 674. 678) & ad tempus medium reductus (§. 715) Epochæ alligatur.

SCHOLION.

719. *Hoc artificio constructæ sunt Tabulæ Epocharum seu Radicum à Recentioribus: PTOLEMÆ vero, ALPHONSUS & COPERNICUS tempori apparenti Epochas affixere. Notandum vero Epochas tum alligatas esse Meridiano, in quo Observationes habitaæ.*

PROBLEMA XXIV.

720. *Ad datum tempus locum Solis verum ſupputare.*

RESOLUTIO.

1. Constituatur Epochæ motus Solis medii & Apogæi (§. 718).
2. Intervallo temporis inter Epocham & tempus datum intercedenti reperiatur conveniens motus medius & motus Apogæi (§. 703).
3. Uterque loco Epochæ affixo addatur, integris circulis, si qui proveniunt, abjectis, ut prodeat locus Solis medius & locus Apogæi ad tempus datum.

4. Locus Apogæi à loco Solis (integro circulo, si illo minor sit, aucto) subtrahatur, ut relinquatur Anomalia media (§. 647).
5. Anomalia media data, reperiatur coæquata (§. 697), aut Æquatio à media ab Apogæo usque ad Perigæum subtrahenda, à Perigæo ad Apogæum addenda, ut habeatur coæquata.
6. Anomaliae coæquatæ addatur locus Apogæi supra repertus n. 3: summa erit locus Solis verus ad datum tempus medium in Meridiano, cui Epochæ alligantur.
7. Dato loco Solis vero, quadratur ejus Ascensio recta (§. 204): qua data, tempus medium in apprens convertatur (§. 7.) & ut ante locus Solis apprens supputetur, aut (quia iteratio calculi nimis molesta foret & præter necessitatem repeteretur, cum in paucis scrupulis horariis motus verus à medio sensibiliter non differat) loco Solis ad tempus medium invento addatur, vel ab eodem subtrahatur tantundem motus medii, quantum Æquationi additivæ aut subtractivæ respondet.

DEMONSTRATIO.

Ratio totius calculi ex articulis citatis abunde patet: id unice demonstrandum, quod Æquatio sit subtrahenda in sex prioribus Anomaliae mediæ signis, addenda vero in posterioribus. Quoniam enim Centrum mediorum motuum F à Centro verorum motuum S ultra C distare debet (§. 680); angulus IFA, vel

iFA Anomaliae mediæ æqualis (§. 647), sicut ASI vel ASI est Anomaliae coæquatæ æqualis (§. 650). Quare cum Fig. 68. angulus $IFA > ISA$ & $iFA > iSA$ (§. 239 *Geom.*), Anomalia media in priore Semicirculo major coæquata, consequenter Æquatio è media subtrahenda, ut relinquatur vera (§. 652). Eodem prorsus modo patet, in altero Semicirculo Anomaliam coæquatam esse media majorem, cum angulus PSi sit major ipso PFi (§. 239 *Geom.*), consequenter Æquatio media addenda, ut prodeat coæquata (§. 652). *Q. e. d.*

SCHOOLION I.

721. Non aliis præceptis opus est, si quis ex Tabulis Astronomicis locum Solis ad datum tempus computare voluerit, nisi quod in genere notandum, si qua accurate in Tabulis non extant, prout desiderantur, e. g. si quis in Tabulis PHILIPPI DE LA HIRE querat Æquationem ad Anomaliam medianam S. 1. $2^{\circ} 25'$ & in ea tantum habeatur, quæ gradibus duobus & tribus respondet; querendam esse per Regulam trium partem proportionalem, pro re nata vel addendam, vel subtrahendam eo prorsus modo, quo in Trigonometria in excerpidis Sinibus atque eorum Logarithmis ex Canone Sinuum usi sumus (§. 38. *Trigon.*). E. gr. Æquatio Anomaliae mediæ i. S. 2° respondens est $59^{\circ} 56''$, differentia inter eam & anomaliam i. S. 3° est $1' 41''$: seu $101''$: quod si ergo fiat ut $60'$ ad $25'$, ita $101''$, ad numerum quartum proportionalem $42''$, erit pars proportionalis $42''$ ad Æquationem $59^{\circ} 56''$ addenda, ut habeatur desiderata $1^{\circ} 0' 38'$. Deinde notandum quod in omnibus istiusmodi computis Astronomicis semper abiciendi sint integri Circuli ex additione resultantes & Circulus unus addendus sit, si quando maius è minori subtrahendum.

SCHOLION II.

722. Consultum vero videtur ut modum computandi locum Solis ex Tabulis Cel. DE LA HIRE exemplo aliquo illustremus. Supputandus itaque sit locus Solis verus ad tempus apparens d. i. Aug. A. 1711 in Meridiano Parisiensi, ad quem Tabulae istae construētae sunt.

A. 1700 Apog. 3S.	8°	7'	30"
A. 10		10	15
Jul.		35	
Apog. 3S.	8°	18'	20"
Rad. A. 1700.	9S.	10°	52' 17"
Mot. med. A. 10	10	29	35 11
Jul. 6.	28	57	26
Loc. ⊕ med. 1S.	9°	24'	54"
Apog. subtr. 3	8	18	20
Anom. med. 1S.	8	6	34
Æquat. subtr.		58	25
Anom. coæq. 1S.	0	8	9
Apog. add. 3	8	18	20
Loc. ⊕ ver. 4S.	8	26	29
Afc. rect.	4	10	51 57
aferat. inde	1	3	30 (§. 715)
Afc. corr. 4S.	9	48	27
Long. med. ⊕ 4S.	9	24	54
Excess. Afc.	23	33	
Æquat. temp. add.	1	34	
Mot. med. ⊕ h.t.		4	
Loc. ⊕ verus 4S.	8	26	29
Loc. ⊕ verus 4S.	8	26	33
in Merid. Paris. ad tempus apparens.			

SCHOLION III.

723. Novam Tabularum formam excogitavit Cl. GRANDJEAN (a), qua Calculus minus abbreviatur & Ephemeridum calculatio facilissima redditur, cum non ad singulos dies

(a) In Comment. Acad. Reg. Scient. A. 1731. p. 433. & seqq. Edit. Paris.

Calculus instaurandus sit, quemadmodum vulgo fieri necesse est. Nimirum i. construi jubar Tabulam Transitus ⊕ per Apogæum & Longitudinis Apogæi ad Annos CHRISTI, ut inde momentum illius transitus loco Epochæ excerpti possit una cum longitudine Apogæi. Hoc momentum si auferatur à tempore dato, ad quod locus Solis computandus, relinquitur tempus à transitu per Apogæum elapsum. Quamobrem secundam construi porro præcipit Taculam veri motus Anomalisticæ in singulis diebus ab Apogæo, una cum differentiis diurnis, ut inde motus Longitudini Apogæi in momento transitus addendus excerpti & pro appendice horarum & scrupulorum pars proportionalis addenda reperiri possit, pro qua facilius invenienda addit Tabulam tertiam proportionalis motus diurni Solis. Quantum calculus hoc pacto abbreviatur, patet ex Auctoris exemplo, quod hic subjicere lubet. Locum Solis exhibet ad d. 12. Jul. 1732 in meridie.

A. 1732	194 d.	oh.	0'	0"
Trans. ⊕ per. Apog.	182	21	13	54
Temp. ab Apog.	11 d.	2h.	46	6"
Mot. anomal.	11 d.	10° 29'	21"	
		2h.	4.	46
		46'	1.	49
		6"		0
Longit. Apog.		3 S. 8.	39.	37
Loc. ⊕ verus		3 S. 19.	15.	33
Cum in Tabula extent motuum ab Apogeo differentiæ dirunæ, sola earundem additione locus Solis ad dies sequentes innotescit. Patet etiam Tabulas sine omni Hypothesi ex ipsis Observationibus deduci, & ea accuratione construi posse, quæ in Observationes loci Solis cadit.				

SCHOLION III.

724. Quodsi locus Solis aut Planetæ cuiusque ad Meridianum diversum ab eo, cui Epochæ alligatae sunt, supputandus; reductio Meridianorum instituenda juxta, ea quæ suo loco independenter ab his docentur.

SCHO-

SCHOLION IV.

725. Quoniam *Aequatio temporis* in loco Solis, Lunæ ac Planetarum inferiorum computando negligi nequit, nisi subinde integris minutis, immo in Luna dimidio gradu & amplius aberrare velis; ideo quoque construiscent Tabulæ *Aequationum temporis* huic usui inservientes: prout in Problemate sequenti docetur.

PROBLEMA XXV.

726. Tabulas *Aequationum temporis* construere.

RESOLUTIO.

1. Constituatur aliquis terminus, unde *Aequatio temporis* initium sumere debet, noteturque ad illum diem differentia inter Ascensionem rectam loci veri Solis & locum ejus medium.
2. Ad singulos gradus Longitudinis mediae quæratur respondens Longitudo vera (§. 720).
3. Data Longitudine Solis vera, quæratur Ascensio recta ipsi conveniens (§. 204) & excessus Ascensionis rectæ supra Solis locum medium supra inventus inde auferatur vel defectus illius ab hoc supra inventus eidem addatur, ut habeatur Ascensio correcta.
4. Differentia inter Ascensionem correctam & locum medium Solis assumtum in tempus Solare convertatur: quod prodit, est *Aequatio temporis* cum titulo competente (§. 715) *Tabula Aequationis* inferenda.

E. gr. Sit *Epocha*, à qua sumitur initium *Aequationis*, dies prima Januarii A. 1700, qua Ascensio recta veri loci Solis superabat locum ejus medium $1^{\circ} 3' 30''$: queritur *Aequatio temporis* pro illo die, quo

Sol in 1° Q versatur motu medio.	Ergo à Long. \odot med.	4 S. 1°
subtr. Apog. locus	3 S. $8. 7' 30''$	
erit Anom. med.	22. 52. 30	
subtr. <i>Aequatio centri</i>	43. 55	
erit Anom. vera	22. 8. 35.	
Loc. Apog. add.	3 S. 8. 7. 30	
Loc. Solis verus	4 S. 0. 16. 5	
cui resp. Ascens. recta	122. 28. 10	
subtrahatur excessus	1. 3. 30	
erit Ascensio correcta	121. 24. 40	
Jam locus medius Sol.	121. 0. 0	
Excess. Ascens. rectæ	24' 40"	
Respondent vero		
<i>Aequatoris</i> $24'$ Temp. medii $1' 36''$		
$40''$	2. 40	
Ergo <i>Aequatio temporis</i>	$1' 38'' 40'''$	
hoc est,	$1' 39''$	
quanta nimurum reperitur in <i>Tabula Aequationis temporis</i> Cel. DE LA HIRE (a).		

Alior.

Quoniam Tabulæ hac ratione constructæ temporariæ sunt, quia locum Apogei datum ad aliquod tempus supponunt, qui tamen fixus non est, sed singulis annis 2 scrupulis primis & 2. secundis mutatur; ideo ab aliis duplex conditur *Tabula Aequationis temporis*, & per duarum *Aequationum* additionem vel subtractionem in usu eruitur *Aequatio temporis* proposito conveniens. Ut fundamentum utriusque Tabulæ intelligatur, ponamus in O esse $0\ \varphi$, in A locum Solis verum, in E medium, & perpendicular ex A in *Aequatorem* OB demissum designare loci veri Ascensionem rectam C (§. 190). Fiat OD = OE & OB = OA, erit DB differentia inter:

Tab.
VII.

Fig. 70.

Tab. inter locum verum & medium, seu
 VII. Æquatio centri, & CB differentia
 Fig. 70. inter locum verum & ejus Ascensionem
 rectam: CD vero utriusque differentiæ
 differentia, tanquam differentia inter
 Ascensionem rectam loci veri C & lo-
 cum medium D in tempus conversa
 dat Æquationem temporis (§. 715).
 Quodsi in E fuerit locus verus, in A
 medius, Æquationi respondens arcus
 GB est summa dictarum differentia-
 rum GD & DB. Patet adeo *Tabulam*
 Æquationis temporis unam construi, si
 singulis gradibus Anomaliæ mediæ jun-
 gatur Æquatio centri in tempus me-
 dium conversa: alteram vero, si sin-
 gulis gradibus Longitudinis mediæ ad-
 scribatur differentia inter locum verum
 Solis & ejus Ascensionem rectam in
 tempus conversa, notatis tamen, quæ
 de termino, unde Æquationis initium
 sumitur, dicta sunt.

PROBLEMA XXVI.

727. Observare Oppositionem Plane-
 tarum superiorum cum Sole.

RESOLUTIO.

1. Quando suspicio est, Planetam Soli
 mox oppositum iri, queratur per
 Observationem Ascensio recta Pla-
 netæ, ut supra Probl. 4 (§. 559),
 vel ex observata distantia à duabus
 Stellis fixis notæ Ascensionis (§. 227).
2. Ad momentum Observationis sup-
 putetur locus Solis verus (§. 720),
 queraturque ejus Ascensio recta
 (§. 204).
3. Quodsi differentia inter Ascensionem
 rectam Solis & Ascensionem rectam
 Planetæ fuerit 180° , Oppositio ip-

- so momento Observationis facta:
 quod quidem rarissime continget.
4. Si vero differentia illa fuerit Semi-
 circulo minor, Observatio iteretur,
 donec eodem major evadat.
 5. Cum ex harum Observationum colla-
 tione innotescat incrementum diur-
 num Ascensionis rectæ Solis supra
 Ascensionem rectam Planetæ & ex
 Observatione ultima constet diffe-
 rentia inter Ascensionem rectam So-
 lis & Ascensionem rectam Planetæ
 ad momentum Observationis, si per
 Regulam trium queratur tempus ad
 24 horas eam rationem habens
 quam differentia prædicta ad incre-
 mentum prædictum, & à momen-
 to Observationis subtrahatur, pro-
 dabit momentum Oppositionis veræ.

COROLLARIUM.

728. Quoniam ♀ & ♃ interdiu juxta
 Solem per Tubos videri possunt, non ab-
 simil modo eorum Conjunctiones cum
 Sole hodie observari possunt.

PROBLEMA XXVII.

729. Determinare temporis interval-
 lum, quo Planetæ superiores Revolutio-
 nem unam circa Solem absolvunt.

RESOLUTIO.

1. Assumantur ab initio duæ Observatio-
 nes Oppositionum non multum à se
 invicem distantes, ne numerus Re-
 volutionum incertus evadat: cogniti
 o enim loco Solis ad Oppositio-
 num momenta, habetur quoque
 locus Planetæ ad eadem momenta.
2. Supputetur intervallum temporis ab
 una

una Observatione usque ad alteram elapsum in minimis scrupulis, & ex collatione locorum Planetæ in Observationum momentis eruatur arcus, quem is dato intervallo descripsit.

3. Hinc inferatur, Ut arcus modo reper-tus ad intervallum temporis inter duas Observationes interjectum, ita 360 gradus ad tempus integræ Revolutioni debitum: quod adeo, licet minus exacte, per Regulam trium invenitur, cum Planeta nec in Circulo, nec motu æquabili moveatur, quemadmodum supponitur.

4. Cognita falso aliquatenus quantitate unius Revolutionis, assumantur duæ Observationes longa annorum serie distantes, & tempus ab una usque ad alteram elapsum in scrupulis horariis accurate supputetur, per quantitatem unius Revolutionis pau-lo ante repartam dividendum, ut prodeat numerus Revolutionum interea peractarum.

5. Ex collatione loci Planetæ in prima Oppositione cum loco in altera deducatur quantitas arcus supra integros Circulos modo inventos, atque his in graduum scrupula conversis addatur.

6. Hinc inferatur: Ut hoc aggregatum ad temporis intervallum inter duas Observationes intercedens, ita 360 gradus ad quantitatem unius Revolutionis; quæ adeo per Regulam trium reperitur.

E. gr. LONGOMONTANUS Oppositionem Sa-turni cum Sole *Hafniae A. 1582 d. 21 Aug.* st. v. h. 2. post medium noctem observavit in $\text{X}^{\circ} 26'$, A. 1583 d. 3 Sept. h. 1 post medium noctem in $\text{X}^{19^{\circ}} 50'$, A. 1611 d. 15 Aug. h. 16 in $2^{\circ} 12' \text{ X}$: Tycho vero A. 1582 d. 21 Aug. h. 2 in $\text{X}^{\circ} 26'$ & *Astro-nomi Alexandrini A. 136 d. 9 Jul. h. 24 in* $\text{X}^{14^{\circ}} 14'$. Ex his Observationibus quan-titas Revolutionis h circa Solem ita de-ducitur :

Observatio I.

A°. 1582. d. 21 Aug. h. 14 - - $\text{X}^{\circ} 26'$
Observatio II.

A°. 1583. d. 3. Sept. h. 13 - - $\text{X}^{19^{\circ}} 50'$

Intervallum Temporis d. 377 h. 23 seu h. 907 r
Motus eidem respondens $12^{\circ}, 24'$, seu 744 r .

Inferatur, Ut 744 r ad h. 907 r
Ita 360° . ad Temp. Revolut. d. 10973.

Observatio III.

A°. 1611. d. 15. Aug. h. 16 - - - $\text{X}^{\circ} 12'$
Int.Temp.inter I & III. d. 10586. h. 14, seu h. 254078
Motus eidem respond. $354^{\circ}. 46'$, seu 21286° .

Inferatur, Ut 21286° , ad h. 254078
Ita 360° . ad Temp. Revol. d. 10742. h. 18.

Observatio Alexandrina

A. 136. d. 9. Jul. h. 24 - - - $\text{X}^{14^{\circ}} 14'$
Observatio Tychonica

A. 1582. d. 21 August. h. 2 - - - $\text{X}^{\circ} 28''$
Different. Merid. add. h. 1. 35 l .

Tycho. in Merid. Alex. h. 3. 35 l

Int. Temporis d. 528194. h. 3. 35 l .
Quod divisum per 10742, ostendit h 49
Revolutiones absolvisse, & ultra
Tempus iis debitum restare d. 1836.
Motus eidem conveniens 49 Circ. $53^{\circ} 12'$
seu $17993^{\circ} 12'$

Inferatur, Ut 17993° ad d. 528194.
Ita 360° . ad Tempus Rev. d. 10747 h. 4.
hoc est, annorum Ägyptiacorum (quo-
rum singuli sunt 365 dierum) 29. d.
162. h. 4.

COROLLARIUM I.

730. Quia ♀ & ♀ Soli nunquam opponuntur, Conjunctiones autem eorundem cum Sole ob defectam Telescopiorum à Veteribus observari non poterunt; ipsorum Revolutiones circa Solem eodem prolsus modo reperiri nequeunt.

COROLLARIUM II.

731. Quoniam tamen Revolutiones Planetarum inferiorum circa Solem brevi temporis spatio absolvuntur & in singulis Revolutionibus binæ cum Sole Conjunctiones celebrantur (§. 538); ideo Observationes minori temporis intervallo distâ in posterum hunc scopo satisfacent.

OBSERVATIO XLIX.

732. KEPLERUS (*a*) invenit Periodum circa Solem

Saturni A. 29. d. 174. h. 4. 58'. 25". 30'''

Jovis A. 11. d. 317. h. 14. 49'. 31". 56'''

Martis A. 1. d. 321. h. 23. 31'. 56". 49'''.

Unde motus diurnus

Saturni 2'. 0". 36'''

Jovis 4'. 58". 26'''

Martis 31'. 26". 39'''.

PHILLIPO DE LA HIRE vero (*b*) est
Motus diurnus

Saturni 2'. 1".

Jovis 4'. 59".

Martis 31'. 27".

COROLLARIUM.

733. Hinc facile construuntur Tabulae mediorum motuum h, 4 & 3 ut supra (§. 673).

PROBLEMA XXVIII.

734. Datis quatuor Oppositionibus Planetæ superioris in D, E, F & G; invenire Eccentricitatem & situm Lineæ Apsidum HI.

RESOLUTIO.

KEPLERUS (*c*) hac utitur Methodo,

(*a*) Epit. Astron. Copern. Lib. VI Part. 2. p. 73i.

(*b*) In Tab. Astron. p. 39. & seqq.

(*c*) In Comment. de Motibus Stellæ ♂ Part. 2. C. 16. f. 92. & seqq.

sed indirecta. Sit Sol in S, B centrum Eccentrici, C centrum mediorum motuum. Oppositiones quatuor observatae sunt in F, E, D & G & HI sit Linea Apsidum Quoniam in Oppositionibus Planetæ cum Sole Planeta ex Sole & Terra per erundem radium videtur; erunt anguli FSE, ESD, DSG, GSF æquales differentiis locorum in Oppositionibus F, E, D & G, adeoque vi Observationum dantur. Porro cum detur tempus inter binas quascunque Observationes intercedens, dabitur quoque medius Planetæ motus eidem respondens (§. 733), consequenter Centro mediorum motuum in C existente anguli FCE, ECD, DCG, GCF innotescunt. Sit locus Aphelii H rudititer saltem determinatus: qui cum vi Observationum per aliquot annos citra metum erroris sensibilis in hoc negotio admittendi immotus supponi possit, ob data loca Planetæ in Oppositionibus, dantur anguli HCF, HCE, itemque DCI & GCI. Quodsi locus Aphelii H & Perihelii I rite fuerit determinatus, necesse est ut centrum Eccentrici B sit in linea HI inter S & C, atque quatuor Oppositionum puncta F, E, D, G in eadem Peripheria existant: id quod ita explorandum.

I. Assumta SC 100000 ob calculi commoditatem, in Triangulo CFS ob datum angulum FCH datur contiguus FCS (§. 149 Geom.). Quare cum etiam detur FSH & latus SC, vi antecedentium, reperietur distantia Planetæ à Sole FS (§. 36 Trig.). Similiter ex datis in Triangulo CGS

- CGS angulis GCI & GSH (ob notos GSF & HSF) atque latere SC, recta SG; ex datis in Triangulo CSD angulis DCI & DSC (ob DSE & DSI notos) atque latere SC, recta SD; denique ex datis in Triangulo CSE angulis ECI & ESC (ob HCE, ESF & FSH notos) atque latere SC, recta SE reperitur (§. cit.).
- Ex datis in triangulis FSG, FSE, ESD & DSG angulis cognomini- bus, vi superiorum, atque lateribus eos comprehendentibus SF, SE, SD & SG modo inventis, reperiuntur anguli GFS & FGS EFS & FES, DES & EDS, GDS & DGS (§. 40. Trigon.); unde per additionem resultant anguli EFG, FED, EDG & DGF.
- Addantur anguli oppositi EFG & EDG, atque FED & FGD. Quodsi enim summa utraque fuerit Semicirculo æqualis seu 180° , erunt puncta F, E, D, G in eadem Peripheria (§. 350. Geom.); sin minus, locus Aphelii H erit tantisper vel promovendus, vel retrahendus, donec summa prædictorum angulorum à Semicirculo seu duobus rectis sensibiliter non aberret.
- Ut porro constet, utrum Punctum B sit in eadem recta cum punctis C & S, medio inter C & S loco, ex datis in Triangulo GSE angulo cognomini, qui ex DSG & DSE vi superiorum notis componitur, & lateribus ES & SG ante inventis reperitur angulus SGE (§. 40. Trigon.) & latus EG (§. 36. Trig.).

- Cum triangulum EBG sit æquicru- ruin (§. 40 Geom.) & angulus cog- nomenis ipsius EFG ex antecedentibus noti duplus (§. 313. Geom.), adeoque etiam angulus BEG repe- riri possit (§. 248. Geom.), invenietur Radius Eccentrici BG (§. 36. Trig.).
- Datis jam in triangulo BSG lateri- bus SG & BG antea repertis, & angulo BGS differentia inter angu- los BGE & SGE ex antecedentibus notos, reperitur tandem angulus BSG, qui si fuerit æqualis angulo HSG, ex stabilitate Aphelio in H & Oppositione in G observata nota, erit punctum B in recta HI & lo- cus Aphelii in H rite constitutus. Sin minus, locus Aphelii erit pro- movendus, vel retrahendus, donec & anguli EFG atque EDG fuerint duabus rectis æquales, & angulus BSG idem per calculum reperia- tur, qui ex statuto Aphelio in H resultat.
- Loco Aphelii tandem reperto, ex datis in Triangulo BDS Radio Ec- centrici BD 10000, latere SD su- pra invento atque angulo BSD ex contiguo DSI noto (§. 149. Geom.), invenitur Eccentricitas BS (§. 40. Trigon.).

SCHOLION I.

735. Non diffitetur KEPLERUS (*a*), Me- thodum hanc esse & valde laboriosam, & minus Geometricam; maluit tamen eadem uti, quam vel alias minus accuratas adhi- bere, vel Hypotheses veris motuum Legi- bus & causis Physicis adversas (qualis est illa

Qqq 2

(a) Loc. cit. f. 95.

illa WARDI Centrum mediorum motuum in Foco altero Orbitæ statuens) admittere. Exemplum in Marte affert KEPLERUS, sed prolixius, quam ut hic transcribi possit.

COROLLARIUM I.

736. Cum per hanc Methodum, qua locum Aphelii H & Eccentricitatem BS investigare docuimus, una constet locus Planetarum medius in Oppositione qualibet; poterunt inde *Tabulae Radicum* mediorum motuum ac *Apheliorum* h , 4 & J , perinde ac supra \odot , (§. 718.) construi.

COROLLARIUM II.

737. Si locus Aphelii ex Observationibus antiquis deductus conferatur cum loco ejusdem ex recentioribus derivato; motus Aphelii annuus determinabitur ut supra (§. 702) & inde *Tabulae* motuum Aphelii condentur.

SCHOLION II.

738. *Quoniam Astronomus celeberrimus HALLEIUS (a) Methodum dedit Geometram in Orbitis Ellipticis, iisque Keplerianis, investigandi positionem Lineæ Apsidum atque Eccentricitatem Solis atque Planetarum primariorum; nostrum est, ut eam nostro more explicemus. Quoniam vero supponit cognitam Opticam inegalitatem, quam motus Terræ annuus per Eclipticam Planetis inducit, de ea nobis agendum, antequam illam exponamus.*

OBSERVATIO L.

739. *Vi Observationum statuunt ad A. 1700. locum Aphelii.*

KEPLERUS	DE LA HIRE
Saturni, in $\rightarrow 28^{\circ} . 31.44''$	$29^{\circ} . 14'.41''$
Jovis, in $\leftarrow 8.10.40$	$10.17.14$
Martis, in $\nwarrow 0.51.29.$	$0.35.25$
<i>Motum Aphelii annum statuunt.</i>	
Saturni	$1'.10''$
Jovis	$0.47.$
Martis	1.7

(a) In Transact. Anglic. num. 128. p. 683.

PROBLEMA XXIX.

740. *Digressiones Veneris & Mercurii maximas à Sole observare.*

RESOLUTIO.

- Cum in maxima Digressione à Sole ♀ & ♀ appareant bisecti, ope Tuti bi exploretur utcunque dies quo V Digressio maxima contingit. Fig
- Quando suspicio est, Planetam in maxima Digressione mox conspectum iri, per al'quot dies observeatur distantia Planetæ TV & SV à duabus Stellis fixis S & T notæ Latitudinis TM & SN & Longitudinis M atque N.
- Quonia in Triangulo TOS dantur latera TO & SO, Latitudinum TM & SN datarum complementa ad quadrantem (§. 240), & angulus MON, cuius mensura est differentia Longitudinum datarum MN (§. 33. Spheric.); reperietur distantia Stellarum ST (§. 163. Spheric.) & angulus OTS (§. 165 Spheric.).
- Datis in Triangulo TSV tribus lateribus TS, SV & TV, reperietur angulus STV (§. 168. Spheric.), quo alteri OTS addito, prodit angulus OTV.
- Datis jam in Triangulo OTV præter angulum cognominem OTV lateribus OT & TV, invenietur latus OV (§. 163. Spheric.), Latitudinis Planetæ PV complementum ad quadrantem (§. 240), & angulus TOV (§. 165. Spheric.), cuius mensura MP est differentia Longitudinum Planetæ V & Stellæ T. Hæc adco

- adeo illi addita efficit Longitudinem Planetæ.
- 6. Ad datum momentum Observationis supputetur locus Solis medius (§. 672), qui cum Longitudine Planetæ collatus Digressionem ejus à loco Solis medio patefacit.
- 7. Quodsi adeo Observationes continentur, donec Digressiones, quæ antea creverant, denuo decrescant, Digressio maxima innotescet & tempus Digressionis maximæ elicetur, ut supra momentum Oppositionis Planetarum superiorum cum Sole (§. 727).

SCHOLION I.

741. *Me non monente appetet, aliorum quoque Siderum ac Phænomenorum Latitudes & Longitudes eodem modo haberi posse, quo Veneris & Mercurii per Observationem eruere docuimus. Et cum hodie Venus & Mercurius beneficio Telescopii interdiu observari possint; eorundem quoque Longitude eodem modo haberi potest, quo supra (§. 559) Planetæ Longitudinem & Latitudinem observare docuimus.*

SCHOLION II.

742. *Quoniam Veteribus nec locus Solis, nec Fixarum loca satis exakte fuere cognita; ideo RICCIOLUS (a) corundem Observationes ex motibus Solis & locis Fixarum nunc accuratius cognitis emendat.*

PROBLEMA XXX.

743. *Invenire locum Aphelii Veneris & Mercurii, seu situm Lineæ Apsidum AP determinare.*

RESOLUTIO.

I. Observentur plures Digressiones maximæ (§. 740), donec duas M & E, Sole in S posito, inveniantur æqua-

(a) Astron. Reform. Lib. VIII. f. 329. & seqq.

les, quarum una sit matutina ex Tab. Tellure in O constituta observata, altera vespertina ex B visa.

VIII.
Fig. 73.

- 2. Intervallum inter utramque Digressionem interjectum dividatur bisaria; erit AP recta per Solem S transiens (§. 633) Linea Apsidum.
- 3. Comparentur inter se Digressiones circa A & P factæ; ubi enim Digressiones circa A deprehenderis minores, quam circa P evidens erit, in A esse Perihelium, in P vero Aphelium (§. 635. 636).

SCHOLION.

744. *Negari non potest, hanc Methodum lubricam admodum esse, ita ut facile vel integro Signo aberrare possit, ob defectum Observationum satis accuratarum, brevique satiis intervallo temporis distitarum, cum Aphelium ab una Observatione ad alteram immotum, Terræque à Sole distantia in utraque Observatione eadem supponatur. Usi tamen eadem sunt Astronomi, quia non aliunde quam ex Digressionibus maximis locum Aphelii elicere licuit. Idem tamen Problema, quemadmodum ante monuimus (§. 738), accuratius in Orbitis Ellipticis Keplerianis solvere docebimus. Interest autem rerum Astronomicarum studio antiquas etiam cognitas habere Methodos, tum ut constet, quantum Observationibus veterum sit fidendum, tum ut eas corrigere possit, antequam iisdem utaris ex inventis recentiorum.*

OBSERVATIO LI.

745. *Aphelium constituunt ad A. 1700
stil. vet. stil. nov.*

KEPLERUS (b) DE LA HIRE (c)
Veneris $\approx 3^{\circ} 24'.27''$ $\approx 6^{\circ} 56'.10''$
Mercurii $\rightarrow 15^{\circ} 44'.29''$ $\rightarrow 13. 3. 40.$

Qqq 3.

Co-

(b) In Rudolphinis f. 66. 72.

(c) In Tab. Astron. p. 63. 71.

COROLLARIUM.

746. Si loca Aphelii olim observata cum locis recentioribus conferas, innescit inde ut supra Aphelii motus & Tabulae motuum Aphelii construentur (§.702).

OBSERVATIO LII.

747. Motum annum Aphelii statuunt

KEPLERUS DE LA HIRE
Veneris 1'. 18". 1'. 26"
Mercurii. 1'. 45". 1'. 39"

SCHOLION.

748. Neminem puto offendet, quod in numerum Observationum nonnulla referamus, quæ ex Observationibus deducta sunt, ne Titularum numerus multiplicandus esset.

PROBLEMA XXXI.

749. Invenire Eccentricitatem Planetarum inferiorum SC.

Fig.73.

RESOLUTIO.

1. Ex pluribus Observationibus Digressionum maximarum maxima cum cura peractis (§. 740) felicitur duæ, quarum altera facta in Perihelio Planetæ A, altera in Aphelio ejusdem P.
2. Ad tempus utriusque Observationis inveniatur intervallum Telluris à Sole SG & SD (§.685).
3. Cum anguli ad A & P sint recti, & præterea in Triangulo SAG detur angulus G, sub quo Digressio maxima in Perihelio videtur, & intervallum SG; in altero autem SPD angulus D, sub quo Digressio maxima in Aphelio apparet, & intervallum SD; reperietur ibi AS, hic PS (§.36 Trigon.).

4. Quoniam PF distantia Foci F à P æqualis est ipsi SA (§. 633 Astron. & §. 427 Analys. finit.); subducta

AS ex PS, relinquetur distantia Focorum FS, quæ bisecta in C dat Eccentricitatem SC (§.638) in istiusmodi particulis, qualium Radius Eccentrici Telluris est 100000. Unde

5. Per Regulam trium facile invenitur in istiusmodi partibus, qualium Radius Eccentrici Planetæ inferioris AC est 100000. Si enim summam ex AS & SP bifariam divididas, prodibit Radius Eccentrici Planetæ AC in istiusmodi particulis, quarum Semidiameter Orbitæ Telluris est 100000.

OBSERVATIO LIII.

750. KEPLERUS (a) constituit Eccentricitatem

$\begin{array}{ccccccc} \text{♀} & \text{⊕} & \text{⊕} & \text{♂} & \text{⊕} & \text{⊕} \\ 21000, 694, 1800, 9263, 4822, 5700 \end{array}$
partium qualium Semidiameter Eccentrici uniuersus est 100000.

PROBLEMA XXII.

751. Determinare tempus Revolutionis Planetarum inferiorum circa Solem.

RESOLUTIO.

Cum nostro tempore Conjunctiones eorum cum Sole observari possint per Telescopia; inde facile innescit tempus integræ Revolutionis, si notetur, quodnam elapsum fuerit ab una Conjunctione usque ad alteram, Planeta in utraque vel supra, vel infra Solem constituto. Quare si veteres Observations prostarent, ex collatione recentiorum cum antiquis accuratius idem determinaretur, ut supra in Planetis superioribus (§.729). Enimvero quandiu Observaciones Conjunctionum deficiunt, ita procedendum.

I. Si

(a) Epitom. Astron. Lib. VI. p. 732. 765.

1. Si Planeta M fuerit in Digressione maxima à Sole, Radius Eccentrici MC est ad lineam visivam OH perpendicularis, adeoque dato per Observationem loco Planetæ H, datur etiam Punctum s quadrantis intervallo ab eo remotum, cumque locus Perihelii N notus sit (§. 746), arcus quoque IN, consequenter angulus MCS datur. Quia etiam cum etiam Radius Eccentrici CM & Eccentricitas CS dentur, reperietur angulus CMS (§. 38 *Trigon.*), cui arcus IK æqualis est, ob immensam nempe Eclipticæ ab Orbita Planetæ distantiam. Quodsi ergo IK ex arcu IH subtrahas, relinquetur locus Planetæ K ex Sole S visus.

2. Quodsi hac ratione, in duabus maximis à Sole Digressionibus magno intervallo Annorum distantibus, quærantur loca Planetæ ex Sole visi; tempus uni Revolutioni circa Solēm debitum elicetur ut supra (§. 729).

O B S E R V A T I O L I V :

752. KEPLERUS (a) tribuit Revolutioni circa Solēm

Veneris. d. 224. h. 17. 44'. 55". 14'''.

Mercurii. d. 87. h. 23. 14'. 24"

Motum diurnum concedit. (b)

Veneri. - - - - - 1°. 36'. 8''.

Mercurio. - - - - - 4°. 5'. 32''.

DE LA HIRE vero eundem motum renuit (c).

C O R O L L A R I U M I .

753. Dato motu Planetarum inferiorum

(a) In Epitom. Astron. Lib. VI. Part. 3. p. 760.

(b) In Rudolphinis f. 66. 72.

(c) In Tabl. Astron. p. 65. 73.

diurno, Tabulæ mediorum motuum constructauntur ut supra (§. 673).

C O R O L L A R I U M I I .

754. Cognito vero loco medio uno ad momentum alicujus Digressionis maximæ (§. 751); Tabulas quoque Epocharum seu Radicum condere ulterius licet (§. 718)

D E F I N I T I O X X V I I .

755. *Locus Eccentricus in Orbita* est locus Planetæ, in quo ex Sole videtur. Vocatur etiam *Locus Centricus*.

C O R O L L A R I U M .

756. Quoniام data Eccentricitate una, cum loco & motu Aphelii motuque Planetæ medio, supputari potest locus Telluris ex Sole visus (§. 720), motus autem Planetæ primarii cujuscunque, Oculo in Sole posito, eodem modo apparent, quo motus Telluris (§. 633); evidens est, Planetæ locum Eccentricum eodem modo supputari, quo supra locum Solis supputare docuimus, & Tabulas ad eum supputandum iisdem artificiis construi, quæ supra (§. 684. & seqq. vel §. 723) exposita sunt.

D E F I N I T I O X X V I I I .

757. *Locus ad Eclipticam reductus*, seu *locus Eccentricus in Ecliptica* est Punctum Eclipticæ, ad quod Planeta è Sole visus referatur. Coincidit cum Longitudine Planetæ è Sole visa, vocaturque *locus Heliocentricus*.

D E F I N I T I O X X I X .

758. *Locus Geocentricus* est punctum Eclipticæ, ad quod Planeta ex Tellure visus referatur.

S C H O L I O N .

759. Sit NEOR Ecliptica, NPOQ Orbita: Planeta, Sol in S, Terra in T, Planeta in P; recta SP designabit locum Eccentricum in Orbita, RS locum ad Eclipticam reductum, seu Heliocentricum, TR vero locum Geocentricum.

D E F I .

DEFINITIO XXX.

Tab. 760. *Angulus commutationis ESR* est VIII. differentia inter locum verum Solis E Fig. 74. ex Terra T visi & locum Planetæ ad n. 1. Eclipticam reductum R.

COROLLARIUM.

761 Invenitur adeo, loco Solis vero E è loco Heliocentrico Planetæ R sublato, vel contra.

DEFINITIO XXXI.

762. *Angulus elongationis seu angulus ad Terram ETR* est differentia inter locum verum Solis E & locum Geocentricum Planetæ R.

DEFINITIO XXXII.

763. *Parallaxis Orbis* est differentia inter angulum commutationis RSE & angulum elongationis RTE.

COROLLARIUM.

764. Est adeo angulus SRT, quem intercipiunt rectæ ex Terra T & Sole S in locum R ad Eclipticam reductum ductæ (§. 239 Geom.).

DEFINITIO XXXIII.

Tab. IX. 765. *Nodi* sunt puncta intersectionum N & O Eclipticæ & Orbitæ Planetæ. *Nodus ascendens* est punctum N, à n. 1. quo Planeta ultra Eclipticam versus Polum Borealem excurrit. *Nodus descendens* est punctum O, unde Planeta infra Eclipticam versus Polum Australiem descendit. Ascendens dicitur etiam *Nodus Borealis*; descendens *Australis*.

SCHOLION.

766. *Nodus ascendens* exprimitur per hoc signum ☽; *descendens* vero per illud ☾.

DEFINITIO XXXIV.

767. *Inclinatio* est angulus ad Solem T RSP, sub quo distantia Planetæ P ab Ecliptica PR ex Sole videtur. Fig. n.

DEFINITIO XXXV.

768. *Latitudo* est angulus ad Terram PTR, sub quo distantia Planetæ ab Ecliptica PR ex Terra videtur.

DEFINITIO XXXVI.

769. *Argumentum Latitudinis* est distantia loci Eccentrici in Orbita à Nodo ascende N.

DEFINITIO XXXVII.

770. *Reductio ad Eclipticam* est differentia inter Argumentum Latitudinis NP & arcum Eclipticæ NR inter locum Planetæ reductum R & Nodum N interceptum.

DEFINITIO XXXVIII.

771. *Distantia curvata* est distantia loci Planetæ ad Eclipticam reducti à Sole SR.

DEFINITIO XXXIX.

772. *Curtatio* est differentia inter distantiam Planetæ à Sole PS & distantiam curtatam SR.

DEFINITIO XL.

773. *Inequalitas prima* est inæqualitas motus Planetæ ex Sole visi orta ex Orbitæ Eccentricitate.

SCHOLION.

774. *Eam adeo in antecedentibus jam explicavimus*: unde etiam patet, accedere ipsi partem quandam Physicam ab inæquabili in Orbita incessu (§ 633). *Coincidit nempe cum* *Æquatione Orbis*.

DEFI-

DEFINITIO XLI.

775. Inequalitas secunda est inæqualitas motus Planetæ ex Terra visi, orta ex motu Telluris annuo circa Solem.

SCHOLION.

776. Hæc tota Optica est & nunc explicanda. Est nempe illa ipsa, quam supra Parallaxin Orbis diximus (§. 763).

PROBLEMA XXXIII.

777. Nodos Planetæ observare.

RESOLUTIO.

1. Observetur per aliquod tempus Longitudo & Latitudo Planetæ (§. 559. 740), cumque Latitudo valde decrescere deprehenditur, maxima cum cura continuetur, donec nulla evadat. Quando enim Latitudine caret, in Nodo est.
2. Supputetur ad datum tempus, quo Planeta ex Tellure T in Nodo N observatur, Solis locus verus L (§. 720); differentia inter locum Planetæ & Solis erit angulus NTL.
3. Observetur quoque momentum temporis, quando Planeta à Nodo N digressus ad eundem redit (num. I) & supputetur ad idem quoque locus Solis M tunc temporis ex Tellure in V visi; erit differentia utriusque loci angulus NVM.
4. Et cum differentia locorum Solis L & M manifestet angulum LSM, cui verticalis TSV æqualis est (§. 156 Geom.); quærantur potro ad utrumque Observationis momentum intervalla seu distantiae Solis à Terra TS & SV (§. 685) & hinc porro

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

5. Ex datis in \triangle TSV duobus lateribus TS & SV cum angulo intercepto TSV, investigentur STV & SVT (§. 40. Trigon.) cum latere tertio TV (§. 36. Trigon.).
6. Angulus NTS (num. 2) ab STV subtractatur; ut relinquatur angulus NTV, & angulus SVT ad angulum NVS (num. 3) addatur, ut prodeat angelus NVT.
7. Datis jam in \triangle NVT angulis omnibus (§. 245. Geom.), una cum latere TV (num. 5), inveniatur distantia Planetæ à Terra in prima Observatione TN (§. 36. Trigon.).
8. Tandem in \triangle NST datis duobus lateribus TS (num. 4) & TN (num. 7), una cum angulo intercepto NTS (num. 2), inveniatur angulus TSN (§. 40. Trigon.) & distantia Nodi à Sole NS (§. 36. Trigon.).
9. Quare cum ad momentum primæ Observationis detur locus Solis è Terra visus L (num. 2), adeoque & locus Telluris T è Sole visus (§. 572); locus quoque Nodi N è Sole visus innotescit, cui si addantur 180, prodibit locus Nodi alterius O.

COROLLARIUM I.

778. Ex collatione Observationum recentiorum cum antiquis innotescit; Nodos omnium Planetarum moveri in consequentia & ut supra motus Apogæi Solis (§. 702), motus Nodorum determinatur.

COROLLARIUM II.

779. His vero datis facile construuntur Tabula tam Radicum, quam motus Nodorum ascendentium Planetarum primiorum (§. 718).

Rrr

OB-

Tab.
XII.
Fig.
102.

OBSERVATIO LV.

780. Locus Nodi ascendentis, An. 1700.

S. il. vet. S. il. novo

juxta	KEPLERUM,	DE LA HIRE
Saturni,	22°. 49'. 4'.	21° 56'. 29"
Jovis	5. 31. 47.	7. 11. 44.
Martis	17. 50. 46.	17. 25. 20.
Veneris	14. 19. 5.	13. 54. 19.
Mercurii.	8. 14. 47. 26.	14. 53. 14.

Motus annuus Nodi ascendentis.

Saturni	1'. 12."	1'. 12."
Jovis	0. 4.	0. 14.
Martis	0. 40.	0. 37.
Veneris	0. 47.	0. 46
Mercurii	1. 25.	1. 25.

SCHOLION

781. Quoniam motus Nodorum admodum tardus est (§. 780); ideo patet, quod in determinando loco Nodorum tuto negligatur & circa errorem sensibilem supponatur, Nodus intra Revolutionem unam locum non mutasse.

COROLLARIUM.

782. Quoniam motus Nodorum adeò tardus est, ut in una Revolutione pro immotis haberi possint; Revolutio una absolvitur in Orbita, dum ab eodem Nodo digressus Planeta ad eundem r. dit. Quamobrem si bis in eodem Nodo observetur, tempus inter binas Observationes sese immediate exxiipientes interceptum est Revolutionis unius quantitas, accuratius adeò per Observationes Planetarum in Nodo, quam per Oppositiones determinanda in superioribus (§. 729) & quam per Digressiones maximas in inferioribus (§. 751).

PROBLEMA XXXIV.

783. Inclinationem Planetarum maximam, seu angulum, quem Orbita Planetarum cum Ecliptica efficit observare.

RESOLUTIO.

1. Data Theoria Solis una cum loco T & motu Nodorum, inveniri potest VI tempus, quo Sol S ex Terra T in Fig. N. Nodo N videtur.
2. Eodem tempore observetur Longitudo AV & Latitudo AB Planetarum P (§. 559. 741)
3. Longitudo Solis VN à Longitudine Planetarum AV subtrahatur, relinquatur arcus NA.
4. Datis in Triangulo Sphaericō ANB ad A rectangulo, Latitudine AB & latere AN invenitur angulus ANB (§. 126. Spheric.).

OBSERVATIO LXI.

784. Inclinatio maxima, juxta

KEPLERUM,	DE LA HIRE
Saturni	2°. 32'
Jovis	1. 20.
Martis	1. 50.
Veneris	3. 22.
Mercurii	6. 54.

COROLLARIUM.

785. Datis Inclinatione maxima N & T Argumento Latitudinis NP invenitur Incli. Vnatio PR, ut supra Declinatio, (§. 198) Fig. & hoc modo Tabulae inclinationum conf. truuntur:

PROBLEMA XXV.

786. Dato angulo Inclinationis PNR & Argumento Latitudinis NP; invenire reductionem.

RESOLUTIO.

1. Quadratur arcus NR (§. 128 Spheric.).
2. Subtrahantur à se invicem NR & NP: residuum est reductio (§. 770).

COROLLARIUM.

787. Patet ergo modus construendi Tabulas reductionum.

SCHOLION.

788. Exemplum non addimus, quia Problema coincidit cum Probl. 5. Partis 1. (§. 203).

PROBLEMA XXXVI.

789. Dato intervallo PS, una cum Inclinatione PSR; invenire distantiam curtatam SR.

RESOLUTIO.

Intelligatur ex loco Planetæ P ad Planum Eclipticæ demissa perpendicularis PR, in Triangulo adeo RSP ad R rectangulo datur angulus PSR & latus PS; invenitur adeo RS (§ 36 *Trigon.*), inferendo nempe: Ut Sinus totus seu Radius Circuli Eccentrici ad intervallum PS, ita Cosinus Inclinationis RPS ad distantiam curtatam RS.

COROLLARIUM.

790. Quoniam differentia inter intervallum PS & distantiam curtatam RS est Curtatio (§. 772); patet jam modus construendi Tabulas Curtationum.

SCHOLION.

791. Quia Inclinationis, Reductionis & Curtationis quantitas ab Argumento latitudinis pendet, adeoque singulae Tabulae ad Argumenti latitudinis singulos gradus construuntur; ideo KEPLERUS in Rudolphinis Tabulas inclinationis, reductionis & curationis in unam contraxit, cui nomen Tabulae Latitudinariae indidit.

PROBLEMA XXXVII.

792. Datis Angulo commutationis ESR, distantia Solis à Terra TS, & distantia Planetæ curvata SR; invenire Angulum elongationis RTS, Parallaxin orbis SRT & distantiam Planetæ à Terra TR.

RESOLUTIO.

Datis in Triangulo SRT duobus lateribus RS & ST cum angulo comprehenso RST, invenitur angulus RTS inferendo:

I. Ut ST ad RS (vel in Planetis inferioribus ut RS ad ST, quia tum RS < ST), ita Sinus totus ad Tangentem anguli alicujus, qui 45 gradibus multatus vocetur A.

2. Ut Tangens 45 ad Tangentem anguli A modo inventi, ita Tangens semisummæ angulorum R & T ad Tangentem semidifferentiæ eorundem: quæ in superioribus Planetis semisummæ angulorum R & T addantur, in inferioribus deminuntur, ut habeatur angulus ad terram RTS.

Hoc autem dato, invenitur ulterius RST (§. 245 *Geom.*) & RT (§. 36 *Trigon.*).

DEMONSTRATIO.

Fiat $SA = ST = SB$ & erigatur RD Tab. VIII. $= RA$ ad RA perpendicularis ducantur que SF & BE ipsi RD parallelæ; erit ob $AR = RD$ etiam $FS = SA$ & HF ipsi RA parallela $= RS$ (§. 268 *Geom.*), angularique RDA & RAD semirecti (§. 241 *Geom.*) atque $BF = FA$ (§. 179 *Geom.*). Quare cum sit $SF : FA = HF : FD$ (§. 267 *Geom.*); erit etiam $SF : FB = HF : FD$ (§. 168. *Arih.*) & hinc $SF : HF = FB : FD$ (§. 172 *Arih.*). Est ergo ut SF sive TS ad HF sive RS, ita Sinus totus ad Tangentem anguli DBF (§. 40 *Trigon.*) Sed ob parallelas BG & FS (§. 256 *Geom.*) GBF semirecto BFS æqualis (§. 233 *Geom.*): ergo angulus DBE hoc est RDB (§. cit.) relinquitur, si ex DBF per illationem primam Problematis invento subtrahitur semirectus EBF. Quoniam itaque ut RA ad RB, h.e. ut summa laterum TS & RS ad differentiam eorundem RB, ita Tangens semirecti RDA ad Tangentem residui anguli RDB (§ 7 Rrr 2 Tri.

Tab. VIII.
Fig. 74.
n. 1.

Tab. *Trigon.*) ; erit etiam ut Tangens Semi-VIII. recti ad Tangentem illius residui , ita Fig. 76. Tangens semisummæ angulorum quæsitorum TRS & RTS ad Tangentem semi-differentiæ eorundem (§.40 *Trigon.*). Q. e. d.

SCHOLION.

793. Exemplum mox dabimus in loco 24 supputando , quo & præsens & reliqua ipsi agnata Problemata illustrabuntur.

LEMMA IV.

794. Tangentes duorum angulorum sunt in ratione reciproca Cotangentium eorundem.

DEMONSTRATIO.

Sint duo anguli A & B. Erit ut Tangens anguli A ad Sinum totum , ita Sinus totus ad Cotangentem anguli A ; & similiter , ut Tangens anguli B ad Sinum totum , ita Sinus totus ad Cotangentem anguli B (§.104. *Trigon. Sphær.*). Quamobrem , cum etiam sit ut Sinus totus ad Tangentem anguli B , ita Cotangens ejusdem anguli B ad Sinum totum (§.173 *Arithm.*) ; erit ut Tangens anguli A ad Tangentem anguli B , ita Cotangens anguli B ad Cotangentem anguli A (§.198 *Arithm.*). Q. e. d.

PROBLEMA XXXVIII.

Tab. 795. Datis angulis Inclinationis VIII. RSP , Elongationis STR & Commuta-
Fig. 74. tionis ESR ; invenire Latitudinem n. i. Planetæ PTR.

RESOLUTIO.

Fiat : Ut Sinus anguli elongationis RTS ad Sinum anguli commutationis RSE vel RST , ita Cotangens Inclinationis RSP ad Cotangentem latitudinis PTR.

Vel :

Inferatur : ut Sinus anguli commutationis RSE vel RST ad Sinum anguli elongationis RTS , ita Tangens inclinationis RSP ad Tangentem Latitudinis RTP.

DEMONSTRATIO.

Ut SR ad TR , ita Cotangens RSP ad Cotangentem RTP (§.213 *Optic.*&c §.178. *Arithm.*). Est vero SR ad TR , ut Sinus RTS ad Sinum RST (§.33 *Trigon.*) : ergo Sinus RTS ad Sinum RST , ut Cotangens RSP ad Cotangentem RTP (§.167 *Arith.*). Quod erat unum.

Est vero , ut Cotangens RSP ad Cotangentem RTP , ita Tangens RTP ad Tangentem RSP (§.794). Quare cum sit Sinus RTS ad Sinum RST , ut Tangens RTP ad Tangentem RSP (§.167 *Arith.*) ; erit etiam Sinus RST ad Sinum RTS , ut Tangens RSP ad Tangentem RTP (§.169 *Arith.*). Quod erat alterum.

Aliter.

- Quæratur distantia Planetæ à Terra TR (§. 792) & distantia curtata SR (§. 789).
- Quoniam anguli RSP & RTP sunt exigui , fiat TR : RS = RSP : RTP (§. 212 *Optic.*).

COROLLARIUM I.

796. Datis angulis SRT & RTS , datur ratio distantia Terræ à Sole TS ad distantiam Planetæ ab eodem RS (§.33. *Trigon.*) : & hoc modo repertum , posita distantia Terræ à Sole 10 , esse distantiam ♀ à ☽ 4 , ♀ 7 , ♂ 15 , 4 52 , ℥ 95 (a).

Co-

(a) Gregorius Astron. Phys. & Geom. Lib. I. Prop. I. f. 2.

COROLLARIUM II.

797. Data ratione Semidiametri Eccentrici Planetæ ad Semidiametrum Eccentrici Telluris (§. 795) & Eccentricitate Orbitæ Planetariæ in particulis 100000 Semidiametri Eccentrici (§. 734.749); invenitur quoque Eccentricitas Planetæ in particulis 100000 Semidiametri Eccentrici Telluris.

SCHOLION.

798. En ope horum Corollariorum deductas Planetarum à Sole distantias & Orbitarum Eccentricitates in particulis, qualium Semidiameter Eccentrici Telluris est 100000, suppositis Eccentricitatibus KEPLERIANIS supra commemoratis (§. 750).

	Dist. maxima	media	minima	Eccentr.
♃	1005027	951000	896793	54207
♄	544708	519650	494592	25058
♂	166465	152350	138235	14115
♀	101800	100000	98200	1800
☿	72900	72400	71900	500
☽	46955	38806	30657	8419

THEOREMA XXXIII.

799. Quadrata Temporum Periodicorum Saturni, Jovis, Martis, Veneris, Terræ & Mercurii circa Solem sunt in ratione triplicata distantiarum à Sole.

DEMÓSTRATIO.

Periodus ♃ est fere annorum 30; Periodus ♁ 12 (§. 31.32): distantiae veræ eorundem à Sole sunt ut 95 ad 52 (796). Quadrata temporum Periodicorum 900 & 144 sunt fere in ratione sextupla: Cubi distantiarum 1857375 & 140608 in eadem quam proxime existunt. Sunt ergo quadrata Temporum Periodicorum ♃ & ♁ in ratione triplicata distantiarum à Sole (§. 259 Arithm.). Periodus Telluris est unius anni, ♀

vero 30, distantia illius ad distantiam hujus ut 2 ad 19 (§. 796): quadra-ta Temporum Periodicorum 1 & 900 sunt fere ut Cubi distantiarum à Sole 8 & 6859. Quodsi Periodos accuratius definias, etiam proportio illa ac-curatior obtinebitur. Idemque eodem modo ostenditur de Planetis reliquis. Q. e. d.

SCHOLION I.

800. Periodos Planetarum circa Solem re-spectu Fixarum cum in finem in diebus & par-tibus earum decimalibus retentis distanties mediis KEPLERIANIS modo exhibitis (§. 798) ita definit NEWTONUS (a).

Planetæ	Periodi circa Solem	horæ & scrup.
♃	10759.275	6 h. 36' 26"
♄	4332.514	12 20 25
♂	686.9785	23 27 30
☿	365.2565	6 9 30
♀	224.6176	16 49 24
☽	87.9692	23 15 53

Adjecimus horas & scrupula partibus deci-malibus diei respondentia

SCHOLION II.

801. Elegans hoc Theorema invenit KEPLERUS & Vir summus NEWTONUS (b) demonstravit, corporibus in Ellipsi gyranti-bus Vi centripeta ad Focum alterum ten-dente, ita ut Radius vector verrat Areas tem-poribus aequales (qualem motum KEPLERUS Planetis primariis circa Solem tribuit (§. 633. 799), convenire istam propotionem. Enimvero, quemadmodum BERNOULLIUS primus demonstravit (c), admissa illa pro-portione Planeta in nulla alia quam Ellipti-ca Orbita incedere possunt (§. 670 Mech.). De figura itaque Orbitarum Elliptica & lege,

Rrr 3 qua

(a) In Princip. Phil. Nat. Math. p. 393. Edit. ult.

(b) Princ. Phil. Nat. Math. Lib. I. Prop. 15. p. 60.

(c) Memoires de l' Acad. Roy. des Scien. A. 1710, p. m. 682. & seqq.

qua in ea incident juxta KEPLERUM, vix amplius dubitandum. Ipse sane Cet. DE LA HIRE (a) non inficiatur, figuram Ellipticam non multum abesse ab Orbita vera Planetarum.

SCHOLION III.

802. Restat ut adhuc doceamus, quomodo Eccentricitas tam Solis, quam Planetarum superiorum & inferiorum in Orbitis Ellipticis salvis veris motuum legibus inveniatur: quem in finem præmittimus

LEMMA V.

Tab. XII. Fig. 103. 803. Sit in Ellipsi APB ex Foco altero S ducatur ad Punctum quodcumque Peripheræ P recta SP, & productio Axe AB in G, donec sit distantia Foci à vertice AS ad AG, ut distantia Focorum SF ad Axem AB, ex Puncto P ducatur PH ipsi GB parallela perpendiculari HG in G excitata occurrentis in H; erit PH ad PS ut Axis AB ad distantiam Focorum SF.

DEMONSTRATIO.

Demitteatur ex P perpendicularis ad Axem PK, sitque $AB = a$, $AK = x$, $SC = c$; erit $SF = 2c$, $AS = \frac{1}{2}a - c$, $SP = \frac{1}{2}a - c + \frac{2cx}{a}$ ($\S. 434. Analyssin.$).

Et quia

$SF : AB = AS : AG$ per hypoth.

$$2c : a = \frac{1}{2}a - c :$$

$$\text{erit } AG = (\frac{1}{2}a^2 - ac) : 2c = \frac{a^2}{4c} - \frac{1}{2}a,$$

consequenter cum PK & HG sint ad GB perpendicularares & HP ipsi GB parallela per hypoth. & constr. adeoque $HP = GK$ ($\S. 283. Geom.$), erit HP

$$= x - \frac{1}{2}a + \frac{a^2}{4c}. \quad \text{Quamobrem}$$

(a) In Præfat. ad Tabulas Astron.

$$\begin{aligned} \text{HP:PS} &= x - \frac{1}{2}a + \frac{a^2}{4c} : \frac{1}{2}a - c + \frac{2cx}{a} \\ &= 4cax - 2a^2c + a^3 : 2a^2c - 4ac^2 + 8c^2x \\ &= a : 2c \quad (\S. 181. Arithm.), \text{ dividendo scilicet ut inque per } 4cx - 2ac + a^2 \\ \text{est igitur } \text{PH:PS} &= AB:SF. \quad Q.e.d. \end{aligned}$$

COROLLARIUM I.

804. Quodsi ex punto Ellipseos quovis alio L ducatur recta LS ad Focum & IL perpendicularis ad HG; erit $AB:SF = LI:LS$ ($\S. 803$). Quare cum etiam sit $AB:SF = PH:PS$ ($\S. cit.$) erit $PH:PS = LI:LS$ ($\S. 167. Arithm.$) & $PH:LI = PS:LS$ ($\S. 173. Arithm.$). Rectæ igitur ex Foco S ad Perimetrum Ellipseos utcunque ductæ PS & LS sunt, in Hypothesi Lemmatis, rectis PH & LI Axi AB parallelis proportionales.

COROLLARIUM II.

805. Quodsi porro chorda PL continuetur ultra Ellipsin, donec ipsi HG in Q occurrat; cum sit $PQ:QL = PH:IL$ ($\S. 268. Geom.$) & $PH:IL = PS:LS$ ($\S. 804$), erit etiam $PQ:QL = PS:LS$ ($\S. 167. Arithm.$).

COROLLARIUM III.

806. Si fuerit $GA:AS = AB:SF$; erit etiam $GA:AB = AS:SF$ ($\S. 17. Arithm.$), consequenter $GA:GB = AS:AF$ ($\S. 193. Arithm.$), adeoque ob $AS = FB$ ex natura Ellipseos, & hinc $AF = SB$ ($\S. 88. Arithm.$) $GA:GB = AS:SB$ ($\S. 168. Arithm.$). Quare $GA:AS = GB:BS$ ($\S. 17. Arithm.$).

COROLLARIUM IV.

807. Si fuerit $GA:AS = AB:SF$; erit $GA:AS = GB:SB$ ($\S. 806$). Quare cum etiam sit $GA - AS : AS = GS : SB$ ($\S. 193. Arithm.$); erit etiam $GA - AS : GS = AS : SB$ ($\S. 173. Arithm.$).

COROLLARIUM V.

808. Si fuerit $GA : AS = AB : SF$; erit etiam $GA : AS = PH : PS$ (§. 803), consequenter $GS : GA = PH + PS : PS$ (§. 190 Arithm.).

LEMMA VI.

809. Datis positione & magnitudine tribus rectis SP , SE & SM in Puncto S coenamibus, describere Ellipsin, cuius Focus sit in S , per puncta P , L & M transeuntem.

RESOLUTIO.

1. Producatur PL in Q , donec sit PQ : $QL = PS : SL$ inferendo nempe, ut $PS - SL : SL = PL : QL$ (§. 193 Arith.).
2. Eodem modo producatur LM in O , donec sit $LO : OM = SL : SM$.
3. Per puncta O & Q ducatur recta HO & ex punto S demittatur ad eam perpendicularis SG ducaturque ex P eidem parallela PH .
4. Dividatur GS in A , ut sit $GA : AS = PH : PS$, atque producatur in B , donec sit $GA : AS = GB : SB$; erit AB Axis Ellipseos per puncta M , L & P transeuntis, cuius Focus in S (§. 803. 807. 808).

5. Quodsi itaque fiat $BF = AS$; erit in F Focus alter & Ellipsis describi poterit (§. 435 Anal. fin.).

PROBLEMA XXXIX.

810. Invenire Eccentricitatem Orbitæ Ellipticæ Telluris & locum Aphelii atque Perihelii.

RESOLUTIO.

1. Observetur Oppositio Martis cum Sole (§. 727), tum enim \mathfrak{J} in M , vel Punctum Eclipticæ M , in quod cadit

perpendiculum ex \mathfrak{J} in Ellipticam demissum, si latitudinem habuerit, \odot in S & Terra in T erunt in eadem recta MS .

2. Quando Mars elapsis 687 diebus de novo ad Punctum M reddit (§. 800), Terra vero nonnisi post $730\frac{1}{2}$ dies, quo binas periodos absolvit (§. cit.), ad idem restituitur; adeoque in Puncto A hæret, observetur locus Solis, quem Terra per rectam AS respicit (§. 203) & locus Martis, quem videt per rectam AM (§. 741). Ita enim ob locum Solis in E tempore secundæ Observationis, & locum ejusdem in F tempore primæ Observationis datur angulus ESF , cui verticalis MSA æqualis (§. 156 Geom.). Et ob locum Solis & \mathfrak{J} in secunda Observatione datur distantia \mathfrak{J} à \odot sive angulus MAS .
3. Quodsi ergo MS ponatur 100000; in istiusmodi partibus reperiatur distantia Terræ à Sole SA (§. 36. Trig.).
4. Eodem modo reperiatur angulus MSB & distantia Terræ à \odot BS in particulis decimalibus MS , quando secundâ vice redit in M ; itemque angulus MSC & recta SC , quando \mathfrak{J} tertia vice restituitur in M .
5. Quoniam in S est Focus Orbitæ Telluris Ellipticæ (§. 633) & puncta A , B & C in Orbita existunt; Linea Apfidum determinabitur & Orbita describetur (§. 809), consequenter & Eccentricitas innotescit (§. 638).
Quodsi jam Eccentricitatem SC & Radium Eccentrici AC in numeris invenire volueris.

6. Ex:

Tab.
XIII.
Fig.
104.

- Tab. XII. 6. Ex datis in \triangle PLS lateribus PS & LS una cum angulo intercepto PSL (*num. 2. & 3.*) inveniantur anguli SPL & SLP (*§. 40. Trigon.*) cum latere PL (*§. 36. Trigon.*).
 Fig. 103. 7. Eodem modo ex datis in \triangle LMS lateribus LS & MS una cum angulo intercepto (*num. 4.*) investigentur anguli SML & SLM una cum latere ML.
 8. Quodsi jam anguli PLS & SLM modo inventi (=angulo PLM) ex 180° subducantur; relinquetur angulus QLO (*§. 48. Geom.*).
 9. Quoniam PS — SL : SL = PL : QL (*num. I. §. 809*), dantur vero PS & SL (*num. 3. 4.*) atque PL (*num. 6*); reperietur QL (*§. 302. Arithm.*) & eodem modo ob datos SL & SM (*num. 4.*) atque LM (*num. 7.*) invenietur MO.
 10. Datis in \triangle QLO lateribus QL (*num. 9.*) & LO (*num. 7. 9.*) una cum angulo intercepto QLO (*num. 8.*) quæratur angulus QOL (*§. 40. Trigon.*): qui.
 11. Ex 90° ablatus in \triangle IOL ad I rectangulo *per constr.* relinquit angulum OLI (*§. 241. Geom.*), cui si addatur angulus notus SLM (*num. 7.*), prodibit angulus ILS = LSB ob parallelas IL & AB (*§. 222. Geom.*); consequenter distantia Terræ in L ab Aphelio B (*§. 636*), quod adeo hoc pacto innotescit.
 12. Jam porro ex datis in \triangle NOM ad N rectangulo angulo NMO ipsius NOM ante inventi (*n. 10.*) complemento ad rectum (*§. 241. Geom.*) reperiatur latus NM.

13. Datis adeo NM (*num. 12.*) & MS (*num. 4.*) datur ratio axis AB ad distantiam Focorum SF (*§. 803*), consequenter Radii Eccentrici AC ad Eccentricitatem SC (*§. 181. Arithm.*). Quare si AC fiat 100000, invenietur tandem Eccentricitas SG in particulis decimalibus Eccentrici (*§. 302. Arithm.*).

S C H O L I O N.

811. Nihil in hac solutione supponitur, quam Planetam in eodem Orbitæ Puncto eandem à Sole distantiam habere: id quod ob tarditatem motus Apheliorum (*§. 736. 741*) supponere licet.

P R O B L E M A X L.

812. Planetam in eodem Orbitæ Puncto bis observatum inæqualitate secunda exuere; seu ex dato loco Geocentrico invenire Heliocentricum & ejus à Sole distantiam.

R E S O L U T I O.

1. Observetur Longitudo & Latitudo Planetæ P Geocentrica ex Terra in T (*§. 559. 741*).
 2. Ad momentum Observationis supputetur locus Solis (*§. 720*) & intervallum TS (*§. 675.*) ita angulus elongationis PTS (*§. 762.*) & locus Terræ T innotescit (*§. 572*).
 3. Quodsi jam elapsò intervallo, quo Planeta Periodum suam absolvit (*§. 782.*), ex Terra in A constituta denuo Planetæ Longitudo & Latitudo Geocentrica observetur & locus Solis ex A visi supputetur cum intervallu AS; angulus elongationis PAS & locus Terræ A innotescit.
 4. Per

4. Per data Terræ loca T & A (*num.* 2. 3.) datur angulus TSA. Quamobrem cum etiam dentur latera AS & ST (*num.* 2. 3.); reperiuntur anguli STA & SAT (*§. 40. Trigon.*) & latus AT (*§. 36. Trigon.*).
5. Quidam anguli STA & SAT ex angulis STP & SAP notis (*num.* 2. 3.) subtrahantur, relinquuntur anguli TAP & PTA, adeoque in \triangle APT invenitur distantia Planetæ à Terra curtata tempore primæ Observationis $P\Gamma$ (*§. 36. Trigon.*).
6. Datis jam in \triangle PTS lateribus PT (*n. 5.*), & TS (*n. 2.*) una cum angulo intercepto PTS (*n. 1.*) invenitur angulus TSP (*§. 40. Trig.*). Urne ob locum Terræ T notum, (*num. 2.*) locus Planetæ Heliocentricus tempore primæ Observationis innotescit. Cognito angulo PST reperitur porro distantia Planetæ à Sole curtata PS (*§. 36. Trigon.*).
7. Jam cum detur distantia Planetæ curtata à Sole RS (*num. 6.*) & à Terra TR (*num. 5.*) & Latitudo Planetæ RTP (*num. 1.*), inveniri potest inclinatio RSP. Cum enim sit ut Sinus anguli RPS ad Sinum anguli RST, ita Tangens RTP ad Tangentem RSP (*§. 794.*) & eidem Sinus sint ut SR ad TR (*§. 33. Trigon.*); erit ut distantia Planetæ à Sole curtata SR ad distantiam ejusdem curtaam à Terra TR, ut Tangens Latitudinis ad Tangentem Inclinationis (*§. 167. Arithm.*).
8. Cum in \triangle PRS ad R rectangulo detur angulus RSP (*num. 7.*) & latus

RS (*num. 6.*), invenitur distantia Planetæ à Sole vera seu intervalum SP (*§. 36. Trig.*). Tab. VIII.
Fig. 74.
n. 1.

9. Denique quia datur locus Planetæ Heliocentricus in Ecliptica R (*num. 6.*) & locus Nodi N ad momentum observationis (*§. 779.*); datur etiam distantia à Nodo in Ecliptica RN. Quare cum porro in \triangle RPN ad R rectangulo detur inclinatio maxima (*§. 783.*); reperitur distantia à Nodo in propria Orbita (*§. 120. Trigon. Spher.*) consequenter locus centricus Planetæ (*§. 755.*).

PROBLEMA XL.

813. Invenire Eccentricatatem Planetarum primariorum in Orbita Elliptica & positionem Lineæ Apsidum.

RESOLUTIO.

1. Inveniantur tria loca Planetæ Heliocentrica una cum distantiis ejusdem à Sole veris (*§. 812.*).
2. Cum ita dentur tria poncta, per quæ Ellipsis transit, una cum Foco ejusdem; Linea Apсидum & Eccentricitas tam Geometrice, quam per calculum eodem prorsus modo determinantur, quo in Sole (*§. 810.*).

PROBLEMA XLI.

814. Ad datum tempus veram Planetæ Longitudinem & Latitudinem supputare.

RESOLUTIO.

1. Ad datum tempus supputetur locus Solis verus E (*§. 720.*) & ejus intervallum TS (*§. 658.*). Tab. VIII.
Fig. 74.
n. 1.
2. Eodem modo (*§. cit.*) computetur locus Planetæ eccentricus in Orbita P cum intervalllo ejus PS.

Sss 3. Quæ-

Tab.

VIII. 3. Quæratur porro locus Nodi ascen-
Fig. 74. dentis N ad datum tempus (§. 779).

n. 1. 4. Locus Nodi N auferatur à loco Pla-
netæ eccentrico P; residuum est Ar-
guimentum Latitudinis PN (§. 769).

5. Dato Argumento Latitudinis PN,
quæratur porro Inclinatio PR (§.
785) & locus ad Eclipticam reduc-
tus R (§. 786) seu Longitudo He-
liocentrica.

6. A loco Solis E subtrahatur locus Pla-
netæ reductus R, vel hic ab illo,
minor nempe è majore: relinquetur
Angulus commutationis RSE, qui
porro ex 180° subductus residuum
facit angulum RST.

7. Datis intervallo Planetæ PS & Incli-
natione RSP, inveniatur distantia
curtata RS (§. 789) & inde

8. Porro angulus ad Terram RTS.

9. Si distantia Terræ à loco Planetæ re-
ducto R fuerit minor Semicirculo,
locus Solis verus E, angulo ad
terram RTS addatur; sin illa ma-
jor extiterit, hic ab eodem subtra-
hatur, ut vera Planetæ Longitudo
prodeat.

10. Denique ex datis angulis RST
& RTS atque Inclinatione RSP
inveniatur Planetæ Latitudo RTP
(§. 794).

E. gr. Quæratur Longitudo & Latitudo
 ζ ad diem 1 Aug. A. 1711. Primum itaque
supputandus est locus \odot verus cum ejus
intervallo. Est vero

Loc. \odot verus $45^{\circ} 26' 33''$ in Merid. Paris.
ad tempus apparenſ &
Logarithmus intervalli 400625 (§. 722).

Loco Solis vero & intervallo ejus inven-
to, calculus pro Marte ita instituitur:

Radix	Mot. med.	Aphelii.	Nod. a.
S. G.	S. G.	S. G.	
A. 1700	$0^{\circ} 312' 37''$	$5^{\circ} 0^{\circ} 35' 25''$	$1^{\circ} 17' 25'$
	$10^{\circ} 323.54.18$	$11^{\circ} 5$	6.
Julius.	$3.21.6.11$		38.
Loc. med.	$7.18.13.6.$	$5.0^{\circ} 47.8.$	$1.17.31.$
Aphel.	$5.0^{\circ} 47.8$	Log. Interv.	4194
Anom. med.	$2.17.25.58$		
Æquat. subt.	$10.6.$		
Anom. coeq.	$2.7.19.58.$		
Aphel.	$5.0^{\circ} 47.8$		
Loc. ζ eccentric.	$7.8.7.6$		
Loc. ζ	$1.17.31.50$		
Arg. Latitud.	$5.20.35.16$		
Inclinat.	18.9		
Reduct. add.	17		
Loc. ζ ecc.	$7.8.7.6$		
Loc. ζ Red.	$7.8.7.23$		
Loc. \odot verus.	$4.8.26.33$		
Ang. ESR.	$2.29.40.50$		
Semi-circ.	$5.29.59.60$		
Ang. RST.	$3.0.19.10$		
seu	$90.19.10$		
Semi-circ.	$179.59.60$		
SRT + STR.	$89.40.50$		
$\frac{1}{2}R + \frac{1}{2}T.$	$44.50.25.$		
Log. Sin. tot.		1000000	
Interv. ζ		419490	
Cosin Inclin.		999999	
Log. Dist. curt. SR		419489	
Log. interv. \odot TS		400625	
Tang. Ang. A		1018864	cui
in Canone respondent		$57^{\circ} 4' 10''$	
subtr.		45	
	A	12 4 10	
Log. Tang. 45		1000000	
Tang. A.		933006	
Tang. $\frac{1}{2}R + \frac{1}{2}T$		999758	
Tang. $\frac{1}{2}T - \frac{1}{2}R$		232794	

cui

cui in Canone respondent	$12^{\circ} 0' 38''$
$\frac{1}{2}R + \frac{1}{2}T$	44 50 25
Ang. ad Terr. RTS	56 51 3
seu	15. 26 51 3
Loc. \odot ver.	4 8 26 33
	6S. 5 17 36
Est adeo δ Longitudo vera $= 5^{\circ} 17' 36''$	
Tandem pro Latitudine fiat:	
Log. Sin. RTS	992285
Sin. RST	999999
Cotang. Inclin.	1227739
	2227738
Cotang. Latit.	1235453,
cui in Canone respondent	$89^{\circ} 44' 48''$
Quadrans	89 59 60
Ergo Latitudo δ	15 12

Brevius quoque invenitur hunc in modum:	
Log. Sin. RTS	999999
RST	992285
Tang. Inclin.	772263
	1764548

Tang. Latit. 764549 ,
cui in Tabulis quam proxime respondent
 $15^{\circ} 12'$.

S C H O L I O N.

815. *Quibus Calculum Astronomicum exercere voluope fuerit, iis suadeo, ut aut Tabulis Cel. DE LA HIRE utantur, aut, si Rudolphinæ ad manus fuerint, ex iis tamen nonnisi Locum Planetæ Heliocentricum investigent, ad Geocentricum autem inveniendum Methodum Trigonometricam adhibeant: ita enim facilius scopo suo potentur.*

C A P U T V.

De Theoria Planetaram Secundariorum, præsertim Lunæ.

D E F I N I T I O X L I I .

816. *M*ensis Periodicus est temporis intervallum, quo Luna integrum Zodiacum percurrit, seu ad idem Zodiaci Punctum restituitur, unde fuerat digressa.

D E F I N I T I O X L I I I .

817. *M*ensis Synodicus seu Lunatio est temporis intervallum, quo Luna à Sole digressa ad eundem redit.

D E F I N I T I O X L I V .

818. *M*ensis Anomalisticus est temporis intervallum, quo Luna ab Apogeo digressa ad idem redit.

D E F I N I T I O X L V .

819. *M*ensis Draconticus est tempo-

ris intervallum quo Luna à Nodo ascendentे digressa ad eundem redit. Nodo enim ascendens dicitur *Caput Draconis*: Nodo descendens *Cauda Draconis*.

D E F I N I T I O X L V I .

820. Hinc simul intelligitur, quid sint variæ illæ motuum species, quarum apud Astronomos mentio fieri solet. *Motus* nimurum in *Longitudinem Periodici*. *Motus* Lunæ a Sole Synodici; *motus Anomalie* Anomalisticæ; *motus in Latitudinem Dracontici*.

O B S E R V A T I O L V I I .

821. *Quodsi repetitis crebro Observationibus Longitudo atque Latitudo Lunæ* Sss 2 inven-

inveniatur (§. 559. 471); majorem multo in motibus ejus inæqualitatem deprehendes, quam in Sole atque Planetis primariis. Illa tamen inæqualitas regularitate omni non destituitur. Intra 28 enim dies semel velocissimus, bis mediocris & semel tardissimus. Quodsi ope Telescopii Luna observetur Dicotomy sive bisecta, & ad momentum Observationis queratur una Longitudo Planetæ (§. cit.), eademque Observations sapienter repetantur, Periodos in singulis Lunationibus minime aquales reperies. Eodem modo constat inæqualitas mensium Synodicorum pariter & Periodicorum, si ad tempus, quo Luna Soli opponitur vel cum Fixa conjugitur, Longitudinem observes.

OBSERVATIO LVIII.

822. Si ponamus Lunam in Ellipsi moveri, in cuius altero Foco Terra existit, ea lege, qua Primarii circa Solem feruntur (§. 633) & ex Eclipsibus seu Conjunctionibus & Oppositionibus (quas communis nomine Syzygias appellare solent) singula ad supputationem loci Lune veri necessaria eo modo, quo in Theoria Solis, determinentur; locus Lune eodem modo, quo locus Solis, supputatus cum observatione tantum consentit in Syzygiis, omni autem tempore reliquo mire ab eadem discrepat, ita ut Æquatio nunc augeatur, nunc minuatur. Maxima numerum differentia in Quadraturis observatur: à Novilunio nempe usque ad primam Quadraturam crescit, inde usque ad Plenilunium iterum decrescit, & eodem modo jē habet à Plenilunio usque ad Novilunium.

DEFINITIO XLVII.

823. Inæqualitas prima seu soluta est inæqualitas motus Periodici orta ab invariabili Orbitæ Eccentricitate, in Syzygiis observabilis.

DEFINITIO XLVIII.

824. Inæqualitas altera seu menstrua est inæqualitas motus elongationi à Sole alligata, quæ in Quadraturis omnium maxime se prodit.

PROBLEMA XLII.

825. Invenire quantitatem mensis Periodici & Synodici.

RESOLUTIO.

- Cum in medio Eclipsum Lunarium, prout in sequentibus independenter ab his patebit Luna Soli opponatur; suppetetur in minimis scrupulis intervallum temporis inter duas Eclipses seu Oppositiones intercedens.
- Hoc intervallum dividatur per numerum Lunationum interea absolutarum, quotus erit quantitas mensis Synodici (§. 817).
- Suppetetur motus Solis medius, qui quantitati mensis Synodici respondet (§. 672) & integro Circulo, quem Luna interea absolvit; addatur.
- Tandem inferatur: ut aggregatum modo inventum ad 360° , ita quantitas mensis Synodici ad quantitatem Periodici.

DEMONSTRATIO.

Etenim cum Luna restituitur ad idem Punctum, in quo Soli opponebatur, Periodum suum absolvit, adeoque tempus interea elapsum est mensis Periodicus (§. 816). Interea vero temporis Sol pro-

progressus ulterius, ut adeo Luna adhuc arcum aliquem ultra integrum Revolutionem absolvere teneatur, antequam eidem denuo opponatur. Quamobrem cum spatium inter binas Oppositiones interjectum sit mensis Synodicus (§. 817); intra mensem Synodicum Luna præter Revolutionem integrum tantum confidere debet arcum, quantum hoc tempore Sol conficit. Quare si 360 addatur motus medius ☽ intra mensem Synodicum, prodibit motus Lunæ medius eadem respondens; consequenter cum motus medius sit temporis proportionalis (§. 643); ex quantitate mensis Synodici invenitur quantitas Periodici, quemadmodum præcipitur. Q.e.d.

E.gr. COPERNICUS A. 1500 d. 6 Nov. h. 12 post medium noctem observavit Eclipsin Lunæ Romæ & A. 1523 h. 4. 25' d. 1 Aug. aliam Cracoviæ. Inde quantitas mensis Synodici ita eruitur.

Obs. II. A. 1523. d. 237. h. 4. 25'
Obs. I. A. 1500. d. 310. h. 2. 20

Interv. temp. A. 22. d. 292. h. 2. 5'
addantur intercal dies 5

Interv. exact. A. 22. d. 297. h. 2. 5'
seu 11991005'

quod per 282 menses interea elapsos divisum dat quantitatēm

Mensis Synodici. 425211911 911
hoc est, 29 d. 12 h. 41'

Idem COPERNICUS A. 1522 d. 6 Sept. h. 13 20' post medium noctem, hoc est, A. 2272. Nabonassaris. Eclipsin Lunarem Cracoviæ observavit: sed anno 28 ejusdem epochæ media nocte inter 18 & 19 mensis Thot, Babylone, hoc est, in meridiano Cracoviensi & nostro Calendario d. 26 Aug. h. 10. 10', alia observata. Ex harum observationum collatione ut ante quantitas mensis Synodici accuratius elicetur. Nimisrum

Obs. II. A. 2272. d. 6 Sept. h. 13. 20'
Obs. I. A. 28. d. 26 Aug. h. 10. 10'
Interval. temporis 2243 A. Ægyptiac.
d. 11. h. 3. 10'

hoc est 1178936830'

quod per quantitatēm paulo ante inventam divisum exhibit numerum Lunationum interea absolutarum. Quare si idem intervallum denuo per hunc numerum dividatur, prodibit quantitas mensis Synodici

42524'. 3'' 10''' 9'''.

hoc est. d. 29. h. 11. 44'. 3''. 10'''

Mot. ☽ med. interea 29°. 6'. 24''. 18'''
360.

Mot. Lunæ - - - - 389. 6'. 24.. 18,
Ergo Mensis Period. d. 27. h. 7. 43'. 5''.

SCHOLION.

826. Quantitas mensis elicetur ex Plenilunii veris: quare nova determinatione opus est. Scilicet ubi ope quantitatis inventæ determinatus fuerit locus & motus Apogei atque Eccentricitas & hujus beneficio Æquationes inventæ, Oppositiones veræ in medias convertendæ & tempus apparenſis itidem ad medium reducendū & inde denuo Observationum collatio instituenda.

COROLLARIUM I.

827. Data quantitate mensis Periodici, per Regulam trium inveniri potest motus diurnus, horarius &c. & sic Tabu' & motuum mediorum Lunæ construuntur.

COROLLARIUM II.

428. Quodsi motus diurnus Solis medius à motu Lunæ medio diurno subtrahatur, relinquitur motus diurnus Lunæ à Sole.

COROLLARIUM III.

829. Cum, in medio Eclipseos totalis cum mora, Luna in Nōdo existat, quem d. modum infra independenter ab his ostendetur; si ad momentum illud queratur locus Solis eidemque addantur sex signa, prodibit locus Nodi.

COROLLARIUM IV.

380. Collatio Observationum recentiorum cum antiquis motum Nodorum manifestabit: ex iis vero apparet, Nodos Lunæ moveri in Signa antecedentia, e. gr. ex σ in φ , ex φ in χ .

COROLLARIUM V.

381. Si adeo motui Lunæ medio diurno addatur motus diurnus Nodorum; summa erit motus Latitudinis (§. 820) & inde ulterius ope Regulæ trium inventur, quanto tempore Luna 360° à capite Draconis digrediatur, hoc est, ab eo digressa denuo ad idem restituatur. Patet ergo, quomodo quantitas mensis Dracontici sit invenienda (§. 819).

COROLLARIUM VI.

382. Dato motu Latitudinis diurno Tabule motuum latitudinis construuntur ut supra (§. 673).

SCHOLION.

383. Tabulas istiusmodi exhibit BULLIARDUS (a).

COROLLARIUM VII.

384. Si motus Apogei diurni subtrahatur à motu Lunæ medio diurno, relinquitur motus Lunæ medius ab Apogeo & inde per Regulam trium elicetur mensis Anomalistici quantitas (§. 818).

OBSERVATIO LIX.

385. KEPLERUS (b) reperit quantitatem mensis Synodici mediocrem d. 29 h. 12. 44'. 3". 11": Periodicum d. 27 h. 7. 43'. 5". 8": Apogai locum ad A. 1700 d. I. Jan. st. v. II S. 8° . 57'. 1": locum \approx 4 S. 27° 39'. 17": motum medium & diurnum 13° . 10'. 35": motum diurnum Apogei 6° . 41": motum diurnum \approx 31. 11": (c): Eccentricitatem denique constantem 4362, qualium semidiameter Eccentrici est 100000.

(a) In Philolaicis f. 122.

(b) In Epit. Astron. Copern. Lib. VI. p. 789.

(c) In Rudolphinis f. 78.

COROLLARIUM.

386. Est adeo motus Latitudinis diurnus 13° 13' 46" (§. 831), motus ab Apogeo diurnus 13° 3' 54" (§. 834).

SCHOLION.

387. Cum Tabulae Aequationum ad salvandam inæqualitatem solutam eodem prorsus artificio construantur, quo supra Tabulas Aequationum Solis & Planetarum primæriorum construere docuimus, non opus est, ut ibi dicta hic repetamus. Restat igitur, ut ostendamus, quomodo Aequationes illæ corriganter, ut extra Syzygias veros Lunæ motus exhibeant: ubi non diffidendum, magnas hic occurrere difficultates, ita ut Luna Sidus plane contumax censeri debeat, nec quisquam veras illarum rationes explicatas dederit ante profundarum meditationum Autorem NEWTONUM (d), quas deinde uberioris evolvit DAVID GREGORIUS (e). Sed cum Theoriam Lunæ per causas Physicas explicare nostri jam non sit instituti; sufficerit nobis evolvisse Hypothesin, qua KEPLERUS noster ad secundam Lunæ inæqualitatem salvandam utitur.

OBSERVATIO LX.

388. Si Apogæum vel Nodus Luna est in Quadratis, nulla observatur inæqualitas secunda integro mense, qui adeo Vacuus appellari solet. Proximo vero mense etiam in ipso Apogeo & Nodo, ubi prima inæqualitas nulla, motus aliqua inæqualitas, nempe altera, notatur. Ab eo tempore inæqualitas secunda singularis mensibus crescit, donec copulis in Apogeo vel Nodo factis, maxima omnium evadat: qui Mensis Plenus dici solet. Mense subsequenti iterum decretere incipit, donec prorsus extinguitur.

HYPOTHESIS.

(d) In Princip. Phil. Nat. Math. Lib. III. p. 388. & seqq.

(e) In Elem. Astron. Phys. & Geom. Lib. IV. fol. 282. & seqq.

HYPOTHESIS II.

839. Si DLFM, fuerit Orbita Luna (que per Circulum hic exhibetur, quia Ellipsis Lunaris ad eum proxime accedit), DF Linea Apsidum, ex Terra centro A intervallo Eccentricitatis constantis AB describatur Cerculus, per idem ducatur recta IK seu Linea illuminationis, que Hemisphaerium Terræ illuminatum ab obscuro separat, porro per A agatur ad eam perpendicularis HG, que sit Linea copularum, Conjunctione nimirum Lunæ cum Sole in H, Opposizione in G contingente, denique per centrum Eccentrici B ducantur rectæ NO & PQ ipsis IK & GH parallelae: erit AC Eccentricitas menstrua, toto mense, quo Copulæ sunt in H & G, & in H Apogæum, in G Perigæum menstruum, & si his utamur tanquam in prima inaequilitate Apogæo D & Eccentricitate AB, inaequalitates secunda prodeunt. Ceterum quia hec etiam Latitudinem afficit Planum Orbitæ ad Planum Eclipticæ libratile concipitur, ut angulus Inclinationi maxima respondens varietur.

SCHOLION.

840. Quod hæc Hypothesis sit conformis Observationi, quoad generales circumstantias patet, si eam cum ipsa conferre libuerit. Ponamus enim Centrum B pervenire in S, ita ut Linea Illuminationis IK cum Linea Apsidum perpetua DF coincidat: erunt tum Quadræ in Apogæo & Perigæo Eccentrici & Linea NO pariter coincidet cum IK atque Punctum menstruum C coincidet cum A, nullaque adeo est Eccentricitas menstrua. En mensem vacuum! Coincidat vere FD cum HG, tum Punctum B & C coincident cum E, eritque Eccentricitas menstrua Eccentricitati perpetuae AB æqualis adeoque maxima omnium,

quia Circulum istum nunquam egredietur. En Tab. mensem plenum! Consensum quoad circumstan- VIII. tias speciales calculus in hac Hypothesi ins. titutus monstrat. Fig. 75.

DEFINITIO XLIX.

841. Distansia Solis à Nodo vel Apogeo Lunæ est arcus Eclipticæ inter locum Solis verum H & Apogæum Lunæ D seu Nodum ipsius interceptus, seu angulus ad terram DAH vel, si arcus ille major Semicirculo, angulus, quem metitur ejus complementum ad 360° .

DEFINITIO L.

842. Scrupula menstrua Longitudinis sunt valor Trianguli Äquatorii rectanguli BNZ super Eccentricitate menstrua BZ stantis in istiusmodi particulis, qualium omnium maximum in mense pleno est 60° , cum nempe Punctum B coincidit cum E.

DEFINITIO LI.

843. Argumentum Longitudinis menstruae est arcus Eccentrici Lunæ LP interceptus inter locum Lunæ primo æquatum L & rectam PQ per Centrum Eccentrici B ductam atque Lineæ Apsidum menstruae HG parallelam. Annum est angulus DAH.

DEFINITIO LII.

844. Äquatio menstrua est valor Trianguli Äquatorii LAC, ductis rectis LA & LC ex loco Lunæ L ad Punctum menstruum C & Terræ Centrum A determinati, in istiusmodi particulis, qualium area totius Orbitæ est 360° .

DEFINITIO LIII.

845. Particula exors est differentia inter Triangulum Äquatorium LAC & ejus socium BLZ.

PROBLEMA XLIII.

- Tab. 846. *Datis loco Apogæi Lunæ soluta VIII. D. loco Solis vero H, & Anomalia Eccen-*
Fig 75. iri Lunæ LBD; invenire Argumentum
Longitudinis menstruæ LBP.

RESOLUTIO.

1. Ex dato loco Solis H & loco Apogæi Lunæ D, invenitur per subtractionem distantia Solis ab Apogæo Lunæ, hoc est angulus HAD, cui ob parallelismum rectarum HG & PQ ($\S. 839$) PBD æqualis ($\S 233$ Geom.).
2. Hic ergo ulterius subtrahatur ab Anomalia Eccentri Lunæ LBD; residuum est argumentum Longitudinis menstruæ LBP.

E. gr. Sit Apogæum Lunæ in $\text{V} 24^\circ$ & \odot in $\text{II} 0$, erit HAD 36° . Sit anomalia eccentrici LBD $81^\circ 42' 24''$; erit Argumentum Longitudinis menstruæ LBP $45^\circ 42' 24''$.

PROBLEMA XLIV.

- 847 *Datis distantia loci Solis veri (aut eidem oppositi) ab Apogæo Lunæ HAD, una cum Eccentricitate perpetua AB; invenire Eccentricitatem menstruam AC.*

RESOLUTIO.

Cum in Triangulo CAB ad C rectangle ($\S. 839.$) dentur angulus CAB & latus AB; reperietur CA ($\S. 36.$ Trigon.).

E. gr. Sit BAC 36° , Eccentricitas AB 4362 : erit

Log. Sin. tot.	100000000
AB	36396857
Colin. BAC	99079576

Log. AC *35476433, cui in Tabulis respondent 3529.

PROBLEMA XLV.

848. *Data Eccentricitatemenstrua AC vel BL, & Eccentricitate perpetua AB; invenire scrupula menstrua Longitudinis.*

RESOLUTIO.

1. Eccentricitas utraque ducatur in semissem Semidiametri Eccentrici BN vel BL: facta erunt Areae Triangularum BLA & BNZ ($\S. 392.$ Geom.), quorum illud est Triangulum Äquatorium in mense pleno, hoc vero in dato ($\S. 840.$ 842).
2. Inferatur: Ut Area Trianguli BLA ad 60 scrupula prima, ita Area alterius BNZ ad scrupula menstrua Longitudinis.

E. gr. Sit AB 4362 , AC 3529 , BN = LB = 100000 : erit BLA 218100000 & BNZ 176450000 , consequenter:

$$\begin{array}{r} 21810 : 17645 = 60 : \\ 30) \quad 727 : 17645 = 2 : \\ \hline \end{array}$$

$$\begin{array}{r} 727) 35290 \quad (48'. 32'' \text{ five } 33''. \\ \hline 2908 \\ \hline 6210 \\ \hline 5816 \\ \hline 394 \\ \hline 60 \\ \hline \end{array}$$

$$\begin{array}{r} 23640 \\ \hline 2181 \\ \hline 1830 \\ \hline 1454 \\ \hline 376 \\ \hline \end{array}$$

Sunt ergo scrupula menstrua Longitudinis $48' 32''$ seu $33''$.

SCHOLION.

- 849 *Equidem cum Orbita Lunæ sit Elliptica, rectæ BL & BN æquales non sunt: sed cum ea ad circumferendum proxime accedat, differentia adeo exigua est, ut contemni queat. Quando enim puncta B & E coincidunt; hoc est, quando differentia maxima, observante*

KERLE-

b. KEPLERO (a) error vix $17''$ committitur,
I. qualis in motu Lunæ ob ejus velocitatem con-
75 t'mini potest.

PROBLEMA XLVI.

850. Data Eccentricitate menstrua
AC, una cum Argumento Longitudinis
annuo HAD; invenire Particulam ex-
fortem.

RESOLUTIO.

1. Datis in Triangulo BCA ad C rectangulo (§. 839.) hypotenusa AB & angulo CAB inveniatur CB (§. 36. Trigon.).
2. Ducatur CB in semissem Eccentricitatis menstruæ AC: factum erit Area Trianguli ACB (§. 292 Geom.).
3. Quæratur etiam Area Circuli, ex Radio Eccentrici BL, tandemque
4. Inferatur: Ut Area Circuli ad 360° seu $192600'$, ita Area Trianguli ACB ad valorem ejus in istiusmodi scrupulis.

Dico, hunc valorem esse Particulam exfortem.

E. gr. Sit HAD 36° , AB 4362, AC 3529, erit

Log. Sin. tot.	100000000
AB	36396857
Sin. BAC	97692187
Log. BC	*34089044, cui
	in Tabulis respondent 2564.

Ergo $AC \cdot \frac{1}{2}CB = \Delta ACB = 4524178$. Sed Area Circuli 31415900000 (§. 429. Geom.): quare si eadem ponatur 360° sive $1296000''$; reperietur valor Trianguli ACB in istiusmodi scrupulis, hoc est Particula exsors $3' 6''$.

DEMONSTRATIO.

Quoniam $AC = BZ$ (§. 257 Geom.) $\Delta ALC : \Delta BLZ = LV : LT$ & $BLZ : BAC$

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

(e) In Epit. Astron. Lib. VI. Part. 4.p. Sec.

== TL : TV (§. 389 Geom.). Cum adeo sit $BLZ : BLZ - ALC = LT : TV$ (§. 193 Arithm.) & hinc $BLZ : BLZ - ALC$ Fig. 75, == $BLZ : BAC$ (§. 167 Arith.); erit $BLZ - ALC = BAC$ (§. 177 Arith.). Est igitur ΔBAC Particula exsors (§. 845): Q.e.d.

PROBLEMA XLVII.

851. Datis argumento menstruo LBP, scrupulis menstruis & Particula exsoribus; invenire Æquationem menstruam.

RESOLUTIO.

1. Cum scrupula menstrua sint valor Trianguli BNZ in istiusmodi scrupulis, qualium idem in mense pleno est 60, Triangula vero BNZ & BLZ sint ut BN ad LT (§. 389 Geom.), hoc est, ut Sinus totus ad Sinum Argumenti menstrui (§. 2 Trigon.); per Regulam trium invenietur Triangulum BLZ in istiusmodi scrupulis, qualium maximum in mense pleno est 60.
2. Quare cum maximum juxta KEPLERUM sit $2 30'$, ex valore Areae Circuli 360° : fiat ut $60'$ ad $2^\circ 30'$ ita valor Trianguli BLZ modo repertus ad valorem ejus in istiusmodi particulis, qualium Area Circuli est 360° .
3. Ab hoc tandem valore subtrahatur Particula exsors, residuum est Triangulum ALC in istiusmodi particulis qualium Area Circuli est 360° (§. 850); hoc est, Æquatio menstrua (§. 844). Quodsi $\Delta BLZ < \Delta ALC$, Particula exsors addenda.

E. gr. Sit Argumentum menstruum LBP $45^\circ 42' 24''$, scrupula menstrua seu valor $\Delta BNZ 48' 33''$: erit $LT 71577$ & reperien-

Ttt tur

Tab. tur scrupula \triangle BLZ debita 2085''. Quodsi
VIII. ergo fiat ut $60'$ ad $2^{\circ} 30'$, h. e. $3600''$ ad
Fig. 75. $9000''$, seu ut 4 ad 10 , ita 2085 ad numerum quartum proportionalem 5212 ; erit is valor Trianguli BLZ: quod adeo est $1^{\circ} 26' 52''$. Auferatur Particula exsors $3' 6''$; relinquetur Aequatio menstrua $1^{\circ} 23' 46''$.

PROBLEMA XLVIII.

852. Data Aequatione menstrua & Anomalia media quæ primo coæquatæ respondet; invenire medium secundo coæquata convenientem.

RESOLUTIO.

Quodsi Luna fuerit in L, Apogæum in D, erit Anomalia media area LAD (§. 648), quæ Anomaliae primo coæquatæ, hoc est, angulo LAD (§ 650) responderet. Si ergo in Semicirculo HIG, posita nempe HG Linea Apsidum menstrua LAC addatur; prodibit Anomalia media, quæ secundo coæquata respondet.

Contra si Luna sit in M, Triangulum menstruum CAM ab Anomalia media primo coæquata respondente HAMGN subducenda, ut relinquatur media, quæ secundo coæquata convenit.

SCHOLION.

853. In hoc Astronomia nova KEPLERI à veteri differt, quod in nova duplex inveniatur Anomalia media, in veteri vero uni Anomaliae media duæ aptentur coæquatae.

PROBLEMA XLIX.

854. Data equatione menstrua & Anomalia primo æquata; invenire Anomaliam secundo æquatam.

RESOLUTIO.

1. Inveniatur Anomalia media Anomalie secundo coæquatæ respondens (§. 852).
2. Ex Anomalia hac media eruatur secundo æquata (§. 686).

Aliter.

Quoniam processus iste valde operosus, KEPLERUS monet (*a*) posse etiam, ad imitationem Astronomiæ veteris, Anomalie primo æquata in Semicirculo HLG subtrahi, in altero GMH addi Aequationem menstruam, ut prodeat Aequatio secundo æquata. Vel Aequationis menstruae loco utendum est angulo ALC vel AMC & ut ante procedendum.

OBSERVATIO LXI.

855. Locus Luna secunda Aequatione adhibita satisfacit in Quadratis, sed extra eas ab observato differt, maxima quidem differentia in Octantibus existente, hoc est, Luna à Sole 45° , 135° ; 225° & 315 gradib. elongata. Excrescit autem usque ad $41^{\circ} 32''$ & Periodus ejus intra unam Lunationem quater absolvitur, estque subractiva à Novilunio usque ad Plenilunium, additiva vero à Plenilunio usque ad Novilunium.

SCHOLION.

856. Hanc inæqualitatem primus observavit TYCHO.

DEFINITIO LIV.

857. Variatio seu Reflexio Luminis est tertia motus Lunaris inæqualitas, qua locus ejus verus à loco bis æquato extra Quadras differt. Aequatio vero Luminis est Aequatio ex menstrua Aequatione & variatione composita.

(a) Epitom. Astron. Lib. VI. p. 882.

PROBLEMA L.

858. Invenire Variationem maximam.

RESOLUTIO.

Observetur Longitudo Lunæ in Octantibus (§. 741.) & ad momentum Observationis computetur locus Lunæ bis æquatus: differentia inter computatum & observatum est Variatio maxima (§. 855. 857).

OBSERVATIO LXII.

859. TYCHO Variationem maximam observavit $40^\circ 30''$; KEPLERUS vero $51'$ eandem statuit.

PROBLEMA LI.

860. Data elongatione Lunæ à Sole HAL; invenire Variationem.

RESOLUTIO.

Fiat: ut Sinus totus ad Sinum duplex elongationis Lunæ à Sole, ita Variatio maxima ad Variationem quæsitam.

E. gr. Sit elongatio \odot à \odot $42^\circ 55' 22''$: erit ejus duplum $85^\circ 50' 44''$, quod vocetur A, adeoque posita Variatione maxima $51'$.

Log. Sin. tot.	100000000
Log. Sin. A.	99988573
Log. $51'$.	17075702

Log. Variat. $*17064275$, cui in Tabulis respondent $50' \frac{85}{100}$ seu $50' 51''$.

SCHOLION.

861. Hæc proportio ex collatione Observationum eruta.

DEFINITIO LV.

862. Locus Lunæ fictus est locus ejus primo æquatus: locus prope verus est locus bis æquatus: locus verus est locus ter æquatus.

PROBLEMA LII.

863. Ad datum tempus locum Lunæ verum supputare.

RESOLUTIO.

- Quæratur locus Lunæ fictus eodem prorsus modo, quo locus Solis verus & Planetarum Eccentricus in Orbita supputatur (§. 720.), qui idem erit verus in Copulis (§. 822.).
- Ad idem tempus supputetur locus Solis verus (§. 720.), & inde constituantur Argumentum tam annum, quam menstruum Longitudinis (§. 846.).
- Quærantur scrupula menstrua Longitudinis (§. 848.) cum Particula exforte (§. 850.) & inde porro Æquatio menstrua (§. 851.).
- Ope hujus locus Lunæ fictus transmutetur in prope verum (§. 862.).
- Ab eo subtrahatur locus Solis verus, ut habeatur elongatio Solis à loco Lunæ prope vero.
- Tandem beneficio hujus inveniatur Variatio (§. 870.), loco Lunæ prope vero vel addenda, vel demenda, ut verus obtineatur in Orbita (§. 862): qui
- Eodem, quo supra, (§. 78.) modo ad Eclipticam reducitur.

SCHOLION.

864. Cum in antecedentibus singula precepta jam Exemplo aliquo fuerint illustrata, si quis ibi repertis utri voluerit, prodibit Exemplum calculi loci Lunæ veri extra Syzygias & Quadras quoad inæqualitatem menstruam & Variationem sine Tabulis computati. Sed ad abbreviadum calculum sane tedium, KEPLERUS Tabulam Æquationis luminis condidit, in qua cum distantia Solis ab Apogeo Lunæ & elongatione loci Lunæ primo æquati Æquatio ex menstrua & Variatione composita una excerptitur.

DEFINITIO LVI.

865. *Lætitudo Luna simplex* dicitur, quæ ex Argumento Latitudinis & angulo, sub quo Orbita Lunæ ad Planum Eclipticæ inclinatur in Copulis, ut supra Inclinatio Planetarum primiorum, supputatur.

SCHOLION.

866. *Coincidit in Luna Latitudo cum Inclinatione, quia Luna circa Terram eadem lege movetur, qua Primarii circa Solem feruntur.*

DEFINITIO LVII.

867. *Latitudo vera* est distantia Lunæ ab Ecliptica, prout è Tellure spectatur.

SCHOLION.

868. Ideo vera à simplice differt, quia Planum Orbitæ ad Planum Eclipticæ libratile (§. 839), ut adeo Inclinatio eorundem Planorum sit variabilis.

DEFINITIO LVIII.

869. *Latitudo menstrua* est arcus interceptus inter locum Lunæ verum & Planum aliquod constante angulo 5 graduum ad Planum Eclipticæ in linea Nodorum inclinatum, atque ad istud Planum perpendicularis.

DEFINITIO LIX.

870. *Argumentum menstruum Latitudinis* est distantia loci veri Lunæ à loco vero Solis.

DEFINITIO LX.

871. *Scrupula Latitudinis* sunt Sinus complementorum distantiae Solis à Luna ad unum vel tres quadrantes aut excessuum ejus super unum vel tres quadrantes in istiusmodi scrupulis, qualem Sinus totus est 60 primorum.

DEFINITIO LXI.

872. *Inclinatio limitis menstrui* est angulus, quo Orbita Lunæ inclinatur ad Planum in dato quolibet mense, quod ipsum ad Planum Eclipticæ constanti angulo 5 graduum super loca Nodorum inclinatur. Maximus est juxta KEPLERUM 18' seu arcus, qui angulum istum metitur. *Limes enim* sunt puncta quadrantis intervallo à Nodis remota.

HYPOTHESIS III.

873. *Si ad Planum Eclipticæ constante angulo 5 graduum in Linea per Nodorum loca transeunte aliud inclinatum fuerit, in quo designata concipiatur Linea Copularum HG per intersectionem plani per centra Solis ac Terra transeuntes, ad Planum Eclipticæ recti; super hac Linea HG ita libratur Orbita Lunæ, ut quando Limes Anomalie soluta in Linea HG coincidat cum plano Eccentrici DLFM. inclinationis constantis quando is habet in Quadratis, libratio maxima existat, nempe 18', sive in Austrum, sive in Boream, prout fert motus Luna; dum vero v.gr. Boreus ab Opposizione H ad Quadratum K tendit, estque v. gr. in D, Sinus portionis librationis in Boream se habeat ad Sinum maximæ, ut Sinus anguli HAD ad Sinum totum. Nimirum Limes soluta à Plano priori versus Boream attollitur, donec in Quadratum K incidat & ibidem inclinatio sit maxima; inde rursus descendit ad Planum prius, donec in G cum eodem coincidat: à quo tempore Semicirculus GIH eadem lege versus Boream attollitur, donec in I sit maxima inclinatio;*

b. tio ; inde vero rursus deprimitur , donec
II. in H denuo cum eo coincidat , alter vero
75. ex adverso in Austrum vertitur.

SCHOLION.

874. Hac ita à KEPLERO (a) finguntur Phænomenis conformiter , ut ea ad calculum revocari possint , more Astronomia veteris.

PROBLEMA LIII.

875. Data distantia Solis à Nodo ; invenire inclinationem Limitis menstrui D.

RESOLUTIO.

Cum HG sit Linea Copularum (§. 873), adeoque \odot e. gr. in H existat, Limes vero D à Nodo quadrantis intervallo removeatur (§. 872); erit HAD complementum distantiae \odot à Nodo ad quadrantein.. Fiat igitur ut Sinus totus ad Cosinum distantiae \odot à Nodo , ita Sinus 18' ad Sinum inclinationis Limitis menstrui D (§. 873).

E. gr. Sit distantia \odot à Nodo 30°, erit HAD 60°, adeoque

Log. Sin. tot.	100000000
Sin. DAH	99375306
Sin. 18'	77189966

Log. Sin. inc. Lim. menstr. 176565272 , cui in Tabulis respondent 15° 35'.

PROBLEMA LIV.

876. Data distantia Solis à Nodo ; invenire Scrupula Latitudinis.

RESOLUTIO.

Fiat : ut Sinus totus ad Sinum complementi ad unum vel tres quadrantes (aut excessus super unum vel tres quadrantes), ita 60 scrupula prima ad scrupula Latitudinis quæsita (§. 871).

E. gr. Sit distantia \odot à N 30°, erit complementum ad quadrantem 60° adeoque	Tab.
Log. Sin. tot.	VIII.
Log. Sin. 60	Fig. 75.
Log. 60	17781512

Log. Scrup. Lat. 17156818 , cui in Canone Logarithmorum numerorum vulgarium respondent 51 $\frac{26}{100}$

Sunt adeo Scrupula latitudinis 51° 57'.

SCHOLION.

877. Inveniuntur eadem , si fiat ut 3 ad 10, ita inclinatione Limitis menstrui, e. gr. in nostro casu 15° 35" seu 935" ad numerum quartum proportionalem , 3117" , quæ valent 51° 57" ut ante.

PROBLEMA LV.

878. Data inclinatione Limitis menstrui, una cum Scrupulis Latitudinis; invenire Latitudinem menstruam.

RESOLUTIO.

Multiplicantur Scrupula Latitudinis per inclinationem Limitis menstrui : factum est portio Latitudinis menstruæ.

E. gr. Sit Limitis menstrui inclinatione 15° 35" seu 935" , sint scrupula menstrua 51° 57" seu 3117" , factum 2914395 est Latitudinis menstruæ portio in Scrupulis quartis (§. 393. 374 Arithm.). Est adeo portio Latitudinis menstruæ 13° 29' 33" 15" seu 13° 30".

SCHOLION.

879. Ex circumstantiis singularibus dividandum , utrum portio Latitudinis menstruæ sit Australis an Borealis (§. 873).

PROBLEMA LVI.

880 Ad datum tempus Latitudinem Luna veram supputare.

(a) In Epit. Astron. Copern. Lib. V. p. 817.

RESOLUTIO.

1. Quæratur Latitudo Lunæ simplex, ut supra inclinatio Planetarum primiorum (§. 785).
2. Quæratur porro portio Latitudinis menstruæ (§. 878).
3. Quodsi utraque fuerit ejusdem nominis v. gr. Australis, addantur: si vero fuerint diversi nominis, nempe altera Australis, altera Borealis, minor è majori subtrahatur. In casu primo erit summa Latitudo vera ejusdem nominis cum simplifici: in posteriori differentia eadem Latitudo erit ejus nominis, quod suit majoris.

SCHOLION.

881. Exposuimus hactenus Theoriam, qua utitur KEPLERUS ad salvandas inæqualitates motuum Lunarium. Cum Linea Apsidum motu angulari circa Terram moveatur motu inæquabili & motus Lunæ à Conjunctione & Oppositione ad Quadraturas retardetur, à Quadraturis ad Syzygias acceleretur; Orbita ejus continuo mutabilis: quam mutabilitatem ex causis Physicis demonstravit NEWTONUS. Constat Cel HALLEUM in perficienda Theoria Lunæ ex Observationibus quoad numeros desudare, ut adeo dubitandum non sit pertinaciam Lunæ tandem videntem iri.

PROBLEMA L.VII.

882. Invenire Tempora Periodica Satellitum Jovis atque Saturni.

RESOLUTIO.

Inveniuntur ex eorum Conjunctionibus cum Jove atque Saturno, vel etiam ex eorundem digressionibus maximis à suis primariis.

OBSERVATIO LXIII.

883. CASSINUS reperit Tempus Periodicum Satellitis

h	I.	1 d.	21 h.	18'	27"
	II.	2	17.	41.	22
	III.	4	12.	25.	12
	IV.	15	22.	41.	14
	V.	79	7.	48.	0
24	I.	1 d.	18 h.	28'	36"
	II.	3	13.	18.	52
	III.	7	3.	59.	40
	IV.	16	18.	5.	6

NEWTONUS (a) Periodos Satellitum Saturni circa primarios retinet, prout à CASSINO definitæ, sed Periodos Satellitum Jovis ita definit.

I.	1 d.	18 h.	27'	34"
II.	3.	13.	13.	42
III.	7.	3.	42.	36
IV.	16.	16.	32.	9

OBSERVATIO LXIV.

884. Idem CASSINUS deprehendit distantiam Satellitis primi à Saturno $1\frac{12}{25}$ diametri Annuli; secundi $2\frac{1}{2}$; tertii $3\frac{1}{2}$; quarti 8, quinti 24 Diametrorum Annuli. Est vero Diameter Saturni ad Diametrum Annuli juxta eundem ut 5 ad 11, juxta HUGENIUM ut 4 ad 9, juxta Observationes in Anglia factas Telescopio Hugeniano 123 pedum, ut 3 ad 7: quo eodem Telescopio elongatio maxima deprehensa Satellitis quarti à centro Saturni Semidiametrorum $8\frac{7}{19}$ Annuli. Primus Satellitum Jovis juxta CASSINUM à centro Jovis distat $5\frac{2}{3}$ semi diametris Jovialibus, secundus 9, tertius $14\frac{23}{60}$, quartus $25\frac{3}{16}$.

THEO-

(a) In Princip. Phil. Nat. Mat. Lib. III. p. 390

THEOREMA XXXIV.

885. *Quadrata Temporum Periodicorum Satellitum Jovis atque Saturni sunt in ratione triplicata distantiarum à suis primariis.*

DEMONSTRATIO.

Non differt à Demonstratione Theor. 34 (§. 799), nisi quod numeri ex §. 882 & 883 petendi.

Potest vero etiam hoc modo demonstrari, ut ex Temporibus Periodicis & distantia unius Satellitis à suo primario observatis per Theorema præsens eruantur distantiae ceterorum, quæ cum proxime æquales reperiantur distantiis observatis, veritas Theorematis à posteriori patet.

SCHOLION.

886. *Posteriori modo demonstrandi utitur NEWTONUS tam in primariis, quam in secundariis. Quoniam vero non cuiusvis est calculorum tricis sese implicare, ideo subjiciamus Tabulam, in qua distantiae computatae ē regione observatarum collocantur.*

Nomina Planetaryarum.	Distantiæ obser-vatæ à Sole.	Distantiæ com-putatæ.
Saturnus	951000	954006
Jupiter	519650	520096
Mars	152350	152369
Terra	1000000	1000000
Venus	72400	72333
Mercurius	38806	38710
Satelles.	distantiæ à centro Saturni.	
Saturni		
I	1 $\frac{19}{20}$	1. 93
II	2 $\frac{1}{3}$	2. 47
III	3 $\frac{1}{2}$	3. 45
IV	8	8. 00
V	24	23. 25
Satelles.	distantiæ à centro Jovis.	
Jovis		
I	5 $\frac{2}{3}$	5. 667
II	9	9. 017
III	14 $\frac{23}{60}$	14. 384
IV	25 $\frac{3}{10}$	25. 299

Nemo desideret consensum in fractionibus decimalibus: etenim non major est consensus in distantiis, quæ diversis Astronomorum Observationibus debentur, quemadmodum NEWTONUS (a) probat.

CAPUT II.

De Solis & Planetarum Parallaxibus, Distantiis à Terra & Magnitudinibus.

PROBLEMA LVIII.

887. *Parallaxin altitudinis Lunæ ob-servare.*

RESOLUTIO.

1. Observetur altitudo Lunæ meridiana summa cum cura (§. 128) noteturque momentum observationis quam ac-curatissime.

2. Tempore observationis æquato (§.

715) suppetetur Longitudo & La-titudo Lunæ vera (§. 863).

3. Data Longitudine & Latitudine, quæ-ratur ejus Declinatio (§. 260).

4. Ope Declinationis & elevationis Äqua-toris inveniatur altitudo meridiana vera (§. 202). Quodsi altitudo obser-vata non fuerit meridiana, ad tempus observationis reperiatur vera (§. 300).

(a) Loc. cit.

5. Altitudo observata à Refractione liberetur (§.349) tandemque à vera subtrahatur, residuum est Parallaxis altitudinis (§. 367).

E. gr. TYCHO (a) A. 1583 d. 12 Oct. hor. 5.	
19' observavit altitudinem meridianam limbi superioris $\Delta 13^{\circ} 38'$. Erat adeo	
Alt. limbi Δ super. $13^{\circ} 38'$ Long. $\Delta 15^{\circ} 40'$ X	
Semidiam. Δ app. 15 Lat. S. 2. 42	
Altitudo centri $\Delta 13. 23$ Decl. 19. 57	
Refract. aufer. 8 Alt. Äqu. 34. 6	
Altitudo Δ visa 13. 15 Alt. Δ 14. 9	
Altitud. Vera 14. 9	
Parallaxis Δ 54	

PROBLEMA LIX.

Tab. IV. 888. Data altitudine Lunæ SR & Fig. 43. ejus Parallaxi AST; invenire ejus à Terra distantiam.

RESOLUTIO.

Ob datam altitudinem Δ visam, datur ejus distantia visa à Zenith, hoc est, angulus ZAS, aut ob veram angulus ZTS. Quare cum etiam detur angulus Parallacticus S & Semidiameter Terræ AT sit 1; invenietur distantia Lunæ à Terra TS in Semidiametris Terrestribus (§.36 Trigon.).

E. gr. Vi observationis præcedentis ZAS	
$76^{\circ} 45'$, AST 54'. Ergo	
Log. Sin. AST	81961020
Log. AT	00000000
Log. Sin. ZAS	99882821

Log. ST 17921801 , cui in Tabulis respondent $61\frac{27}{100}$, hoc est, fere 62.

Fuit ergo, vi Observationis TYCHONIS, tunc temporis distantia Δ à Terra TS 62 Semid. Terrestrium.

COROLLARIUM I.

889. Cum ex Theoria Lunæ detur ratio

(a) Progymnasm. Lib. I. C. 6. p 459.

distantiarum à Terra in singulis Anomalia gradibus (§.685); distantiae eadem ope Regulæ trium in Semidiametris Terrestribus inveniuntur & inde porro Parallaxis quoque ad singulos Anomalia gradus (§.388) reperitur.

COROLLARIUM II.

890. Cognitis Parallaxis altitudinis, inveniuntur porro Parallaxes Longitudinis, Latitudinis, Ascensionis rectæ, Declinatio- nis (§.390.391).

SCHOOLION.

891. Patet ergo ratio construendi Tabulas Parallaxium Δ horizontalium ad singulos Anomalia vera gradus.

OBSERVATIO LXV.

892. PHILIPPUS DE LA HIRE (b) Pa- rallaxin horizontalem maximam statuit $1^{\circ} 1' 25''$, minimam $54' 5''$.

COROLLARIUM.

893. Ergo distantia Δ à $\frac{1}{2}$ in Perigæo est $55\frac{27}{100}$, hoc est fere 56, in Apogæo $63\frac{57}{100}$, hoc est, $63\frac{1}{2}$ Semidiametrorum Terrestrium.

PROBLEMA LX.

894. Invenire distantiam Solis à Terra.

RESOLUTIO.

- Sex circiter horis ante primam Quadrantem aut sex horis post ultimam ope Telescopii exquisiti Micrometro instructi observetur Luna.
- Notetur beneficio Horologii oscilla torii (§. 994. Mechan.) ad motum Solis compositi (§. 127) temporis momentum, quo bisecta appetet seu facie dimidiata splendet.
- Ilo ipso momento capiatur distantia ope Sextantis vel Octantis exactissi-

(b) In Tab. Astron. p. 27.

me divisi à duabus Stellis fixis notæ
Longitudinis & Latitudinis (§. 225).

4. Inde eruatur Longitudo Lunæ (§. 741).
5. Ad idem momentum, postquam æquatum fuerit (§. 715), supputetur locus Solis verus (§. 720).
6. Locus Solis auferatur à Longitudine Lunæ ante inventa, residuum est elongatio Lunæ à Sole, seu angulus LTS.
7. Ad tempus observationis supputetur Anomalia Lunæ vera (§. 863) & inveniatur ejus à Terra distantia TL (§. 889).
8. Datis adeo in Triangulo TLS ad L rectangulo angulo LTS & latere TL, invenitur \odot à \pm distantia TS (§. 36 Trigon.).

E gr. VENDELINUS (a), per exquisita Telescopia Dichotomias Lunares observans tandem deprehendit, angulum LTS esse $89^{\circ} 45'$, adeoque TSL $15'$. Quodsi distantiam Lunæ TL mediocrem assumamus 60 Semidiametrorum terrestrium (§. 893); erit

Log. Sin. S	76398160
TL	17781512
Sin. Tot.	100000000

Log. TS 41383352 , cui
in Tabulis respondent 13751 .

COROLLARIUM I.

895. Quodsi in Triangulo HRT ad H rectangulo, distantia \odot TR assumatur 13751 Semidiametrorum Terrestrium; reperietur Parallaxis horizontalis diurna (§. 36 Trigon.). Est nempe

Log. Sin. Tot.	100000000
TR	41383352

Log. Sin. HRT 58616648 , cui
in Tabulis respondent $15''$, quantum hanc
Parallaxin æstimat VENDELINUS.

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

(a) Vid. Ricciolus in Almag. Lib. III, C.7. Tom. I. f. 109.

COROLLARIUM II.

896. Quodsi vero cum Cl. DE LA HIRE (b)
Parallaxis Horizontalis in distantia media
assumatur nonnisi $6''$; reperietur distantia
 \odot à Terra media 34377 (§. 888).

PROBLEMA LXI.

897. Parallaxin Planetæ, v. gr. Martis, diurnam observare.

RESOLUTIO.

1. Sit Mars in Meridiano atque in Tab. Aequatore in H, & Observator sub Aequatore in A constitutus eum cum Fixa aliqua observet culminantem.
2. Quodsi in Centro Terræ D consti-
tueretur, Martem (quem tantisper in Orbita sua immotum statuimus) constanter cum Stella in eodem Cœli puncto videret, adeoque & una in Horizonte seu plano horæ sextæ. Sed cum jam Mars habeat aliquam Parallaxin sensibilem, Fixa nullam (§. 384); Mars videbitur in Horizonte, quando est in P plano Horizontis sensibilis, Stella vero demum, quando in Plano veri in R hæret. Notetur adeo tempus, quod intercedit inter transitum Martis & Stellæ per planum horæ sextæ.
3. Hoc tempus in scrupula Aequatoris convertatur (§. 212): cum enim ita prodeat arcus PM, cui angulus PAM, consequenter AMD (§. 233 Geom.), proxime æqualis, erit is Parallaxis horizontalis Martis (§. 371).
4. Quodsi Observator fuerit non sub Aequatore, sed in parallelo IQ, diffe-
ren-
V u u

(b) In Tab. Astron. p. 6.

Tab.
IX.
Fig 78.

- rentia illa erit arcus minor QM. Quare cum arcus exigui QM & PM sint ut eorum Sinus AD & ID (*§.23 Trig.*), sitque ADG distantia loci ab Äquatore, hoc est elevationi Poli æqualis, adeoque AD ad ID, ut Sinus totus ad Cosinum elevationis Poli (*§. 11 Trigon.*), fiat: Ut Cosinus elevationis Poli ID ad Sinum totum AD, ita Parallaxis in I observata ad Parallixin sub Äquatore observandam.
5. Quoniam *Mars* & Fixa in Horizonte non commode observantur, observentur ergo in Circulo horæ tertiae, cumque sit Parallaxis ibi observata TO ad Horizontalem QM, ut IS ad ID, propterea quod IS & ID sunt Sinus arcuum TO & QM, adeoque propter arcuum exiguitatem inter se ut arcus, erit ut Sinus anguli IDS seu 45° (quia planum DO medium inter Meridianum DH & Horizontem verum DM) ad Sinum totum, ita Parallaxis TO ad Horizontalem QM (*§.38 Trigon.*).
6. Si etiam *Mars* fuerit extra planum Äquatoris, Parallaxis inventa erit arcus Paralleli, qui adeo ad arcum Äquatoris reducendus ut supra (*§. 547*).
7. Denique si *Mars* non fuerit stationarius, sed vel directus, vel retrogradus, per aliquot dies Observationes iterentur, ut constet quantum inter vallo 24 horarum Ascensio recta Martis à Fixa mutetur.

Hac Methodo invenit CASSINUS, cui egregium hoc inventum debemus, & post eum FLAMSTEDIUS, Parallixin Martis horizontalem maximam esse quasi $25''$ aut paulo minorem.

COROLLARIUM I.

898. Quoniam eo tempore, quo CAS-
SINUS Martis Parallaxin scrutatus est, dis-
tantia \odot à Terra fuit plus quam altero tan-
to major distantia Martis, Sinus vero an-
gulorum exiguorum sunt ut anguli ipsi
(*§.23 Trigon.*) ; ideo \odot Parallaxin conclu-
dit 10 fere secundorum.

COROLLARIUM II.

899. Quando Parallaxis \odot est $10''$, dis-
tantia ejus à Terra 22062 Semidiametro-
rum Terrestrium.

SCHOLION I.

900. CASSINUS eadem methodo Parallaxin
Veneris observavit & inde Martis Paralla-
xin eruit, quam cum ea 25 secundorum optime
consentire didicit, ut adeo pro certo haberet
possit, Parallaxin \exists non esse 25, Solis non 10
scrupulis secundis majorem. Et ad hauc Paral-
laxin Solis Cassinianam prope accedit Wen-
deliniana.

SCHOLION II.

901. Parallaxin Veneris auxilio Reguli
cadem Methodo scrutatus est BLANCHINIUS
(a). Reperit autem Parallixin horizontalem A:
1716 à die 1 Julii usque ad quartam 24^{II} 20^{III}
ac inde distantiam Veneris à Terra elicit
8000 Semidiametrorum Terrestrium, Solis
vero distantiam à Terra 13403 seu numero
rotundo 13400, & inde porro Parallaxin
Solis horizontalem 14^{II} 18^{III}. A. 1727 d. 19.
Septembr. cum Venus & Saturnus eundem
Parallelum describerent, Declinatione utrius-
que existente 19° , ope hujus Planetæ, sed
multo operosis Veneris Parallaxin invenit
 $22'' 12''$, à priori nonnisi $8''$ dissidentem:
erat autem tunc temporis Venus Telluri pau-
lo proximior, quam in priori Observatione,
ut paulo major in hac secunda Observatione
prodire debuisset. Methodo tamen posteriori
minus fidendum, quam priori simplicissime.

SCHOLION III.

902. Ceterum Observati: instituenda est ope
Telescopii exquisiti, Micrometro instructi,
in
(a) In Hesperi & Phosphori novis Phenomenis
C.8. f.72. & seqq.

ab. in cuius foco extendenda fila quatuor se mutuorum ad angulos rectos secantia ABCD, & 79. Telescopium tamdiu circumagendum, donec Stella aliqua Marti proxima per filum aliquod decurrere videatur, ut fila AB & CD sint Aequatori parallela atque adeo AC & BD repräsentent circulos Declinationum. Nimirum ope filorum perpendicularium Stellarum fixarum atque Martis situs in Meridiano & Circulo horae tertiae determinatur.

PROBLEMA LXII.

903. Dato distantia Solis ad unum Anomaliam gradum; invenire eandem in Apogeo & Perigao & ad quemcunque alium Anomaliam gradum, & distantiam quoque Planetae alterius cuiuscunque à Terra maximam, medium & minimam.

RESOLUTIO.

1. Inveniatur ad datum Anomaliam gradum, ad quem distantia Solis in Semidiametris Terræ reperta, eadem distantia in partibus, qualium Radius Eccentrici est 100000 (§. 645.).

2. Cum ipse Radius Eccentrici 100000 sit distantia media, maxima vero in Apogeo (ob Eccentricitatem 1800 (§. 798.)) 101800, minima 98200; per Regulam trium distantia Solis maxima, media & minima in Semidiametris Terræ inveniri potest.

E. gr. Distantia \odot à Terra media ex Parallaxi Solis horizontali 6", quantam statui DE LA HIRE, est 34377 Semidiametrorum Terrestrium. Quoniam itaque distantia media est ad maximam ut 100000 ad 101800 seu ut 1000 ad 1018, reperiatur maxima 34995 Semidiametrorum Terrestrium. Similiter quia media ad minimam ut 1000 ad 982, invenietur minima 33758. Quodsi vero cum CASSINO distantia \odot mediocris assumatur 22000

Semidiametrorum Terrestrium, reperiatur, supposita Eccentricitate KEPLERIANA, distantia maxima 22396, minima 21604 Semid. Terrest. CASSINUS 22 maximæ demit, minimæ addit; calculo ex sua Eccentricitate ducto.

3. Cum in tribus Planetis superioribus distantia omnium maxima à Terra sit, quando Planetæ in Aphelio A,

Tab. IX.

Fig. 80.

Terra itidem in Aphelio suo a constituantur, & Aphelia Planetarum Aphelio Terræ ex Sole S opponuntur; distantia eorum maxima à Terra componitur ex distantia ipsorum maxima à \odot SA & distantia Telluris maxima ab eodem S a. Similiter cum distantia Planetæ P à Terra a minima sit, si Planeta fuerit in Perihelio P, Terra in Aphelio a, & Aphelium Planetæ A Aphelio Telluris a ex Sole opponitur; distantia Planetæ à Terra minima P a est differentia inter distantiam minimam Planetæ à Sole PS & distantiam maximam Telluris ab eodem aS.

Tab. IX.

Fig. 81.

Quoniam itaque distantiarum maximarum, mediarum & minimarum Saturni, Jovis & Martis ratio ad Semidiametrum Eccentrici Telluris seu mediocrem Solis à Terra distantiam datur (§. 798.); reperiuntur, ut ante, distantiae Planetarum à Sole & inde porro ex ipsorum à Sole & Solis à Tellure distantias tandem distantiae à Terra eruuntur.

E. gr. Distantia \odot mediocris à Terra est ad distantiam minimam Martis ut 100000 ad 138135. Quare cum \odot distantia mediocris à Terra sit 34377 Semid. Terrest. reperiatur distantia Martis minima à \odot PS 47321: unde s subducatur distantia ma-

Vnu 2 xima

xima Telluris à Sole AS 34995, relinquuntur distantia minima Martis à Terra Pa 12526. Eodem modo reperitur distantia Martis maxima à Sole 57225 & maxima à Terra 92220.

Tab. 4. Distantia *Veneris* & *Mercurii* à Terra nunquam major est, quam si Aphelium Terræ A Aphelio Planetæ a opponatur & Terra non minus quam Planeta in suo Aphelio fuerit. Quare si ante reperiatur distantia Planetæ inferioris maxima à Sole a S & distantia Telluris maximæ AS addatur, prodibit maxima illius à centro hujus distantia Aa. Similiter si Terra fuerit in suo Perihelio P, *Venus* vel *Mercurius* in Aphelio a: relinquuntur *Veneris* vel *Mercurii* distantia à Terra minima P a si illorum distantia à Sole maxima a S subtrahitur à minima distantia Telluris à Sole PS.

E. gr. Distantia mediocris *Solis* à Terra est ad minimam *Veneris* à Sole ut 100000 ad 71900 (§.798), hoc est, ut 1000 ad 719. Quare cum distantia mediocris Telluris à Sole sit 34377; reperitur *Veneris* minima à Sole distantia 24717, maxima 25660 Sem. Terrestr. adeoque à Terra maxima 60655, minima 8099 Sem. Terrestr.

5. Denique si distantia à Terra maxima addatur minimæ; semisumma erit mediocris (§.330 *Arithm.*).

E gr. Distantia maxima Martis 92220 S.T.

minima	12526
Summa	104746
media	52373

COROLLARIUM I.

904. Sunt ergo distantia Planetarum à Sole & à Terra in Semidiametris Terrestribus, suppositis juxta Cel. de la Hire Par-

rallaxi horizontali maxima 6'' & dimensionibus Orbitarum Keplerianis sequentes:

Distant. à Sole	Maxima	Media	Minima
Saturni	345498	326894	308290
Jovis	187254	178640	170026
Martis	57225	52326	47521
Terræ	34995	34377	33759
Veneris	25660	24889	24717
Mercurii	16142	13340	10537

Distant. à Terra	Maxima	Media	Minima
Saturni	380493	326894	273295
Jovis	122249	178640	135051
Martis	92220	52326	12526
Solis	34995	34377	33759
Veneris	60655	34377	8099
Mercurii	51137	34377	17617

SCHOLION II.

905. Juxta CASSINUM (a) distantia pauciores prodeunt, ob majorem Parallaxin Solis (§.898). Ecce tibi eas:

Distant. à Terra	Maxima	Media	Minima
Saturni	244000	210000	176000
Jovis	143000	115000	87000
Martis	59000	33500	8000
Solis	22374	22000	21626
Veneris	38000	22000	6000
Mercurii	33000	22000	11000
Lunæ	61	57	53

SCHOLION III.

906. Quoniam rarissime contingit, ut Planetæ primarii maximam & minimam consequantur à Terra distantiam, quemadmodum ex anterioribus facile colligitur (903); ideo præstat ad magnitudinem systematis Solaris ex distantia Planetarum primiorum à Sole

(a) Vid. Ozanam, Cours de Mathematique Tom. 5, Trait. de Geogr. Part. 1. C. 2. p. 64.

à Sole & Orbitarum magnitudinibus cognoscere, præsertim cum inde nullo negotio elongationes maxime & minima à Terra cognoscantur. Lubet igitur distantias Planetarum primiorum à Sole & Lunæ à Terra hic exhibere, prout extant in Calendario Astronomico Academiæ Regiæ Scientiarum Parisina (a).

Distant. à Sole	Maxima	Media	Minima
Saturni.	221870	209836	197802
Jovis.	119900	114400	208900
Martis.	36630	33528	30426
Terræ.	22374	22000	21626
Veneris.	16016	15906	15796
Mercurii.	10274	8514	6754
Lunæ à Terra.	62	58	54

Quodsi quis dimensiones Orbitarum desideret in particulis, qualium Radius Eccentrici Telluris est 100000, ut pateat differentia à Keplerianis supra (§. 798) exhibitis; ope Regulae trium numeri Tabula in quæsitos facile transmutantur; sunt enim dati ad quæsitos ut 100 ad 22.

COROLLARIUM II.

907. Si distantia à Sole maxima AS minima PS addatur: summa est Semidiameter major Ellipsis PA. Minima vero distantia à Sole est distantia Foci à vertice (§. 633), differentia inter distantiam medium PC & minimam PS Eccentricitas, seu Foci S à centro C distantia. Quia distantia media est Radius Eccentrici (§. cit.); cognita Eccentricitate porro invenitur Diameter minor (§. 696). Patet adeo, quomodo dimensiones Orbitarum in Semidiametris Terrestribus inveniantur.

SCHOLION IV.

908. Ecce tibi Diametros Orbitarum cum Eccentricitatibus, quæ sunt distantiae Focorum à Centro (§. 633), in Semidiametris Terrestribus (§. 906).

(a) Connoissance de Temps pour l'Année 1715. p. 138. 139.

	Diamet. Orbitarum	Eccentricitas
Saturni	419672	12034
Jovis	228800	5500
Martis	67056	3102
Terræ	44000	374
Veneris	31812	110
Mercurii	17028	1760
Lunæ	116	4

PROBLEMA LXIII.

909. Invenire rationes, quas habent Diametri veræ Planetarum ad Diametrum Solis.

RESOLUTIO.

Cum ratio distantie Planetarum à Sole ad distantiam medium à Terra detur (§. 796. 904), una cum Semidiametris apparentibus eorum ex Terra visorum (§ 557); inveniantur Semidiametri apparentes ex ea distantia visorum, qua Sol à Terra abest (§ 212. Optic.): erunt enim Semidiametri veræ ut apparentes modo repertæ (§. 245. Optic. & §. 23. Trigon.)

E. gr. Diameter apprens Annuli Saturni in minima à Terra distantia est 68'' ex Observatione HUGENII (b): quare cum hæc sit ad distantiam mediocrem Solis quam proxime ut 8 ad 1, diameter Annuli Saturni ex ea distantia visi, qua Sol à Terra abest, foret 544'' seu 9' 4'', consequenter quia Solis diameter apprens juxta KEPLERUM; ut 30'' seu 1830'' (§. 553), Diameter Annuli Saturni vera est ad Diametrum Solis veram, ut 544 ad 1830, hoc est, (si utrinque per 49 dividas) fere ut 11 ad 37.

COROLLARIUM I.

910. Quoniam corpora Planetarum sunt ut Cubi Diametrorum (§. 579. Geometr.), Superficies eorundem ut Diametrorum

Vuu 3

Qua-

(b) In Systemate Saturnino p. 77.

Quadrata (§. 554. 408. Geom.); data ratione Diametrorum datur quoque ratio Superficierum ac Soliditarum.

COROLLARIUM II.

911. Quodsi ergo Semidiametri appartenentes ex Observatione HUGENII assumantur (§. 557), reperietur

Ratio Diametr. ad Diametrum Solis	Ratio Superficie- rum ad Superfi- ciem Solis	Ratio Solidatum ad Soliditatem Solis
Annul. 11: 37		
☿ 5 : 37	1: 55	1: 405
♃ 2 : 11	1: 30	1: 166
♂ 1 : 166	1: 27556	1: 4574296
♀ 1 : 84	1: 7056	1: 592704
♂ 1 : 290	1: 84100	1: 24389000

PROBLEMA LXIV.

912. Data Semidiametro apparente AOC, & distantia Sideris à Terra OC; invenire veram AC.

RESOLUTIO.

Cum in Triangulo AOC ad A rectangulo detur angulus O & Hypotenusa OC, reperietur AC (§. 36 Trigon.).

E gr. Distantia Lunæ Perigæa est $55\frac{97}{100}$ Sem. Terrestrium (§. 893) & Semidiameter ejus apparenrs in Perigæo juxta KEPLERUM $16' 22''$ (§. 155). Unde

Log. Sin. tot.	100000000
CO	17479553
Sin.AOC	76776811
	94256364

$$\rightarrow 0.5743636,$$

cui quam proxime respondent $\frac{1000}{3752}$.

Est ergo Semidiameter Lunæ $\frac{1000}{3752}$, seu $\frac{266}{100}$ Semid. Terrestr.

Aliter.

Cum Semidiameter Telluris apparenrs ex Sole vel Luna visa sit æqua-

lis parallaxi Solis & Lunæ ex Terra visorum (§. 371); erunt Semidiametri veræ Solis, Lunæ & Terræ ut Parallaxes Solis & Lunæ atque Semidiametri apparentes Solis & Lunæ.

E.gr. Parallaxis Lunæ in distantia minima est $1^{\circ} 1' 25''$, Semidiameter ejus apparenrs $16' 21''$. Est ergo Semidiameter Lunæ ad Semidiametrum Terræ ut $981''$ ad $3685'$, hoc est, ut 266 ad 1000 , seu ut 133 ad 500 , prorsus ut ante. Similiter Parallaxis Solis in media distantia est $6''$ (§ 896), Semidiameter apparenrs $15' 15''$ (§. 553). Est ergo Semidiameter Telluris vera ad Semidiametrum Solis veram, ut 6 ad 915 , hoc est, ut 2 ad 305 , seu ut 1 ad 152 , vel si mavis, ut 1 ad $152\frac{1}{2}$.

COROLLARIUM I.

913. Superficies Lunæ est ad superficiem Terræ ut 17689 ad 250000 hoc est, ut 1 ad 14 (§. 554. 408 Geom.).

COROLLARIUM II.

914. Lumen adeo à Terra in Lunam reflexum, est ad Lumen à Luna in Terram reflexum ut 14 ad 1 . Non adeo mirum, quod Lucula illa circa Novilunia in parte Lunæ à Sole aversa nobis sit conspicua.

COROLLARIUM III.

915. Luna est ad Terram quoad soliditatem ut 2352637 ad 125000000 (§. 579 Geom.), hoc est, fere ut 1 ad 52 .

COROLLARIUM IV.

916. Sol est ad Terram quoad superficiem ut 23104 ad 1 , quoad soliditatem ut 3511808 .

PROBLEMA LXV.

917. Data Semidiametro Lunæ vera AC & distantia Verticis alicujus Montis B à Limite illuminationis A; invenire altitudinem Monsis BD.

RESOLUTIO.

1. Addantur Quadrata rectarum AC & AB, summa est quadratum BC (§. 417. Geom.).
2. Ex ea extrahatur Radix quadrata (§. 261. Arithm.), quæ erit recta BC.
3. Inde auferatur Semidiameter Lunæ CD, relinquitur altitudo Montis BD.
- E. gr. HEVELIUS (*a*) in Montibus altissimis deprehendit $AB = \frac{1}{13}$ AC. Quare cum AC sit 266 partium, qualium Semidiameter Telluris est 1000 (§. 912), erit $AB = \frac{266}{13}$. Est adeo AC : AB = 266 : $\frac{266}{13} = 133 : \frac{133}{13} = 1729 : 133$. Ergo $AC^2 = 2989441$
 $AB^2 = 17689$
-
- BC² = 3007130
-
- BC = 1734.
-
- DC = 1729
-
- BD = 5.

Est ergo $BD = \frac{5}{1729} AC = \frac{1}{346} AC$. Quodsi ex *Geographia* Semidiameter Telluris assumatur 860 milliarium Germanicorum; reperietur $AC = 228 \frac{76}{100}$ mill. seu $45\frac{7}{2}$ mill. Ergo $BD = \frac{1}{34} AC$, paulo major quam $\frac{1}{2}$ mill. Germ.

SCHOLION.

918. Cum Montium Lunarium magnitudinem dimetiri liceat; non mirum, quod ab Astronomis singulis sua imposita sint nomina. HEVELIUS (*b*) eadem à Montibus Telluris mutuatur: RICCIOLUS (*c*) eosdem nominibus celebrium Astronomorum insignivit, quem nunc plerique sequuntur. Non iam nomina Montium Lunarium in Observationibus Eclipsium Lunarium usurpantur; ideo Lunæ faciem cum nominibus præcipuis ex Ephemerib; Parisinis hic exhibere libet. Est nempe

(*a*) Selenogr. C. VIII. f. 266.

(*b*) Selenogr. C. VIII. f. 255.

(*c*) In Astron. Reform. Lib. III. C. XI. f. 168.

1. Grimaldus
 2. Galilæus
 3. Aristarchus
 4. Keplerus
 5. Gassendus
 6. Schickardus
 7. Harpalus
 8. Heraclides
 9. Lansbergius
 10. Reinholius
 11. Copernicus
 12. Helicon
 13. Capuanus
 14. Bullialdus
 15. Eratosthenes
 16. Timocharis
 17. Plato
 18. Archimedes
 19. Insula sinus medii
 20. Pitatus
 21. Tycho
 22. Eudoxus
 23. Aristoteles
 24. Manilius
 25. Menelaus
 26. Hermes
 27. Posidonius
 28. Dionysius
 29. Plinius
 30. Catharina, Cyrius, Theophilus
 31. Fracastorius
 32. Promontorium acutum.
 33. Messala
 34. Promontorium Sennii
 35. Proclus
 36. Cleomedes
 37. Snellius & Furerius
 38. Petavius
 39. Langrenus
 40. Taruntius
- A. Mare Humorum
 B. Mare Nubium
 C. Mare Imbrium
 D. Mare Nectaris
 E. Mare Tranquillitatis
 F. Mare serenitatis
 G. Mare fœcunditatis
 H. Mare Crisium.

PROBLEMA LXVI.

919. Invenire Semidiametros Planetarum primiorum in Semidiametris Terra.

RESOLUTIO.

Cum Semidiameter Solis vera sit 152 Semidiametrorum Terrestrium (§. 912.) & ratio Diametrorum Planetarum primiorum ad Diametrum Solis detur (§. 911.); reperientur Semidiametri Planetarum primiorum in Semidiametris Terrestribus per Regulan trium.

COROLLARIUM I.

920. Est ergo Semidiameter Saturni. Annuli Jovis. Martis. Vener. Mercurii.

$20\frac{20}{31}$, $45\frac{7}{37}$, $27\frac{7}{11}$, $\frac{76}{83}$, $1\frac{17}{21}$, $\frac{76}{145}$

CO-

COROLLARIUM II.

921. Hinc patet esse rationem quam proximam

Diamet. Terræ ad diam. Planetarum.	Superfic. Terræ ad Superfic. Planet.	Solid. Terræ ad Solid. Planetar.
Annuli	1 : 45	
☿	1 : 20	1 : 400
♀	1 : 28	1 : 784
○	1 : 152	1 : 23104
♂	12 : 11	6 : 5 f. 1 : $\frac{5}{6}$
♀	4 : 7	1 : 3
♀	19 : 45	1 : 6 f. 1 : $\frac{1}{7}$

SCHOLION.

922. In Calendario Astronomico Academiae Regiae Scientiarum (a) magnitudines Planetarum in Semidiametris Terrestribus ita determinantur:

Diam. Planetarum.	Superficies.	Soliditates.
☿	10 —	99
♀	10 +	106
♂	$\frac{3}{5}$	$\frac{2}{5}$
○	100	10000
♂	1	1
♀	1	1
♀	$\frac{1}{3}$	$\frac{1}{9}$
☾	$\frac{1}{4} +$	$\frac{1}{13}$

Notandum, quod signum + denotet, numerum, cui adjicitur, esse justo paulo minorem; signum vero — indicet, eum esse justo paulo

(a) Loc. cit.

majorem. Plurimum autem differunt numeri hi ab anterioribus, propterea quod ibidem Diametrum Solis ob Parallaxin ejus admodum exiguum multo majorem assumserimus. Discrepant nimirum adhuc Astronomi in magnitudine Solis definienda.

PROBLEMA LXVII.

923. Invenire distantias Satellitum Jovis & Saturni à suis primariis.

RESOLUTIO.

- Ope Tubi Micrometro instructi observetur ratio distantiae Satellitum ad suum primarium.
- Cum diameter Saturni atque Jovis in Semidiametris Telluris detur (§. 920); reperietur quoque in eadem mensura distantia Satellitum à suis primariis.

COROLLARIUM I.

924. Cum Satelles Jovis primus ab eo distet $5\frac{2}{3}$, secundus 9, tertius $14\frac{2}{5}$, quartus $25\frac{1}{3}$ Semidiametris Jovis (§. 886); Semidiameter vero Jovis sit $27\frac{7}{11}$ Semidiametrorum Terrestrium (§. 920); erit distantia primi à centro Jovis 157, secundi 249, tertii 398, quarti 700 Semidiametrorum Terrestrium.

COROLLARIUM II.

925. Similiter quoniam distantia Satellitum primi à centro Saturni est $1\frac{1}{20}$, secundi $2\frac{1}{3}$, tertii $3\frac{1}{3}$, quarti 8, quinti 24 Semidiametrorum Saturni; Semidiameter vero Saturni $20\frac{2}{3}$ Semidiametrorum Terrestrium (§. 920); erit distantia primi 40, secundi 48, tertii 72, quarti 163, quinti 488.

C A P U T V I I.

De Adspectibus Planetarum & Eclipsibus Lunæ ac Solis.

DEFINITIO LXVI.

926. *A*dspectus est concursus Radiorum Luminosorum à duobus Planetis in Terram demissorum, vel in unam rectam incidentium, vel angulum formantium, qui est vel pars, vel partes aliquotæ quatuor rectorum.

COROLLARIUM.

927. Est adeo Conjunctione Adspectuum principium (§. 535), Oppositio terminus maximus (§. 536).

DEFINITIO LXVII.

928. Præter hos Adspectuum veluti terminos, *Conjunctionem & Oppositionem*, veteres numerant Trigonum, Tetragnum & Sextilem. *Trigonus* seu *Trinus* est angulus, quem metitur triens AB. *Tetragonus* seu *Quadratus* est angulus quem metitur quadrans AD. *Sextilis* est angulus, quem metitur sextans AG.

DEFINITIO LXVIII.

929. Signa sunt Conjunctionis δ , Oppositionis ϑ , Trigoni Δ , Quadrati \square , Sextilis $*$.

SCHOLION.

930. *Adspectum doctrina ab Astrologis excogitata in usum Prædictionum omni Ratione & Experientia certa desitutarum atque hinc à Recentioribus ex Matheſi proſligatarum.* Unde KEPLERUS (a) *Adspectum* definit per angulum à Radiis Planetarum apud Terram formatum, efficacem ad stimulandum naturam sublunarem.

Wolfii Oper. Mathematica. Tom. III.

(a) Epit. Astron. Lib. VI. p. 840.

DEFINITIO LXIX.

931. Recentiores addiderunt *Decilem*, qui decimam Circuli partem comprehendit, *Tridecilem*, qui tres decimas, & *Biquintilem*, qui 4 decimas seu duas quintas intercipit. KEPLERUS superaddit ex Observationibus, ut ait, Meteorologicis *Semisextum*, quem duodecima pars Circuli; & *Quincuncem*, quem quinque duodecimæ metiuntur. Denique Medicis Astrologis debetur *Octilis*, qui unam; & *Triocutilus* seu *Sesquadrus*, qui tres octavas comprehendit.

COROLLARIUM.

932. Cedunt adeo Conjunctioni gradus 0, Semisexto 30, Decili 56, Octili 45, Sextili 60, Quintili 72, Quadrato 90, Tridecili 108, Trino 120, Sesquadrado 135, Biquintili 144, Quincunci 150, Oppositioni 180; signa vero Conjunctioni 0, Semisexto 1, Sextili 2, Quadrato 3, Trino 4, Quincunci 5, Oppositioni 6.

DEFINITIO LXX.

933. *Conjunctione magna* est Conjunctione Saturni & Jovis; *Conjunctione vero maxima* est Conjunctione eorumdem Planetarum supremorum in Principio Arietis.

SCHOLION.

934. *Divisio* hac in Astronomia parum habet utilitatis, sed Astrologorum commentis debetur, qui Conjunctionibus raro redeuntibus (*magna enim intervallo 20, maxima intervallo 800 circiter Annorum* redeunt) magnam efficaciam tribuunt.

DEFINITIO LXXI.

935. *Conjunctio corporalis* est, qua Stella inferior superiorem tegit, eaque centralis, si centra Siderum cum centro Terræ fuerint in eadem recta; *PlatERICA* vero dicitur, quæ cum aliqua latitudine conjuncta.

PROBLEMA LXVIII.

936. *Datis Planetarum duorum Longitudine ad meridiem, qui Adspectum præcedit, & motu utriusque diurno, invenire momentum, quo is celebratur.*

RESOLUTIO.

1. E. Longitudine remotioris subtrahantur tot Signa vel gradus, quot cuilibet adspexit cedunt (§. 932): nempe in $\delta^{\circ} 6$, in $\Delta 4$ vel 8 , in $\square 3$ & 9 , in $* 2$ aut 10 signa & ita porro: ut ad eundem fere locum reducatur, in quo vicinior hæret.
2. Locus datus vicinioris & reductus remotioris à se invicem subtrahatur: quo facto,
3. Fiat: Ut differentia motuum diurnorum, (si Planeta uterque vel directus, vel retrogradus) seu ut summa eorundem motuum, (si alter directus, alter retrogradus) ad differentiam modo inventam; ita 24 horæ ad intervallum temporis à meridie dato usque ad momentum Adspexitus præterlapsum. Supponitur enim, motum diurnum in paucarum horarum intervallo esse tempori ad sensum proportionalem.

E. gr. Ex Ephemeridibus apparet A. 1711 d. 10. Nov. in ipso meridie juxta Meridianum Parisinum fuisse locum *Saturni* $\vartheta 14^{\circ} 25'$, motum ejus diurnum $2'$; locum *Martis* $\rightarrow 14^{\circ} 18' 36''$, motum diurnum $44' 24''$.

Cum adeo distantia sit 4 fere signorum, patet eo die fuisse $\Delta \text{h}\delta$: quæritur momentum hujus adspexitus.

Loc. δ	$8S. 14^{\circ} 18' 36''$	Mot. $\delta 44' 24''$
Subr. 4		Mot. $\text{h} 2$

Loc. δ red. $4S. 14. 18. 36.$ Differ. $42. 24$

Loc. h $4S. 14. 25.$

Different. Long. $6. 24$

Est adeo differentia motuum diurnorum ad differentiam longitudinis ut $42' 24''$ ad $6' 24''$, hoc est, fere ut 53 ad 8 . Fiat ergo 53 ad 8 ita 24 h. ad momentum trini 3 h. $37' 21''$.

DEFINITIO LXXII.

937. *Eclipsis Lunæ* est privatio Lunæ in Luna ob interpositionem diametralem Terræ inter Lunam & Solem. *Totalis* est, si Luna tota deficit; *partialis* vero, si tantum aliqua ejus pars deficit. Estque *totalis* vel *cum mora*, si defectus *totalis* aliquandiu durat; vel *sine mora*, si instantanea.

SCHOLION.

938. *Veritas hujus Definitionis patet ex superioribus (§. 459) & mox evidentius adhuc patebit.*

PROBLEMA LXIX.

939. *Ad datum quocunque tempus invenire Longitudinem Coni umbrosi terræ.*

RESOLUTIO.

1. Ad datum tempus inveniatur distantia Solis à Terra (§. 685).
2. Cum Diameter Solis in Semidiametris Terræ detur (§. 921. 922); invenietur Axis Coni umbrosi (§. 143. Optic.).

E. gr. Distantia Solis maxima à Terra est 34996 Semidiametrorum Terrestrium (§. 904), Semidiameter Telluris 1, Solis 152 (§. 921): reperietur Longitudo Coni umbrosi

brofi 231 fere. Similiter quia distantia Solis minima à Terra 33759; in distantia Perigæa Longitudo Coni umbrofi 22; Semidiametrorum Terrestrium.

COROLLARIUM.

940. Cum distantia Lunæ maxima à Terra sit nondum 64 Semidiametrorum Terrestrium (§. 893); Luna in Oppositione cum Sole prope Nodos vel in iisdem constituta in Umbram Terræ incidit, etiamsi Sol in Perigæo & Luna in Apogæo fuerit. Multo magis itaque in eandem immegeritur, si Sol fuerit Apogæo & Luna Perigæo vicinior, quia tum Umbra longior (§. 144. *Optic.*) & Luna basi Coni umbrofi propior.

PROBLEMA LXX.

941. Invenire Semidiametrum apparentem Umbrae Terrestris in loco transitus Lunæ ad datum tempus.

RESOLUTIO.

1. Ad datum tempus inveniantur distantiæ Lunæ ac Solis à Terra (§. 889) & inde porro Parallaxes horizontales (§. 387).

2. Parallaxes horizontales conjiciantur in unam summam.

3. Inde auferatur Semidiameter Solis apparentis; quod relinquitur est Semidiameter apparentis Umbrae.

E. gr. Sit Parall. ☉ horizont. 56° 18''
Parall. ☽ horizont. 6

Aggregat.	56	24
Semid. ☽ appar.	16	5

erit Semid. Umbrae 40° 19''

DEMONSTRATIO.

1b. Sit AB Semidiameter Solis, CF Telluris, ED Umbrae in transitu Lunæ: erit
36. ACB Semidiameter apparentis Solis, DCE umbrae; & CBF Parallaxis horizontalis Solis, CDF Lunæ (§. 371). Est vero GCE=ACB (§. 156. *Geom.*) & GCD

$$\begin{aligned} &= CDF + CBF (\text{§. 239 } \textit{Geom.}). \text{ Ergo Tab.} \\ &GCD - GCE (= ECD) = CDF + CBF \quad x. \\ &- ACB (\text{§. 91 } \textit{Arith.}). \quad Q.e.d. \end{aligned}$$

Fig. 86.

SCHOLION.

942. Cum Parallaxis Lunæ sit juxta PHIL. DE LA HIRE, non major 6'', adeoque fere insensibilis, ejus additionem omittit. Sed propter Umbram Atmosphære Semidiametrum Umbræ apparentem integro scrupulo primo augeri jubet: unde juxta ipsum Semidiameter Umbræ in nostro exemplo, 41° 13''.

DEFINITIO LXXXIII.

943. Termini Eclipsium possibles dicuntur, intra quos fieri potest, ut aliquando Eclipsis contingat: necessarii appellantur, intra quos necessario Eclipsis contingit.

PROBLEMA LXXI.

944. Terminos Eclipsis Lunaris cum possibles, rum necessarios determinare.

RESOLUTIO.

1. Cum nulla possibilis sit Eclipsis, nisi aggregatum ex Semidiametris Umbrae ac Lunæ sit major Latitudine Lunæ (alias enim Luna non incurrit Umbram); addantur Semidiametri apparentes Lunæ Perigæe & Umbrae, Sole Apogæo, ut habeatur latus MO.

2. Datis in \triangle Sphærico MNO angulo ad Nodum, cuius mensura est Latitudo Lunæ maxima in Copulis, recto M & crure MO, inveniatur distantia Lunæ à Nodo NO (§. 118 *Spheric.*): qui est terminus, ultra quem Eclipsis contingere nequit.

3. Eodem modo si Semidiametri apparentes Lunæ Apogæe & Umbrae, Sole Perigæo, addantur ut habeatur LH,

Tab. VIII.

Fig. 87.

Tab. VIII. in \triangle NLH invenietur distantia Lunæ à Nodo HN (§. 118. Sphaeric.): Fig. 87. qui est terminus, intra quem Luna necessario Eclipsin patitur.

E. gr. Juxta KEPLERUM (a) Semidiameter Umbræ in Sole Apogæo & Luna Perigæa $49' 40''$, Semidiameter Lunæ apparet in Perigæo $16' 22''$. Ergo MO $66'$ seu $1^\circ 6'$ atque hinc nulla erit Eclipsis Lunæ si Latitudo ejus vera major fuerit $1^\circ 6'$. Jam cum angulus N ab eodem KEPLERO (b) supponatur $5^\circ 18'$; erit.

Log. Sin. N.	89655337
Sin. MO	82832433
Sin. tot.	100000000

Log. Sin NO 93177096,
cui in Tabulis respondent $11^\circ 59' 50''$,
hoc est, fere 12° . Si adeo distantia Lunæ à Nodo fuerit major quam 12° , nulla contingere potest Eclipsis.

Similiter juxta KEPLERUM Semidiameter umbræ in Sole Perigæo & Lunæ Apogæa est $43' 50''$, Semidiameter Lunæ Apogæa $15'$, adeoque LH $58' 50''$, atque hinc necessario erit Eclipsis, si Latitudo Lunæ vera non excedat $58' 50''$. In hoc vero casu reperitur ut ante Argumentum Latitudinis $10^\circ 40'$.

DEFINITIO LXXIV.

945. Arcus inter centra est arcus

Tab. IX. AI ex centro Umbræ A in Orbitam
IX. Lunæ OB perpendicularis.
Fig. 88.

PROBLEMA LXXII.

946. Data Lunæ Latitudine vera AL ad tempus Oppositionis vera, una cum angulo ad Nodum B; invenire arcum inter centra AI & arcum IL.

RESOLUTIO.

Cum in Triangulo Sphaericō AIL ad I rectangulo detur latus AL, & angulus ALI, nempe ipsius LAI seu B com-

(a) Epit. Lib. VI. p. 862.

(b) In Rudolph. C. XXXI. f. 29.

plementum ad rectum; reperietur arcus inter centra AI (§. 118. Sphaeric.).

E. gr. Sit AL $43' 25''$ ALI $84^\circ 37'$; erit

Log. Sin. tot. 100000000

Sin. LA 81013702

Sin. ALI 99980802

Sin. AI *80994504,
cui in Tabulis respondent $43' 14''$ seu
 $2594''$.

Quoniam angulus LAI ipsis B æqualis, cum uterque cum IAB faciat rectum, & præterea detur Latitudo Lunæ AL; reperietur arcus LI (§. 118. Sphaer.).

E. gr. Sit AL $43' 25''$ 7 angulus B seu LAI $5^\circ 23'$; erit.

Log. Sin. tot. 100000000

Sin. AL 81013702

Sin. LAI 89722894

Sin. LI *70736596,
cui in Tabulis respondent $4' 5''$ seu $245''$.

SCHOOLION.

947. Quoniam latera LA, AI & LI exigua sunt, erunt eadem ut eorum Sinus, adeoque inveniri quoque potest AI inferendo: Ut Sinus totus ad Sinum anguli LAI, ita AL ad LI; & ut Sinus totus ad Sinum anguli ALI, ita AL ad AI.

COROLLARIUM.

948. Si summa ex arcu inter centra AI & Semidiametro Lunæ apparet in æqualis Semidiametro Umbræ; Eclipsis est totalis sine mora: si minor, totalis cum mora: si denique major, attamen minor summa ex Semidiametris Lunæ & Umbræ, partialis (§. 937).

DEFINITIO LXXV.

949. Scrupula defectus sunt pars Semidiametri Lunaris MK, quæ Umbram ingreditur, in istiusmodi Scrupulis, quibus exprimitur Diameter Lunæ apparet HK.

DEFI

DEFINITIO LXXVI.

b. 950. *Digiti Ecliptici* sunt partes duoc.
decimæ Diametri Lunaris, quæ obscu-
88. rantur. Dividuntur singulæ in minuta 60.

PROBLEMA LXXXIII.

951. *Datis Diametro Lunæ apparen-
te KH, Semidiametro Umbrae AM & arcu
inter centra AI; invenire scrupula defectus KM & quantitatem Eclipsis deter-
minare.*

RESOLUTIO.

1. Semidiameter Lunæ IK addatur semi-
diametro Umbrae AM, erit $AM + IK = AI + IM + IK = AI + MK$.
2. Ex hac igitur summa subtrahatur arcus inter centra AI, relinquentur scrupula defectus MK.
3. Hinc fiat: Ut diameter Lunæ KH ad scrupula defectus MK, ita 12 ad digitos Eclipticos.

E. gr. Sit KH $30' 44''$, adeoque IK $15' 22''$, AM $41' 13''$, AI $43' 14''$: erit

Semidiameter Lunæ $15' 22''$

Umbrae $41' 13''$

Summa $56' 35''$

Arcus inter centra $43' 14''$

Scrupula defectus $13' 21''$ s. $801''$

Fiat ergo: $1844 : 801 = 12$

h. e. $461 \quad 3 \quad 3$

$461) \quad 2403 \quad (\frac{2}{4} \frac{98}{61} \text{ dig.}$

$\underline{2305} \quad \text{fiv. s. dig. } 13^{\frac{1}{2}}$

98

Calculus facilior, si Logarithmis utaris.

DEFINITIO LXXVII.

952. *Scrupula durationis dimidiae* sunt arcus Orbitæ Lunaris, quem Centrum Lunæ describit ab initio Eclipsis usque ad medium, vel à medio usque ad finem NI vel IO.

DEFINITIO LXXVIII.

953. *Scrupula dimidiae moræ* sunt ar-
cus Orbitæ Lunaris, SI vel IT: quem Tab.
1X. Centrum Lunæ describit intra dimidiæ Fig. 89.
moram obscurationis totalis.

DEFINITIO LXXIX.

954. *Scrupula incidentia seu casus* sunt arcus Orbitæ Lunaris SN, quem Centrum Lunæ describit ab initio Eclipsis usque ad momentum, quo tota in Umbram incidit.

DEFINITIO LXXX.

955. *Scrupula emersionis* sunt arcus Orbitæ TR, quem Centrum Lunæ percurrit ab eo momento, quo Luna ex Umbra Telluris emergit usque ad finem Eclipsis.

PROBLEMA LXXIV.

956. *Datis arcu inter centra AI & Tab.
Semidiametris Umbrae AP atque Luna
PN; invenire scrupula dimidiae duratio-
nis IN.* Fig. 88.

RESOLUTIO.

1. Semidiametri Umbrae AP & Lunæ PN conjiciantur in unam summam, ut prodeat AN.
2. A quadrato AN subtrahatur quadratum AI, residuum est quadratum IN (*§. 417. Geom.*).
3. Ex hoc adeo residuo extrahatur Ra-
dix, quæ erit arcus IN quæsitus.

Aliter.

Quodsi Logarithmis uti volueris.

1. Addantur AN & IA, ut habeatur summa AN + IA, iidemque arcus à se invicem subtrahantur, ut habeatur residuum AN — IA.

Tab. 2. Logarithmi AN + IA atque AN - IA
IX. conjiciantur in unam summam.

Fig. 88. 3. Summa hæc dividatur bisariam: ita prodibit Logarithmus scrupulorum durationis dimidiæ IN.

E. gr. Sit AP $41' 13''$ seu $2473''$, PN $15' 22''$ seu $922''$ adeoque $AP + PN = AN = 3395''$. Sit porro arcus inter centra AI $2594''$: erit

AN	3395	AN	3395
AI	2594	AI	2594
$AN + AI$	5989	$AN - AI$	801
Log. AN + AI	37773543		
AN - AI	29036325		
Summa	66809868		
Log. IN	33404934,		
cui in Tabulis respondent	2190''.		

DEMONSTRATIO.

Rectangulum ex AN + AI in AN

— AI est æquale differentiæ quadratorum ex AN & ex AI (*§. 86 Anal. finit.*), hoc est, quadrato IN (*§. 417. Geom.*). Ergo summa Logarithmorum AN + AI & AN — AI est Logarithmus quadrati IN (*§. 337. Arithm.*). consequenter ejus dimidium est Logarithmus ipsius IN (*§. 341. Arithm.*). Q. e. d.

PROBLEMA LXXV.

Tab. 957. Iisdem datis, invenire in Eclipsi IX. totali cum mora scrupula dimidiæ moræ IS.

Fig. 89.

RESOLUTIO.

1. Semidiameter Lunæ SV subducatur ex Semidiametro Umbræ AV, ut relinquatur AS.

2. Datis adeo in Triangulo, AIS ad I rectangulo, arcu AS modo invento & arcu inter centra AI, inventur IS ut in Problemate præcedente (*§. 956*).

COROLLARIUM.

958 Quodsi ex scrupulis durationis dimidiæ IN subtrahantur scrupula moræ dimidiæ IS, relinquuntur scrupula incidentia SN, quibus scrupula emersionis TR æqualia.

PROBLEMA LXXVI.

959. Ad datum quocunque tempus invenire etatem Lunæ medium & Novilunium atque Plenilunium medium pro dato mense.

RESOLUTIO.

1. Ad datum tempus suppuntentur locus Solis & locus Lunæ medius (*§. 672. 827*).

2. Locus Solis à loco Lunæ auferatur (aucto, si opus fuerit, integro circulo); residuum est elongatio Lunæ media à Sole.

3. Elongatio Lunæ à Sole media inventa dividatur per elongationem diurnam medium à Sole (quæ est differentia inter motum medium diurnum Solis & motum medium diurnum Lunæ); quotus est media Lunæ ætas, hoc est, tempus à Novilunio proximo præterlapsum.

4. Quodsi hoc tempus ex tempore dato subducas, relinquitur tempus Novilunii medii proxime præterlapsi medium.

5. Et si ulterius addas semissem mensis Synodici, summa erit tempus Plenilunii medii medium; integrum si addas, tempus medium Novilunii proxime futuri.

E. gr. Quaritur ætas Lunæ media d. 15 Sept. A. 1708. & tempus medium cum Novilunii, tum Plenilunii medii ejusdem mensis. Erit per Tabulas Cel. de LA HIRE Loc.

Loc. ☽ med.	5 S. 24° 29' 7"
Æquat. tempor. subtr.	23
	9' 14"
Loc. ☽ med. temp. med.	5 S. 24. 28. 44
Loc. ☽ med.	6 S. 1. 49. 30
Elong. ☽ à ☽	o S. 7. 20. 46 seu 26446"
Mot. ☽ diurn.	13. 10. 35
Mot. ☽ diurn.	59. 8
Mot. ☽ à ☽	12. 11. 27 seu 43887".
Inferatur: Ut 43887" ad 86400 scrupula horaria (hoc est, 24 horas) ita 26446 ad ætatem Lunæ medianam 52064" seu 14 h. 27' 44".	
Ergo A. 1708. d. 14. Sept. 23. h. 50° 46"	
Ætas Lunæ med.	14. h. 27 44
Novil. med. d. 14. Sept. 9 h. 23 2	
Semist. m. Synod. 14 d. 18 h. 22 2	
Plenilun. med. d. 29 Sept. 3 h. 45 2	
post meridiem in Meridiano Parisino, tempore medio.	

COROLLARIUM I.

960. Quodsi eodem modo quæsiveris ætatem Lunæ medianam tempore medio diei primæ Januarii A. 1700. styli novi, aut alterius cujuscunque; prodibit Epocha Novilaniorum mediorum, quales exhibent Tabularum conditores.

COROLLARIUM II.

961. Quodsi ab Epocha Novilunii subtrahas semissim mensis Synodici, relinquatur Epocha Plenilunii ad idem tempus, seu tempus medium à Plenilunio medio proxime præcedente elapsum.

E. gr A. 1700 stylo novo fuit	
Epoch. Novilun.	21 d. 13 h. 5° 34"
Semiss. mens.	14 d. 18 22 1
Epoch. Plenilun.	6 d. 18 h. 43 33

SCHOLION.

962. Ut Novilunia & Plenilunia media faciliter inveniantur, conditores Tabularum construere solent Tabulas Epactarum eo, qui sequitur, modo.

DEFINITIO LXXXI.

963. Epactæ sunt excessus mensis Solaris supra mensem Synodicum & anni Solaris super 12 menses Synodicos, vel etiam plurium mensium Solarium super totidem Synodicos & plurium Annorum super totidem menses Synodicos duodecies sumtos.

SCHOLION.

964. In praesenti negotio assumimus menses Julianos, qualibus in Calendariis nostris utimur, & annos itidem Julianos 365 dierum: quia ad tales annos & menses constructæ sunt Tabulae Astronomicae.

PROBLEMA LXXVII.

965. Invenire Epactam cuiuslibet mensis per annum integrum & unius, duorum, trium &c. pluriumve annorum, data quantitate mensis Synodici.

RESOLUTIO.

1. Quantitas mensis Synodici sibi ipsi addatur, & aggregato eadem denuo adjiciatur, atque ita potro, ut constet quantitas duorum, trium, pluriumve mensium Synodicorum.
2. A quantitate mensis Januarii seu 31 diebus subtrahatur mensis Synodicus unus, relinquetur Epacta Januarii (§. 963). Et generaliter à diebus ab initio anni elapsis subtrahantur integri menses Synodici interea elapsi vi num. i. quod relinquitur est Epacta ejus mensis.

3. Cum

3. Cum Epacta duodecim mensium sit Epacta unius anni, si eidem addas numerum dierum unius, duorum, trium &c. Annorum & inde auferas, ut ante, integros menses Synodicos, qui in aggregato continentur; residua fient Epactæ duorum, trium, plurimumve annorum.

E. gr. Januarius	d. 30 h. 23. 59' 60"
Mens. Synod.	d. 29 h. 12. 44 3
Epacta Januarii	d. 1 h. 11. 15 57
Annus Julian.	d. 364 h. 23. 59 60
12. Mens. Synod.	d. 354 h. 8. 48 38
Epacta Anni 1.	d. 10 h. 15. 11 22

COROLLARIUM I.

966. Quodsi Radici Noviluniorum adantur Epactæ annorum & mensium datorum, una cum diebus ac horis atque scrupulis horariis datis & à summa subducantur menses Synodici integri; relinquunt ætas media Lunæ ad tempus datum. E. gr. quæatur ætas media Lunæ A. 1708. d. 14. Sept. h. 23. 50' 46' tempore medio: erit.

Radix 1700	21	d.	13	h.	5'	34'
A 7.	16		8		51	31
Aug. complet.	6		18		7	35
Tempus datum	14		23		50	46
Summa	59		15		55	26
2 Mens. Synod.	59		1		28	6
ætas Lunæ media			14	h	27	20

COROLLARIUM II.

967. Cum ex ætate Lunæ media tempus Novilunii medii dato mense erui possit (§. 959); ratio per Epactas inveniendi Novilunia & Plenilunia media manifesta est.

PROBLEMA LXXVIII.

968. Invenire motum Lune & Solis horariorum verum ad tempus datum.

RESOLUTIO.

1. Ad datum tempus medium & diem proxime præcedentem suppunctur loca Solis atque Lunæ (§. 720. 863.).
2. Loca Solis, itemque Lunæ; à se invicem subtrahantur.
- 3 Residua per 24 dividantur: quoti erunt motus horarius Solis atque Lunæ.

Aliter.

1. Ad datum tempus quæratur Æquatio Solis, una cum Æquatione, quæ Anomaliae uno grādu majori respondeat.
2. Fiat: ut 60 ad motum horariorum medium 2' 28'' seu incrementum horariorum anomalie Solis, hoc est, ut 900 ad 37, ita differentia Æquationum modo repertarum ad differentiam motus horarii & medii Solis.
3. Quodsi ergo hæc differentia à motu horario medio Solis subtrahatur, quamdiu Anomalia 93° minor est, eidem vero addatur, si hæc major 93° fuerit; prodibit motus horarius Solis verus.

E. gr. Si anomalia Solis fuerit 30° Æquatio 56' 31''; si 31°, Æquatio 58' 14'', adeoque differentia 1' 43'' seu 103''. Fiat ut 900 ad 37 ita 103'' ad 4'', quæ ex 2' 28'' subducta relinquunt motum Solis horarium verum 2' 24''.

Similiter quia Anomalia vera à media differt una hora ante vel post copulam medium, per motum horariorum medium & Æquationem centri, hoc est, per 41' 49'', si loco rationis 60' ad 2' 28'', assumatur ratio 60' ad 41' 49'', reperietur ut ante differentia inter motum Lunæ horariorum medium & verum, subtra-

subtrahenda è motu medio horario Lunæ $32' 56''$, si Anomalia minor 95° , addenda, si major.

Quodsi differentia Aequationum compositarum utaris, eodem modo reperiatur horarius Lunæ verus extra Copulas.

S C H O L I O N.

969. Per hanc Regulam à REGIOMON-TANO (a) traditam construi solent ad singulos Anomalie veræ gradus Tabulæ motuum horariorum verorum Solis & Lunæ.

P R O B L E M A LXXXIX.

970. Dato tempore Novilunii vel Plenilunii medii; invenire tempus veri.

R E S O L U T I O.

1. Ad tempus Novilunii medii suppunctetur locus Solis verus & locus Lunæ verus in Copulis, una cum utriusque Anomalia vera (§. 720. 863).
2. Quærantur porro motus horarii veri Solis atque Lunæ ad idem tempus (§. 968).
3. Locus Lunæ à loco Solis vel contra (minor nempe à majore) auferatur, ut relinquatur distantia Lunæ à Copula.
4. Motus horarius verus Solis ab horario Lunæ vero subducatur, ut relinquatur horarius verus Lunæ à Sole.
5. Fiat: ut horarius Lunæ à Sole verus ad horam unam seu $3600''$, ita distantia Lunæ à Copula ad differentiam temporis Copulæ mediæ à tempore Copulæ veræ.
6. Differentia hæc addatur temporis Copulæ mediæ, si locus Lunæ minor loco Solis; dematur, si major fuerit: ita prodibit tempus Syzygiæ veræ, raro tamen exactum.

Wolffii Oper. Mathem. Tom. III.

(a) In Epit. Almag. Liv. VI. Prop. 4. i.

7. Quærantur adeo denuo ad hoc tem- pus locus Solis verus & locutus Lunæ verus (§. 720. 863) cum motibus horariis veris utriusque Luminaris (§. 968) & si loca Lunæ ac Solis differant, differentia temporis antea reperi à tempore exacto Syzygiæ ve- ræ reperiatur ut ante.
8. Hæc operatio tamdiu répetenda, do- nec differentia temporis inventa non excederit $5''$: tum enim locus Solis repertus erit locus utriusque Lunaris in Copula.
9. Dato loco Solis ad tempus Syzygiæ veræ, inveniatur Aequatio temporis (§. 715), quæ ei addita vel demta producet tempus verum Syzygiæ veræ.

E. gr. A. 1708 Plenilunium medium con- tigit d: 29. Sept. 3 h. $45' 4''$ post meridiem: quæritur tempus veri.

Per Tabulas Cel. de la Hire	tum erat
Loc. ☽ verus	6S. $60' 3' 38''$
Loc. ☽ ad Eclipt. reduct.	0. 3. 50. 9
Dist. ☽ ab Opp. ☽	- 2. 40. 29 five 9629''

Hor. Lunæ	$32' 17''$
Hor. Solis	$2. 28$
Differ.	$29. 49$
Reduct. subt.	8
Hor. Luna à Sole	29. 41 five 1781''.
Fiat, ut 1781 ad 3600, ita 9629'' ad 19463''	
feu	5 h. $24' 23''$
Plen. med.	3 45. 4
Plen. ver.	9 h. $9' 27''$

Erat tum per easdem Tabulas	
Loc. Solis verus	6S. $60' 43' 57''$
Loc. Lunæ in Eclipt.	0. 6. 43. 52
Dist. Lunæ ab Opp. Solis	5
Horar. ☽ à ☽	$29. 30''$ feu 1770''
Fiat, ut 1770 ad 3600, ita 5'' ad 10''	
Ergo Plen. veri Tempus	9 h. $9' 37''$

Y y y

Ad

Ad hoc tempus reperitur

Loc. ☽ verus 6S. 6°. 43' 57"

Loc. ☽ in Eclipt. 6 43 55

Dist. ☽ ab Opp. ☽ 2,
unde ut ante elicitur tempus à Copula
deficiens 4''. Est itaque
Temp. Plenilunii veri 9 h. 9'' 39''
Æquat. temp. add. 14 10

Tempus appar. Plen. veri 9h. 23 49''

Celebrata igitur est Copula vera ☽ &
ꝝ A. 1708. d. 29 Sept. 9 h. 23. 49'' post
meridiem in Meridiano Parisino , tempo-
re apparente.

PROBLEMA LXXX.

Tab. 971. Datis scrupulis dimidiæ dura-
tionis IN , una cum tempore apparente
Fig. 88. Plenilunii veri & horario Lunæ à Sole ,
arcuque LI ; invenire medium , initium
ac finem Eclipsis Lunaris & durationem
ejus definire.

RESOLUTIO.

1. Fiat: Ut Horarius Lunæ à Sole verus ad 3600 scrupula secunda horaria , ita scrupula arcus LI ad scrupula horaria eidem æquivalentia.
2. Hæc scrupula in primo & tertio quadran-
te Anomaliæ à tempore Pleni-
lunii veri subtrahantur , in secundo
& quarto addantur , ut prodeat tem-
pus Eclipsis mediæ.
3. Fiat: Ut motus horarius Lunæ à Sole
verus ad scrupula horaria secunda
3600 , ita scrupula dimidiæ duratio-
nis IN ad tempus durationis dimi-
diæ: cuius adeo duplum integrum
durationem definit.
4. Tempus dimidiæ durationis à tem-
pore Eclipsis mediæ subtrahatur ,

residuum erit Eclipsis initium : idem
eidem addatur , aggregatum erit
finis ejus.

E. gr. LI = 4' 5'' = 245'', IN = 2190'',
tempus Plenilunii veri h. 9. 23' 49'', ho-
rarius Lunæ à Sole verus 30' 12'' seu 1812'':
erit

Log. Hor. ☽ à ☽	32581581
Log. 3600	35563025
Log. LI	23891660
	59454685

Log. temp. quæs. 26873104 , cui
in Tabulis quam proxime respondent 486''
seu 8' 6''

Temp. Plenil. veri h. 9 23' 49''

Tempus Eclips. mediæ h. 9 15 43	
Log. Hor. Lunæ à Sole	32581581
Log. 3600	35563025
Log. IN	33404934
	68967959

Log. dur. dimid. 36386378 ,
cui in Tabulis respondent 4351''
seu 1 h. 12' 31''

Duratio Eclipsis	2 h. 25 2
Tempus Eclips. med.	h. 9 15' 43''
Duratio dimid. subtr.	h. 1 12 31
Initium Eclips.	h. 8 3 12
Tempus Eclips. med.	h. 9 15 43
Durat. dimid. add.	h. 1 12 31
Finis Eclipsis	h. 10 28 14

PROBLEMA LXXXI.

972. Datis Semidiometris Lunæ at-
que Solis apparentibus in Apogeo ; in-
venire easdem in quocunque alio Anoma-
liæ gradu.

1. Inveniatur ratio distantiae in dato
Anomaliæ gradu ad distantiam Apo-
gæam (§. 685).
2. Cum

2. Cum Semidiametri apparentes sint ut distantia reciprocæ (§ 212 *Optic.*); reperientur eadem ope Regulæ trium (§. 302 *Arith.*).

S C H O L I O N.

973. *Hoc modo conduntur Tabulæ Semidiametrorum apparentium Solis & Lunæ ad quinos Anomalia gradus.*

P R O B L E M A LXXXII.

974. *Eclipsin Lune supputare.*

R E S O L U T I O.

1. Ad tempus Plenilunii medii (§. 959) datum supputetur distantia à Nodo, ut constet, utrum illud sit Eclipticum, nec ne (§. 944).

2. Supputetur ulterius tempus Plenilunii veri cum loco Solis vero & Lunæ ad Eclipticam reducto (§. 970).

3. Ad momentum Plenilunii veri supputetur Latitudo Lunæ vera (§. 880) & utriusque Luminaris à Terra distantia (§ 889) cum Parallaxibus horizontalibus (§. 387) & Semidiametris apparentibus (§. 972).

4. Ad idem momentum inveniatur horarius Lunæ verus & horarius Solis verus (§. 968).

5. Hinc porro investigetur Semidiame ter Umbræ apparetis AP (§. 941) &

6. Arcus inter centra AI cum arcu LI (§. 946).

7. Supputetur scrupula dimidiæ dura tionis IN (§. 956) & inde

8. Duratio, initium, medium ac finis Eclipsis definiatur (§ 971).

9. Quærantur tandem scrupula defectus & inde quantitas Eclipsis determinetur (§. 951).

E. gr. A. 1708 Plenilunium medium contigit d. 29. Sept. 3 h. 45' 4" post meridiem. Erat tum distantia ☽ à ☽ o S. 5° 22' 36" juxta Tabulas *Cel. de la Hire*. Est ergo Plenilunium Eclipticum (§. 944). Ad illud vero tempus reperimus

Plenilunium verum	h. 9	23'	49"
Locum ☽ verum	6 S. 6°	43'	47"
Loc. ☽ in ecliptica	6 S. 6	43	47
Latit. ☽ veram Bor.	43	25	

Parallaxin horizont.	{	○	6
	{	☽	56 18
Semid. apparent.	{	○	16 5
	{	☽	15 22
Horar. verum ☽ à ○			30 12
Semid. Umbræ			41 13
Arcum inter centra			43 14
LI			4 5
Scrupula dimidiæ durationis			36 30
Scrupula defectus			13 21
Durationem Eclipsis		h. 2.25	2
Initium		8. 3	12
Medium		9. 5	43
Finem		10. 28	14
Quantitatem		s dig. 13'	

S C H O L I O N.

975. *Ad calculum Eclipsium absolvendum utendum est Tabulis, quarum constructio ex antecedentibus manifesta: ubi autem Tabulæ deficiunt, supputatio fit per Problemata à nobis exposita. Molestissima in toto calculo est Plenilunii veri inventio, unde tamen reliqua omnia pendent. Illo dato reliqua nihil tadiæ habent.*

P R O B L E M A LXXXIII.

976. *Datis Semidiametris Lunæ & Tab. Umbræ terræ, una cum Latitudine ad IX. initium & finem Eclipsis; Typum Eclip. Fig. 90. sis Lunaris in plano describere.*

R E S O L U T I O.

I. Designet CD Eclipticam, sitque in A Centrum Umbræ: per quod agatur recta GQ ad DC perpendicularis.

Y y 2

Sup.

Tab.
IX.
Fig. 90. Supponatur in D Oriens, in C Oc-
cidens, in Q Meridies, in G Sep-
tentrio.

2. Ex A intervallo aggregati AN ex Semidiámetro Umbræ AP & Semidiámetro Lunæ PN describatur Circulus DGCQ & intervallo Semidiámetri Umbræ solius AP aliis concentricus EMFR, qui sectionem Umbræ in transitu Lunæ exhibebit.
3. Fiat AL æqualis Latitudini Lunæ ad initium Eclipsis & in L erigatur perpendicularis LN occurrens Peripheriæ majori in N versus Occidentem: erit ergo in N Centrum Lunæ initio Eclipsis.
4. Similiter fiat AS æqualis Latitudini Lunæ ad finem Eclipsis & in S erigatur perpendicularis OS, quæ cum ipsi DC parallela (§. 256 Geom.) distantiam ab ea non mutet (§. 81 Geom.), erit in O Centrum Lunæ in fine Eclipsis.
5. Connectantur puncta O & N recta: erit ON arcus Orbitæ, quem Centrum Lunæ durante obscuratione percutrit.
6. Ex O & N intervallo Semidiámetri Lunaris describantur Circuli PV & TX, quæ Lunam in initio ac fine Eclipsis exhibebunt.
7. Denique ex A demittatur ad ON perpendicularis AI; erit in I Centrum Lunæ in media obscuratione. Quare si
8. Ex I intervallo Semidiámetri Lunaris Circulus HK describatur, repræsentabit is Lunam in obscuratione maxima & quantitatem Eclipsis definiat,

PROBLEMA LXXXIV.

977. *Eclipsin Lunæ observare.*

RESOLUTIO.

1. Horologium oscillatorium ad motum Solis componatur (§. 125) aut ejus motus ex observatis Stellarum altitudinibus aut altitudine Solis diurna rectificetur (§. 299).
2. Tubus Micrometro exquisito instrutus convertatur in Lunam & notetur ope Horologii oscillatorii tempus, quo Peripheria Lunaris rotunditatem amittere incipit, Umbra instar unguiae limbum Lunæ orientalem delibante: ut constet initium obscurationis.
3. Notentur similiter tempora, quibus sectio Umbræ transit per maculas Lunares ex *Selenographia* cognitas (§. 918).
4. Eodem modo notetur tempus, quo Umbra Lunam deserit, ut constet finis Eclipsis: à quo si subtrahatur initium, relinquetur duratio integra, ejusque dimidium exhibebit Tempus mediæ obscurationis.
5. Ope Micrometri definiatur quantitas Diametri obscurata (§. 547).

SCHOLION.

978. Placet hic exhibere ex literis admodum R. P. HEINRICH in Academia Leopoldina Theologiæ moralis & Mathematum Professoris die 15 Febr. A. 1712 ad me datis peculiare Micrometri genus, quod ad observandos digitos Lunæ obscurata felicissime inventis & ad usum transtulit. Ita autem ille:
 „Pro discernenda obscurationis magnitudine adhibui, inquit, Micrometrum extemporaneum & facillime parabile.
 „Descripsi in tenui folio vitri Moscoviti-

„ ci acus cuspipe tredecim parallelas ad
 „ æqualia duodecim intervalla in Charta
 „ supposita accurate prius designata, quæ
 „ omnia simul sumta Diametrum Lunæ
 „ non adæquabant, quemadmodum in
 „ Telescopio exploravi per aliud simile fo-
 „ lium eidem, ut mos est, insertum. Pro
 „ justa autem Diametri Lunaris mensura
 „ obtinenda per folium parallelis distinc-
 „ tum & Telescopio rescißis superfluis in-
 „ sertum extendi capillum transversum,
 „ utrinque limbo fistula Telecopii affixum
 „ ejusque longitudinem à parallelis inter-
 „ ceptam saepius cum Luna contuli & ana-
 „ cum obliquitate eo usque mutavi, donec
 „ Diametrum Lunarem perfecte adæqua-
 „ ret. Quo casu simul exhibuit desideratam
 „ in 12 digitos divisionem, juxta quam
 „ Lunæ applicatam de partis inumbratæ
 „ quantitate judicium tuli, quantum in
 „ ejusmodi Eclipsibus aliquo usque dubia,
 „ ut semper esse solent, Lucis & Umbræ
 „ confinia partiuntur. Dicta obliquitatis
 „ & longitudinis interceptæ mutatio red-
 „ di facilior potest, & primo statim aspec-
 „ tu continuato justa quæn citissime ob-
 „ tineri, si duplicata fistula adhibeatur,
 „ unique foliolum Parallelogrammi, alte-
 „ ri capillus affigatur: sic enim seorsim
 „ poterunt moveri, donec Lunæ con-
 „ gruant. Insuper ut constet, quænam
 „ obliquitas ac longitudine in aliqua ob-
 „ servatione adhibita fuerit eademque
 „ alio tempore repeti, vel cum alia com-
 „ parari vel etiam pro exploranda Si-
 „ derum distantia adhiberi queat, poterit
 „ exterius in superficie fistularum earun-
 „ dem situs notari per certa signa, etiam
 „ facta, si placuerit, regulari totius Cir-
 „ culi divisione. Quæ omnia & plura alia
 „ commoda per experientia n deinceps de-
 „ prehendenda, nec fistularum in Teleco-
 „ pio perforatione, nec Laminarum artifi-
 „ ciosa connexione, nec difficillime per
 „ adamantem practibili Circulorum adeo
 „ parvolorum descriptione indigent, ut
 „ facile patet consideranti.

PROBLEMA LXXXV.

979. *Initio vel fine Eclipseos Lunæ
 ris aut iisdem Phasibus quibuscumque in
 diversis locis Terræ observatis, invenire
 differentiam horariorum Meridianorum.*

RESOLUTIO.

Cum in singulis Observationum locis
 horæ earumque scrupula numerentur ab
 appulso Centri Solis ad Meridianum,
 Sol vero ad Meridianum Occidentalio-
 rem tardius appellat, prætereaque exdem
 Phases Eclipſium Lunarium eodem ar-
 ticulo temporis Phylico ubique terrarum
 contingent (§. 937); non alia re opus
 est quam ut tempora, quibus exdem
 ejusdem Eclipſis Phases diversis in locis
 observatae, à se invicem subtrahantur,
 residuum enim est differentia Meridia-
 norum quæsita, indicatque horariorum
 numerus major locum Orientaliorem.

E. gr. A. 1701. d. 22. Febr. initium E-
 clipſis observatum est

Berolini	h. 10.	59'.	36"
Parisiis	10.	15.	23

Est ergo Diff. Meridianorum 44. 13
 hoc est Berolini 44' 13" citius Sol Meri-
 diañum attingit quam Parisiis.

SCHOLION.

980. *Hoc artificio constructæ sunt Tabulæ
 differentiarum horariorum Meridianorum:
 nostro tamen tempore utuntur etiam Eclipſi-
 bus Satellitum Jovis, ob earum præsertim
 frequentiam.*

COROLLARIUM.

981. Quodsi Eclipſis initium, medium
 ac finis ad Meridianum Tabularum fuerint
 computata; differentia Meridianorum ad-
 dita, vel subducta, eadem momenta defi-
 nientur in aliis Meridianis Orientalioribus
 & Occidentalioribus. E. gr. in nostro casu
 in Meridiano Observatorii Regii Parisini ini-
 tium Eclipſis fuit h. 8. 3' 12" medium

Y y y 3 h. 9.

h. 9. 15' 43", finis h. 10. 28' 14" (§. 972); fuit ergo Berolini initium h. 8. 47' 25", medium h. 9. 59' 56", finis h. 11. 12' 38".

DEFINITIO LXXXI.

982. *Eclipsis Solis* est occultatio Solis facta per interpositionem Diametralem Lunæ inter Solem ac Terram. Distinguitur æque ac Lunaris (§. 937.) in totalem & partialem.

SCHOLION.

983. *Veritas Definitionis patet ex superioribus* (§. 452.), & mox adhuc evidentius patet.

COROLLARIUM I.

984. Quia Luna Parallaxin altitudinis (§. 887.), adeoque & Latitudinis (§. 372. 377.) sensibilem habet; *Eclipsis Solaris* accidit, quando Latitudo Lunæ ex Terris visa minor est aggregato Semidiometrum apparentium Solis ac Lunæ.

COROLLARIUM II.

985. *Eclipsis* adeo contingit, Luna Soli vel in Nodis, vel prope Nodos juncta (§. 765.).

COROLLARIUM III.

986. Unde *Eclipsis Solis*, quæ Christo paciente accidit in ipso Plenilunio, præternaturalis fuit, quippe in Oppositione facta.

DEFINITIO LXXXII.

987. *Latitudo Lunæ visa* est, qualis ex Terra ob Parallaxin spectatur; seu distantia loci visi ab Ecliptica.

COROLLARIUM.

988. Invenitur adeo, si ex Latitudine Boreali Parallaxis Latitudinis subtrahatur; Australi vero addatur (§. 372.).

DEFINITIO XXXIII.

989. *Longitudo Lunæ visa* est, qualis ex Terra ob Parallaxin spectatur, seu arcus Eclipticæ inter locum Opticum visum & oꝝ interceptus.

COROLLARIUM.

990. Invenitur adeo, si Longitudini veræ Parallaxis Longitudinis in parte Cœli orientali addatur, in occidentali dematur (§. 732.).

DEFINITIO LXXXIV.

991. *Parallaxis Lunæ à Sole* est excessus Parallaxeos Lunæ supra Parallaxin Solis.

COROLLARIUM.

992. Cum Parallaxis Solis diurna juxta Cl. DE LA HIRE sit fere insensibilis (§. 869.); Parallaxis Lunæ à Sole vix differt à Parallaxi Lunæ.

SCHOLION.

993. Juxta aliorum tamen Hypotheses, Parallaxis Solis sensibilis, qui eam, e. gr. cum KEPLERO integro scrupulo primo aqualem constituunt.

DEFINITIO LXXXV.

994. *Horarius Lunæ à Sole* visus est arcus Eclipticæ, quo locus Lunæ visus intervallo unius horæ à loco Solis removetur.

PROBLEMA LXXXVI.

995. *Terminos Eclipseos Solaris* determinare.

RESOLUTIO.

Si Lunæ Parallaxis esset insensibilis, termini Eclipseos Solaris eodem modo determinarentur, quo supra Lunares constituuntur (§. 944.) sed quia Parallaxis sensibilis est, paulo aliter procedendum. Nimirum.

1. Colligantur in unam summam Semidiometri apparentes Luminarium tum Apogææ, qnam Perigææ.
2. Quia Parallaxis minuit Latitudinem Borealem (§. 372.); aggregato priori

- priori addatur Parallaxis Latitudinis maxima, quæ esse potest; quia vero eadem Latitudinem Australem auget (§. cit.) eidem aggregato posteriori dematur Parallaxis Latitudinis maxima, ita in utroque casu prodibit Latitudo vera, ultra quam Eclipses contingere nequeunt.
3. Data hac Latitudine invenietur distantia Lunæ à Nodo ultra quam Eclipses accidere nequeunt, ut supra (§. 944.).

S C H O L I O N.

996. Quoniam diversi autores diversas de Diametris apparentibus Luminarium & Parallaxi Latitudinis maxima Hypotheses sequuntur, ideo non eosdem definiunt terminos Eclipsum Solarium.

Sane Terminus possibilis... necessarius

PTOLEMÆO	19°. 25'	à 86	16°. 42'
COPERNICO	19. 12.		16. 25
TYCHONI	18. 25		17. 9
KEPLERO	17. 16		15. 55
RICCIOLLO	18. 49		15. 58

P R O B L E M A LXXXVII.

997. Data Longitudine & Latitudine Lunæ vera, una cum loco Solis vero; invenire Longitudinem & Latitudinem visam ad tempus datum in loco dato.

R E S O L U T I O.

- Ex data Longitudine & Latitudine Lunæ, queratur ejus Declinatio & Ascensio recta (§. 260.).
- Inde porro eruatur ipsius altitudo sub elevatione loci dati (§. 300.).
- Quæratur ad tempus idem distantia ejus à Terra (§. 903.) & Parallaxis horizontalis (§. 387.),

- Hinc invenietur Parallaxis altitudinis modo repertæ (§. 381.).
- Ex dato loco Solis vero supputetur, sub elevatione Poli data, ad tempus datum, Punctum Eclipticæ oriens & Nonagesimus Eclipticæ atque angulus Orientis seu altitudo Nonagesimi (§. 218.).
- His cognitis, reperietur Parallaxis Longitudinis & Latitudinis (§. 391), tandemque
- Longitudo ac Latitudo Lunæ visa (§. 372.).

A l i t e r.

Quoniam inventio Parallaxeos altitudinis perquam molestum calculum reddit, ideo KEPLERUS calculum non parum abbreviare docuit, regula tradita, qua sine Parallaxeos altitudinis inventione, Parallaxes Longitudinis & Latitudinis eruuntur ex datis Parallaxi Lunæ horizontali à Sole, distantia Solis à Nonagesimo & angulo Orientis. Quæratur ergo

- Ut ante, angulus Orientis, Parallaxis horizontalis & Nonagesimus: à quo si subducatur locus Solis datus, prodibit distantia ejus à Nonagesimo.
- Addantur in unam summam Logarithmi Sinuum anguli Orientis & distantiae Solis à Nonagesimo atque Logarithmus Parallaxeos horizontalis Lunæ à Sole.
- A summa subtrahatur duplum Sinus totius: quod relinquitur, est Logarithmus Parallaxeos Longitudinis.
- Similiter si Logarithmus sinus anguli Orientis seu altitudinis Nonagesimi

& Logarithmus Parallaxeos horizontalis Lunæ à Sole colligantur in unam summam & ab ea subducatur Logarithmus Sinus totius: qui relinquitur, est Logarithmus Parallaxeos Latitudinis.

5. Datis autem Parallaxibus Longitudinis & Latitudinis, Longitudes & Latitudines visæ reperientur, ut ante (§. 371).

E. gr. Juxta WINGIUM (a) Conjunctione Luminarium. *Londini* contigit A. 1661. d. 19 Martii h. 21. 41' 3" tempore apparente, fuitque verus locus Solis & Lunæ V° 10° 19' 48", Parallaxis horizontalis Lunæ à Sole 58' 6", Latitudo vera Borealis descendens 34' 49", altitudo denique Äquatoris 38° 28'. Quare

Log. Cos. Obl. Eclipt. 199624527
Cotang. Long. \odot 107435973

Tang. Asc. rect. \odot 92188554,
cui in Canone respondent

9° 23' 55"

Temp. app. Conj. h. 21 41 3 subtr.
h. 24 seu 23 59 60

Tab.

IX.

Fig. 91.

Temp. ad mer. ref. 2 18 57

h. 2 | 30°

18' | 4 30'

57" | 14 15"

AD 34 44 15

AO 89 59 60

DO 55 15 45

Asc recta \odot GD 9 23 55

Asc.Obl.Or.GD 64 39 40

Log. Cosin. GO 96314147

Cotang. \odot 100999134

Cotang. NGO 95315013,
cui in Canone respondent 18° 46' 44"

Ergo NGO 71 13 16

MGO 23 29 (§. 168)

MGN 94 42 16

Log. Cos. MGN	89138975	Ta
Cot. GO	96753461	I)
Summa	185892436	Fig.
Cos. NGO	95077436	
Cotang. GM	90815000, cui in Ca-	
none respondent	6° 52' 42"	
Est ergo GM	96 52 44 (§. 135. Sphær.)	
Subtr.	90	
Nonag. Eclipt.	6 52 44	
Loc. ver. \odot	10 13 48	
Dist. \odot à Non.	3 21 4 versl. Ortum,	
Log. Cosin. GM	90783518	
Cotang. NMG	89153631	
Cotang. NMG	101629887, cui in	
Canone respondent	55° 30' 37"	
Ergo angulus Orientis NMG seu alti-		
tudo Nonagesimi 34° 29' 23".		
Log. Sin. dist. \odot à Nonag.	87668186	
Sin. ang. Orient.	97530146	
Parall. horiz. \odot à \odot	35423273	
Log. Parall. Long. \odot à \odot	220621605,	
cui in Tabulis respondent 1:5 seu 1' 55".		
Log. Cosin. ang. Orient.	99160472	
Paral. hor. \odot à \odot	35423273	
Log. Parall. Latit.	*34583745,	
cui in Tabulis respondent 2875" seu 47' 53".		
Loc. Lunæ verus V° 10° 13' 48"		
Parall. Long. add.	1 55	
Loc. \odot visus V°	10 15 43	
Lat. Lunæ vera Bor.	34 49	
Parall. Latit.	47 53	
Lat. Lunæ visa merid.	13 4	

PROBLEMA LXXXVIII.

998. Invenire motum Lunæ à Sole
visum in tempore proposito.

R E S O L U T I O.

I. Quæratur ad initium & finem temporis propositi Parallaxis Longitudinis Lunæ, ut in Problemate præcedente.

2. Si

2. Si illo tempore Luna fuerit in quadrante Orientali & Parallaxis Longitudinis major fuerit in fine, quam in principio temporis, differentia Parallaxium addatur motui Lunæ à Sole vero ad illud tempus; in casu contrario (si nempe Parallaxis decrescit) subtrahatur, ut prodeat motus Lunæ à Sole visus (§. 361).
3. Si ☽ fuerit toto tempore in quadrante Occidentali, contraria ratione operandum, in casu nempe priori differentia Parallaxium subtrahenda, in posteriori addenda (§. cit.).
4. Denique si Luna initio fuerit in quadrante Orientali, in fine vero in Occidentali: differentia Parallaxium subtrahenda (§. cit.).

E. gr. Quæratur motus ☽ à ☽ visus ad quadrantem horæ in 6 ☽ ☽, quæ A. 1661 d. 19 Mart. hor. 21. 41' 3". accidit. Investigetur ut in Probl. præc. Parallaxis Longitudinis ad quadrantem horæ antecedentem, hoc est, ad h. 21. 26' 3"

Fuit tum Loc. ☽ verus φ 10° 13' 11"

Ascensio recta ☽	9	23	20
AD	38	29	15
GO	60	54	5

Nonag. eclipsi. φ 30° 38' 10"

Loc. ☽ vers. φ 10° 13' 11'

Dist. ☽ à Nonag. 6° 35' 1 vers. Ortum
Parallaxis Longitud. 31' 38"

Sed eadem in Conj. erat 1. 55

Ergo Differentia 1. 43
Motus ☽ à ☽ versus in quad. hor. 8. 46

Motus ☽ à ☽ visus in quad. hor. 7. 3.

PROBLEMA LXXXIX.

999. Dato momento Conjunctionis veræ Luminarium; invenire momentum visæ.

RESOLUTIO.

- Inveniatur ad momentum Conjunctionis veræ Parallaxis Longitudinis Lunæ à Sole (§. 997).
- Quæratur quoque ad illud tempus motus Lunæ à Sole visus in quadrante horæ (§. 998).
- Inferatur: Ut motus Lunæ à Sole visus in quadrante unius horæ ad 900 scrupula secunda seu horæ quadrantem, ita Parallaxis Longitudinis ad intervallum Synodi veræ atque visæ.
- In quadrante Orientali intervallum à momento veræ Synodi subtrahatur, ut relinquatur momentum visæ: in Occidentali vero eundem in finem addatur (§. 372).

E. gr. in nostro casu tempus Synodi veræ est hor. 21. 41' 3", & illo tempore Parallaxis Longitudinis 1' 55", seu 15", motus Lunæ à Sole visus in quadrante horæ 7' 3" seu 423".

Log. Quadr. hor.	29542425
Parall. Long.	20606978
Summa	50149403
Log. Mot. ☽ à ☽ vis.	26263403
Intervall. Conj. ver. & vis.	23886000,
cui in Tabulis respondent	244"
seu	4' 4"
Tempus Synodi veræ	h. 21. 41. 3
Tempus Synodi visæ	h. 21. 36.59

PROBLEMA XC.

1000. Ad datum tempus Synodi visæ invenire Latitudinem visam.

RESOLUTIO.

1. Inferatur: Ut intervallum unius horæ seu scrupula secunda 3600 ad motum horariorum Lunæ à Sole verum, ita intervallum Synodi veræ ac visæ ad motum Lunæ intervallo congruentem.
2. Quodsi Synodus vera præcedat visam, motus Lunæ repertus loco ejus in Conjunctione vero addatur; si illa sequatur, dematur: ita obtinetur locus Lunæ verus tempore Synodi visæ.
3. Dato loco Lunæ vero invenitur more vulgari Latitudo Lunæ vera eidem respondens; seu ut Declinatio Solis (§. 198.).
4. Et hinc tandem Latitudo-visa (§ 997).

E. gr. in nostro casu intervallum Synodi veræ & visæ est $4'4''$ seu $244''$ & horarius Lunæ à Sole verus $35^{\circ}3''$ seu $2103''$. Quare

Tab.	Log. Hor. veri Lunæ à Sole	33228392
XI.	Intervalli Conj. ver. & vis.	23886000
Fig. 91.	Summa	57114392
	Log. 3600.	35563025

Log. mot. Lunæ interv. resp. 21551367,
cui in Tabulis respondent 143''
seu $2123''$.

Loc. Lunæ verus in Conj. vera $\sqrt{10^{\circ}13'48''}$

Scrupul. subtr. 2 23

Loc. Lunæ verus in Conj. visa $\sqrt{10^{\circ}11'25''}$

cui resp. Lat. vera Sept. desc. 34 49

Sed tum Asc. recta Solis 9 29 17

AD 35 45 15

DO 54 14 45

reperitur adeoque GO 63 44 2

NGO 70 37 44

& ob: MGO 23 29

NGM 94 6 44

hinc Nonag. Eclipt. 6 5 24

Angul. Orientis GNM 34 8 34

Unde Parallaxis Latitudinis 48 9

Latit. Lunæ vera Sept. desc. 34 49

Latit. visa Merid. 13 20

PROBLEMA XCII.

1001. Data Latitudine Lunæ visa ad tempus Synodi visæ, una cum Semidiametris apparentibus Luminarium; invenire scrupula defectus & digitos Eclipticos.

RESOLUTIO.

1. Semidiametri apparentes Luminarium conjiciantur in unam summam.
2. Ab ea auferatur Latitudo Lunæ visa: relinquuntur scrupula defectus.
3. Fiat Ut Semidiameter \odot ad scrupula defectus, ita 6 digitii in scrupula reacti. seu 360 ad digitos Eclipticos in similibus scrupulis.

E. gr. in nostro casu:

Semidiameter Solis $16^{\circ}19''$ seu $979''$

Lunæ 16 40

Aggregatum	32 59
Lat. \odot visa	13 20
Scrupula defectus	19 39 f. 1179''
Log. scrup. 6 dig.	25563025
scrup. defect.	30715138

Summa	56278163
Log. semid. \odot	29907826

Log. dig. Eclipt. 26370337,
cui in Tabulis respondent 434'.

Est ergo quantitas Eclipteos 7 dig. 14'.

SCHOOLION.

1002. Qui scrupulosius quantitatatem Eclipteos definire intendunt, non Latitudinem visam, sed arcum inter centra subtrahunt, quo superius in Eclipsi Lunari usi sumus (§. 951).

PROBLEMA XCII.

1003. Datis Semidiametris apparentibus Luminarium AP & PN, una cum IX Latitudine visa AI (aut, si mavis arca Fig. inter

inter centra AL); invenire scrupula dimidiæ durationis seu Lineam incidentiæ IN.

RESOLUTIO.

Eadem est, quæ Problematis 74 (§. 956).

E. gr. in nostro casu AP 16° 19' f. 979^h, PN 16° 40" seu 1000" AI 13° 20" seu 800^h: erit

AN	1979	AN	1979
AI	800	AI	800
AN + AI	2779	AN - AI	1179
Log. AN + AI	34438885		
AN - AI	30715138		
Summa	65154023		

Log. IN 32577011, cui
in Tabulis respondent 1811".

Sunt adeo scrupula dimidiæ durationis
30° 11".

PROBLEMA XCIII.

1004. Datis scrupulis dimidiæ durationis; tempus incidentia ac repletionis definire, tamque Eclipses Solaris durationem determinare.

RESOLUTIO.

1. Quæratur horarius Lunæ à Sole visus pro hora una ante Synodum visam & pro hora una post eandem (§. 998).

2. Inferatur: Ut motus horarius prior ad scrupula secunda unius horæ, ita scrupula dimidiæ durationis ad tempus incidentiæ, & ut motus horarius posterior ad eadem scrupula horaria, ita eadem scrupula dimidiæ durationis ad tempus repletionis.

3. Tempus incidentiæ addatur temporis repletionis: aggregatum est duratio totalis.

E. gr. in nostro casu reperitur motus horarius Lunæ à Sole visus hora una ante Synodum visam 28° 55", & hora una post eandem 27° 31" scrupula durationis dimidiæ sunt 30° 11". Ergo

Logar. scrup. hor. 3600	35563025
Scrup. dur. dim.	32577011
Summa	68140036
Log. horar. vis. ante 6	32392994
Log. temp. incid.	35747042, cui in Tabulis respondent 3756" seu 1 h. 2' 36".
Logar. scrup. hor. 3600	35563025
Scrup. dur. dim.	32577011
Summa	68140036
Log. hor. vis. post 6	32177470
Log. temp. replet.	35962566, cui in Tabulis respondent 3947" seu 1 h. 5' 47".
Tempus incidentiæ	1 h. 2' 36"
repletionis	1 5 47
Duratio tota	2 h. 8 23

PROBLEMA XCIV.

1005. Eclipseos Solaris medium, initium ac finem determinare.

Tab.
IX.
Fig. 88.

RESOLUTIO.

1. Ex Latitudine ☽ visa ad tempus Syndi visæ investigetur arcus IL seu distantia maximæ obscurationis à Conjunctione visa (§. 946):

2. Fiat: Ut horarius Lunæ à Sole visus ante Synodum visam ad 3600 scrupula horaria, ita distantia maximæ obscurationis à Conjunctione visa ad intervallum temporis inter maximam obscurationem & Synodum visam.

3. Hoc intervallum in primo & tertio quadrante Anomaliæ à tempore Syndi visæ subtrahatur, in reliquis eidem addatur, ut prodeat tempus maximæ obscurationis.

4. Denique tempori maximæ obscurationis dematur tempus incidentiæ, addatur tempus repletionis; erit illuc differentia initium, hic summa finis Eclipseos.

Enimvero quia intervallum inter Synodum visam & maximam obscurationem valde exiguum & admodum dubium; vix operæ pretium videtur, tanta accurratione uti: unde plerique tempore Synodi visæ utuntur tanquam tempore maximæ obscurationis.

E. gr. In nostro casu

Tempus Synodi visæ	h. 21	36'	52"
Tempus incidentiæ	1	2	36

Initium Eclipseos hor.	20	34	23
------------------------	----	----	----

seu h. 8. mat.	34	23
----------------	----	----

Tempus Synodi visæ	h. 21	36	59
--------------------	-------	----	----

Tempus repletionis	1	5	47
--------------------	---	---	----

Finis Eclipseos	h. 22	42	46
-----------------	-------	----	----

seu h. 10 mat.	42	46
----------------	----	----

Quodsi scrupulosius ea definire volueris, duo circiter minuta, ob distantiam Synodi visæ à maxima obscuratione, deprehendentur subtrahenda.

PROBLEMA XCV.

1006. Invenire Latitudinem Lunæ visam, initio & fine Eclipseos Solaris.

RESOLUTIO.

1. Argumento Latitudinis ad tempus Synodi visæ computatae demandantur scrupula dimidiæ durationis una cum motu Solis tempori incidentiæ conveniente: quod relinquitur est Argumentum Latitudinis initio Eclipseos.
2. Eadem addantur eadem scrupula una cum motu Solis tempori repletionis respondentem: aggregatum est Argumentum Latitudinis in fine Eclipseos.

3. Dato Argumento Latitudinis inventur more vulgari Latitudo Lunæ vera (§. 880). & hinc tandem visa (§. 1000).

PROBLEMA XCVI.

1007. Data Latitudine Lunæ visa, initio & fine Eclipseos Solaris, Typum ejus formare.

RESOLUTIO.

Non differt à resolutione Problematis 83 (§. 976).

PROBLEMA XCVII.

1008. Eclipseis Solis supputare.

RESOLUTIO.

1. Supputetur Novilunium medium (§. 959) & hinc porro verum (§. 970) una cum loco Luminarium ad tempus apparetens veri.
2. Ad Tempus apparetens Novilunii veri supputetur tempus apparetens visi (§. 999).
3. Ad tempus apparetens visi supputetur Latitudo visa (§. 1000) &
4. inde digitii Ecliptici determinantur (§. 1001).
5. Quæratur tempus maximæ obscurationis, incidentiæ ac repletionis (§. 1004) &
6. inde initium ac finis Eclipseos eruantur (§. 1005).

SCHOLION.

1009. Ad Problemata præcedentia attendentibus satis liquet, omnia calculi tædia à Parallaxibus Longitudinis & Latitudinis procreari; quæ si abessent calculus Eclipseum Solarium non differet à Lunarium calculo. Quoniam vero Parallaxes Longitudinis & Latitudinis à Parallaxi altitudinis (§. 391), hæc vero ab Ho-

ab Horizonte pendet (§. 73); calculus Eclip-
sium Solarium non universalis est; sed tantum-
modo particularis pro dato loco (§. 59.67).
KEPLERUS (a) Eclipses Solares tanquam Ter-
ræ Eclipses considerare cœpit: ita enim calcu-
lus universalis institui & calculus partialis
à Parallaxium tricis liberari potest, quem-
admodum ex sequentibus patet.

PROBLEMA XCVIII.

1010. Observare Eclipsin Solarem.

R E S O L U T I O.

1. Species Solis in Cameram obscuram intromittatur ut supra (§. 427) & Discus per 6 circulos concentricos in 12 digitos dividatur.
2. Ope Horologii oscillatorii notetur tempus, quo Eclipsis incipit ac desinit, & quo unusquisque digitus integer obscuratus cernitur ut supra (§. 977).

C A P U T VIII.

De Eclipsi Terræ & motu vertiginis Lunæ.

D E F I N I T I O LXXXVI.

1011. *E*Clipſis Terræ est privatio Lu-
minis Solaris vel totius, vel
alicujus partis propter interpositionem
Diametralem Lunæ inter Solem atque
Terram facta in disco Telluris, qualis
oculo in Luna positio appetet.

S C H O L I O N.

1012. Convenit Eclipsi Terræ cum Eclipsi
Lunari, si Lunæ ac Telluris loca invicem
permutes. Nimirum in Eclipsi Lunari Luna
privatur vel Lumine Solis toto, vel aliqua
ejus parte ob Terram inter ipsam & Solem
interpositam; in Eclipsi Terrestri Terra ob
Lunæ interpositionem similem Luminis Solaris
patitur defectum.

D E F I N I T I O LXXXVII.

1013. *Discus Terra* est Circulus, in
quem projicitur Hemisphærium Terræ
luminosum, quantum ex aliquo punto in
Luna appetet.

T H E O R E M A XXXV.

1014. *Hemisphærium Terræ opposi-*

*tum Lunæ in eadem instar disci appa-
rere debet & quidem luminosi, quando
à Sole illuminatur.*

D E M O N S T R A T I O.

Luna ob distantiam, ex qua vide-
tur (§. 277. Optic.), instar disci plani
apparet, & quidem luminosi, quando
Hemisphærium à Sole illuminatum nobis
obvertit (§. 456). Quamobrem cum
per ea, quæ in *Geographia* indepen-
derent à Propositione præsente demonstra-
buntur, Terra figuram habeat prope-
modum Sphaericam & in Luna ex eadem
distantia videatur, ex qua Luna in Tel-
lure conspicitur; illa quoque in Luna
instar disci plani apparere debet. Cum-
que Lumen Solare, quod à Terra in
Lunam reflectitur, sit ad Lumen à Lu-
na in Terram reflexum ut 14 ad 1 (§.
914); discus Terræ ex Luna visus lu-
minosus apparere debet, quando à So-
le illuminatur. Q. e. d.

(a) In Epitome Astron. Copern. Lib. VI. p. 175.

THEOREMA XXXVI.

1015. Semidiameter apparenſ ſtelluris in Sole vel Luna eſt aequalis Parallaxi horizontali Solis vel Luna in Terra; in genere Semidiameter Terra in quavis Stella tanta videtur, quanta eſt Parallaxis ejus horizontalis in Terra.

DEMONSTRATIO.

Tab. Sit Sol in S, HI Horizon ſenſibilis
IV. & Spectator in I, centrum Telluris in
Fig. 44. T; erit angulus IST Parallaxis Solis
horizontalis (§. 371.). Quoniam vero
ex S Semidiameter Telluris TI videtur
ſub eodem angulo IST; erit idem Se-
midiameter apparenſ Terra in Sole (§.
207. 208. Optic.). Eſt igitur Semidia-
meter apparenſ Telluris in Sole aequalis
Parallaxi horizontali Solis in Terra. Et
quia in puncto S, loco Solis, Lunam vel
quamcunque Stellam aliam ſupponere
licet, ceteris omnibus manentibus &
consequentiibus iisdem; in genere patet,
magnitudinem Terra in Stella qualibet
tantam apparere, quanta ejus in Tel-
lure percipitur Parallaxis. Q. e. d.

COROLLARIUM I.

1016. Quoniam Parallaxis Solis hori-
zontalis nonniſi 6 (§. 896) vel 10 ſcrupu-
lorum ſecundorum (§. 898.); Semidia-
meter Telluris ex Sole viſa apparenſ eſt
nonniſi 6 vel 10 ſcrupulorum ſecundorum.

COROLLARIUM II.

1017. Similiter quia Parallaxis Lunæ
horizontalis maxima, quam ſcilicet habet
in minima à Terra diſtantia (§. 379), eſt
 $1^{\circ} 1' 25''$; minima vero, quam in ma-
xima diſtantia habet, $54' 5''$ (§. 892.);
Semidiameter Terra apparenſ maxima in
Luna eſt $1^{\circ} 1' 25''$; minima $54' 5''$.

COROLLARIUM III.

1118. Diameter apparenſ Terra in Sole
infenſibilis (§. 1016.).

THEOREMA XXXVII.

1019. Diameter apparenſ Luna in
Sole infenſibilis.

DEMONSTRATIO.

Si diſtantia Solis à Terra fuerit 34377
Semid. Terreſtr. Parallaxis horizontalis
6 ſcrupulorum ſecundorum (§. 896.);
ſi vero 22062 Semid. Terreſtr. eadem
evadit $10''$ (§. 899), conſequenter ſi
Terra propius admoveatur Soli inter-
vallo 12315 Semidiameſtorum Terreſ-
trium, Parallaxis nonniſi 4 ſcrupulis
ſecundis augetur. Quamobrem ſi po-
namus eandem propius ad Solem acce-
dere non niſi intervallo 62 Semidiameſ-
torum Terreſtrium, qualis maxima Lu-
næ à Terra diſtantia eſſe potest (§. 906);
Parallaxis Solis horizontalis vix unico
ſcrupulo tertio augebitur, conſequenter
Diameter Terra apparenſ in Sole ea-
dem adhuc erit, quæ erat in diſtantia
remotiori. Jam cum Diameter Lunæ
vera ſit quarta circiter pars Diametri
Terreſtris (§. 922.) & Diameter appa-
rentes Terra atque Lunæ in Sole in ea-
dem diſtantia ſint ut veræ (§. 212.
Optic.); erit Diameter Lunæ inter So-
lem atque Tellurem interpoſitæ in So-
le vix major $1\frac{1}{2}$, aut $2\frac{1}{2}$: ſcrupulorum
ſecundorum (§. 1016.). Eſt igitur mu-
ltò magis infenſibilis, quam Diameter
apparenſ Terra in Sole. Q. e. d.

THEOREMA XXXVIII.

1020. Semiangulus Coni umbroſi AHB Tab
eſt ad ſenſum aequalis Semidiameſtro appa-
renti Solis ex Terra ſpectati, ſi ad eam
refertur

X. refertur Conus umbrosus, vel ex Luna
6. visi, si Conus umbrosus fuerit Lunaris.

DEMONSTRATIO.

Si in C sit centrum Terræ, erit
ACB Semidiameter apparet Solis ex
Terra visi & CBF Semidiameter ap-
parens Terræ ex Sole spectatæ (§ 207.
208 Optic.). Est igitur Semidiameter ap-
parens Solis ACB æqualis Semidiametro
apparenti Terræ CBF ex Sole visæ &
angulo dimidio Coni umbrosi Terrestris
CHF (§. 239. Geom.). Enimvero Dia-
meter apparet Terræ ex Sole visæ in-
sensibilis (§. 1018.), paucorum scilicet
scrupulorum secundorum (§. 1016.). Quare semiangulus Coni umbrosi Ter-
restris CHE Diametro Solis apparet
propemodum æqualis. *Quod erat unum.*

Quodsi ponamus in C esse Centrum
Lunæ; erit ACB Diameter apparet
Solis ex Luna visi & CBF Diameter
apparet Luna ex Sole spectatæ. Qua-
mobrem cum Diameter apparet Luna
in Sole sit insensibilis (§. 1019.); eodem,
quo ante, modo patet semiangulum
Coni umbrosi Lunaris esse Diametro
apparenti Solis ex Luna spectati æqua-
lem. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

1021. Eadem igitur manente Semidia-
metro apparet Solis, sectiones triangul-
ares Coni umbrosi CHF sunt sibi mutuo
æquiangulæ (§. 239. Geom.), consequenter
Axis CH ad Semidiametrum CF eadem
rationem habet (§. 267. Geom.), adeoque
Coni ipsi sibi mutuo similes sunt (§. 570.
Geom.).

SCHOLION.

1022. Non modo Diameter Solis appa-
reens eadem est in Terra in eadem Solis dis-
tantia ab Apogeo vel Telluris à Perihelio,

ac pro eadem habetur toto illo tempore; quo
nonnisi paucis scrupulis secundis mutatur;
verum etiam pro eadem eodem tempore in
Luna & Sole habetur: quemadmodum in Theo-
remate sequente demonstrare lubet.

THEOREMA XXXIX.

1023. Diameter apparet Solis in Lu-
na eodem tempore ad sensum non differt
à Diametro apparet ejusdem in Terra.

DEMONSTRATIO.

Differentia Semidiametri apparentis
in maxima & minima à Sole distantia
non differt nisi 1' 5" seu 65" (§. 553).
Est vero juxta CASSINUM differentia
distantiae maximæ & minimæ Solis à
Terra 748 Semidiametrorum Terre-
strium (§. 905.). Quamobrem si Terra
proprius admoveatur Soli intervallō 748
Semidiametrorum Terrestrium, Dia-
meter apparet nonnisi 65 scrupulis secun-
dis augetur. Enimvero maxima Lunæ
à Terra distantia nunquam 62 Semidi-
ametros Terrestres excedit (§. 906.):
qua cum sit vix decima pars illius in-
tervalli, si Luna in maxima à Terra
distantia inter Terram & Solem inter-
ponitur, Semidiameter apparet Solis
in Luna à Semidiametro apparet ejus-
dem in Terra vix 6 scrupulis secundis
differe potest. Est igitur eodem tem-
pore in Luna & Terra ad sensum ea-
dem. *Q. e. d.*

COROLLARIUM.

1024. Coni igitur umbrosi Terræ &
Lunæ eodem tempore similes (§. 1021.).

PROBLEMA XCIX.

1025. Data Semidiametro Lunæ vera Tab.
& Semidiametro apparet Solis; inve- X
nire Longitudinem Axis Coni umbrosi Fig. 86.
Lunaris.

RESC.

RESOLUTIO & DEMONSTRATIO.

- Tab. X. 1. Si in C fuerit Terra, in \triangle CHF ad Fig. 86. F rectangulo præter semidiametrum Terræ CF = 1 datur semiangulus Coni umbrosi CHF, utpote Semidiametro apparenti Solis æqualis (§. 1020). Inveniri igitur potest Longitudo Axis Coni umbrosi CH (§. 36 Trigon.), qui etiam ex distantia Solis à Terra & ejus Diametro vera reperiti poterat, ut supra (§. 939).
2. Quoniam eodem tempore Conus umbrosus Lunaris similis Cono umbroso Terrestri (§. 1024), adeoque Lunæ Semidiameter ad illius Axem eandem rationem habet, quam habet Semidiameter Terræ ad Axem Coni umbrosi Terrestris (§. 570 Geom.), consequenter Semidiameter Terræ ad Semidiametrum Lunæ est ut Axis Coni umbrosi Terrestris ad Axem Coni umbrosi Lunaris (§. 173 Arithm.): hic per Regulam trium porro invenitur.

E. gr. Semidiameter Solis apparet in media distantia $16'$ fere (§. 553). Quare cum Semidiameter Terræ sit 1; erit.

Log. Sin. CHF	76678445
CF	00000000
Sin. tot.	100000000

HC 23321555,
cui in Tabulis quam proxime respondent
 $214\frac{8}{10}$. Est igitur Longitudo Axis Coni umbrosi Terrestris $214\frac{8}{5}$, hoc est, fere 215 Semidiametrorum Terrestrium. Jam Lunæ Semidiameter propemodum pars quarta Semidiametri Terrestris (§. 922). Est adeo Longitudo Axis Coni umbrosi Lunaris fere $53\frac{2}{3}$ Semidiametrorum Terrestrium.

Similiter in maxima distantia Terræ à Sole Semidiameter Solis apparet $15'49''$ (§. 553). Quamobrem ut ante

Log. Sin. CHF	76632969
Sin. tot.	100000000

HC 23367031,
cui in Tabulis quam proxime respondent
 217 . Est igitur in distantia maxima Telluris à Sole Axis Coni umbrosi Terrestris 217 Semidiametrorum terrestrium. Quodsi ergo Lunæ Diameter ponatur quarta pars Diametri Terrestris; erit Axis Coni umbrosi $54\frac{1}{4}$ Semidiametrorum Terrestrium. Quodsi Diametrum Terræ ad Diametrum Lunæ ponas ut 1000 ad 266 (§. 912), reperiatur Axis Coni umbrosi Lunaris in casu priori $57\frac{1}{10}$ Semidiametrorum Terrestrium; in posteriori $57\frac{7}{10}$.

COROLLARIUM I.

1026. Quoniam Axis Coni umbrosi major esse nequit 58 Semidiametris Terrestribus, Lunæ autem à Terra distantia media 58 Semidiametrorum Terrestrium est (§. 906), vel juxta CASSINUM 57 (§. 905); si distantia Lunæ à Terra fuerit major distantia media, Terra in Umbram Lunæ incurrere nequit.

COROLLARIUM II.

1027. Quoniam vero distantia Lunæ minima à Terra est 54 (§. 906) vel 53 Semidiametrorum Terrestrium (§. 905) Longitudo vero Coni umbrosi minor esse nequit 53 Semidiametrorum Terrestrium (§. 1025); si distantia Lunæ à Terra fuerit minor distantia media, Terra in Umbram Lunæ incurrere potest.

SCHOLION.

1028. Non tamen ideo actu incurrit, necesse enim est ut Luna sit Nedo vicina vel in ipso Nodo, ubi id fieri debet (§. 985).

DEFINITIO LXXXVIII.

1029. Umbra Lunæ appellatur Circulus in disco Terræ, qui à Luna obumbratur, seu in quem Luna Umbram projicit.

projicit. Diameter hujus circuli dicitur *Diameter Umbræ*, & quidem vera. Ast angulus, sub quo Semidiameter Umbræ in Luna videtur *Semidiameter Umbra Lunaris apparet* appellatur.

PROBLEMA C.

1030. Invenire Semidiametrum apparetum *Umbra Lunaris*.

RESOLUTIO.

1. Ad datum tempus inveniatur intervallum Solis atque Lunæ (§. 645) indeque porro Diameter apparet utriusque Luminaris (§. 213 *Optic.*).
2. A Semidiametro apparetum Lunæ subtrahatur Semidiameter apparetum Umbræ: Quod relinquitur est Semidiameter apparetum Umbræ Lunaris.

DEMONSTRATIO.

x. Ponamus in C esse Lunam, DE Se 86. midiametrum Umbræ Lunaris CHF semiangulum Coni umbrosi: erit CDF Semidiameter apparetum Lunæ, ECD Semidiameter apparetum Umbræ (§. 1029). Est vero Semidiameter apparetum Lunæ CDF æqualis Semidiametro apparetum Umbræ ECD & Semiangulo Coni umbrosi Lunaris CHD (§. 239 *Geom.*). Quamobrem cum Semiangulus Coni umbrosi CHF æqualis sit Semidiametro apparetum Solis (§. 1021. 1023); si à Semidiametro apparetum Lunæ CDF subtrahitur Semidiameter apparetum Solis seu angulus CHF, relinquitur Semidiameter apparetum Umbræ. Q.e.d.

COROLLARIUM.

1031. Quodsi ergo Semidiameter Lunæ æqualis vel minor fuerit Semidiametro Solis, nulla quoque Umbra Lunæ in discum Terræ cadit.

SCHOLION I.

1032. Monet KEPLERUS (*a*) *Diametrum Umbrae Lunaris hoc pacto inventam esse prope veram. Quoniam enim Parallaxin Solis horizontalis adhuc sensibilem statuit; semi-ingulus Coni umbrosi Semidiametro apparetum Solis non prorsus æqualis haberi potest.*

SCHOLION II.

1033. *Ad facilitandum calculum constructione sunt Tabulae Semidiametrorum apparetuum, Parallaxium horizontalium & distantiarum à Terra pro Sole & Luna ad singulos quinos Anomalie coæquatae gradus (*b*).*

PROBLEMA C.I.

1034. *Data Semidiametro Umbrae Lunaris apparetum ECD & distantia Luna à Terra disco CE invenire veram ED.* Tab. X. Fig. 86.

RESOLUTIO.

Quoniam in Triangulo CED ad E rectangulo datur angulus ECD & latus EC, inveniatur latus ED (§. 36 *Trig.*).

COROLLARIUM.

1035. Quia Diameter vera Umbra ED minor Diametro vera Lunæ CF, Lunæ vero Diameter multo minor Diametro Telluris (§. 912); Umbra Lunæ nunquam integrum discum Terræ obtegere potest; sed nonnisi partem aliquam tegit.

PROBLEMA CII.

1036. *Datis Axe Coni umbrosi LH per Centrum Telluris C transversis & distantia Lunæ à Centro Terra LC una cum semiangulo Coni umbrosi i HD; determinare spatium disi, quod occupat Umbra Lune.*

RESOLUTIO.
I. Quoniam in Triangulo CDH præter semiangulum Coni umbrosi Lunaris H A a a a

Tab. XIII.
Fig. 106.

(a) In Epit. Astron. Copern. Lib. VI. p. 875.

(b) De la Hire in Tab. Astron. p. 20. 27.

Tab.
XIII.
Fig.
106.

- ris H dantur Semidiameter Terræ
CD=I & excessus Longitudinis Co-
ni umbrosi supra distantiam Lunæ à
Terræ centro CH, inveniri potest
angulus CDH (§.38 *Trigon.*).
2. Addatur huic angulo semiangulus
Coni umbrosi H; aggregatum erit
angulus ECD (§.239 *Geom.*), cu-
jus mensura est arcus ED.
3. Duplum hujus arcus si convertatur
in millaria Germanica, quemadmo-
dum in *Geographia* docebitur, pro-
dabit Longitudo spatii, quod dato
momento Umbra Lunæ occupat.

COROLLARIUM.

1037. Quia Luna continuo movetur ab Occasu versus Ortum & Terra vertigine cie-
tur; Umbra quoque Lunæ ab Occasu in
Ortum continuo movetur in disco Terræ,
consequenter Selenitis instar maculæ per
discum Terræ trajicientis appetet (§.1035).

SCHOLION.

1038. *Obtinet casus Problematis in Con-*
junctione centrali (§.935) Quodsi enim pla-
tica fuerit Conjunctio, Axis ad discum Terræ
obliquus est, adeoque Conum umbrosum obli-
que secat, consequenter sectio Ellipsis est.
Cum vero rarius Luna in ipso Nodo est,
quando Terram obumbrat; figura quoque
Umbra plerumque Elliptica est.

DEFINITIO LXXXIX.

Tab.
XIII.
Fig.
107.

1039. *Penumbra est spatium disci*
Terræ, quod aliqua Luminis Solaris
parte illo momento privatur.

E.gr. Sit Sol in S, Luna in L, Terra in T.
Ducatur ex H recta BH tangens Lunam in
E & Solem in B. Ducatur itidem recta AG
tangens Lunam in E & Solem in A. Erit in
GH Penumbra. Idem intelligitur ex alte-
ra parte inter Radios ID & DF.

DEFINITIO XC.

1040. *Conus penumbrosus dicitur is,*
qui describi concipitur, si Radius CK
circa Punctum fixum C ita moveri in
gyrum concipiatur, ut continuo con-
tingat Lunam. Punctum C, in quo ra-
dii Lunam contingentes BD & AE se
mutuo interfescant, dicitur *Vertex Coni*
penumbrosi.

SCHOLION.

1041. *In natura rerum formatur Conus*
umbrosus per Radios, qui ex singulis limbi
Solis Punctis per Punctum C transeunt &
Lunam contingunt, antequam ulterius pro-
griantur.

COROLLARIUM I.

1042. Quoniam Radius CK in infinitum
protenditur, Conus penumbrosus in infi-
nitum exporrigitur.

COROLLARIUM II.

1043. Conus umbrosus DFE totus intra
penumbrosi ICK continetur.

COROLLARIUM III.

1044. Quia Conus DCE totus toto Lu-
mine Solari illustratur; Conus penumbro-
sus proprie loquendo est Conus truncatus
DIEK.

THEOREMA XL.

1045. *Semiangulus Coni penumbrosi*
ECL est Semidiametro apparenti Solis
æqualis.

DEMONSTRATIO.

Ducatur recta EN per Punctum E ad
Centrum Solis tendens; erit angulus
AEN Semidiametro apparenti Solis
æqualis (§ 207.108 Opt.) & recta EN
ipsi LS ex Centro Solis eductæ ad sensum
parallelæ (§.93. Opt.). Quoniam
itaque angulus AEN ipsi LCE æqualis
(§.233. Geom.); semiangulus Coni pe-
numbroosi Semidiametro apparenti Solis
æqualis. Q.e.d.

COROL

Tab.
XIII.
Fig.
107.

COROLLARIUM I.

1046. Quoniam etiam semiangulus Coni umbrosi LFE semidiametro apparenti Solis æqualis (§. 1020); Conus umbrosus Lunaris & penumbrosus sunt sibi mutuo similes eodem tempore (§. 1021).

COROLLARIUM II.

1047. Et quia Conus umbrosus Telluris Cono umbroso Lunari similis (§. 1024); etiam Conus penumbrosus Lunaris Cono umbroso Telluris eodem tempore similis esse debet.

COROLLARIUM III.

1048. Quoniam pars Sectionis Coni umbrosi FLE & penumbrosi inter Solem & Lunam interjacentis LCE communem basin & angulos ad eandem æquales habent (§. 246 Geom.); æquales sunt (§. 251 Geom.), consequenter Conus umbrosus Lunaris & penumbrosi pars ea, quæ inter Lunam & Solem interjacet, æquales sunt (§. 467 Geom.).

COROLLARIUM IV.

1049. Eodem igitur modo invenitur Axis ejus partis Coni penumbrosi, quæ inter Lunam & Solem interjacet, quo Axis Coni umbrosi Lunaris reperitur (§. 1025).

DEFINITIO XCI.

1050. Si Conus penumbrosus ICG, ubi terram contingit, secetur plano ad axem CF recto, Diameter hujus circuli dicitur *Diameter Penumbræ*, & ejus pars dimidia HG *Semidiameter Penumbræ*.

COROLLARIUM.

1051. Semidiametri igitur Penumbræ, HG pars est Semidiameter Umbræ, si qua datur; Centrum vero H Penumbræ idem est cum Centro Umbræ, si qua datur.

SCHOLION.

1052. Studio dico, si qua datur: constat enim ex superioribus (§. 1026), Umbram Luna non semper attingere Terræ superficiem et si Penumbræ involvatur.

DEFINITIO XCII.

1053. Differentiam Umbræ à Penumbra, si qua Umbra datur, dicemus *Latitudinem Penumbræ*.

E. gr. Si HG fuerit Semidiameter Penumbræ, HO Semidiameter Umbræ, erit OG Latitudo Penumbræ.

SCHOLION.

1054. Nimis quando Umbra Luna incidit in superficiem Terræ, Penumbra mera in disco Terræ annulum occupat, cuius Latitudo est differentia inter Semidiametrum Penumbræ & Umbræ plenariae.

DEFINITIO XCIII.

1055. *Semidiameter apprens Penumbræ* est angulus HLG, sub quo Semidiameter Penumbræ ex Luna videtur. *Latitudo Penumbræ apprens* est angulus OEG, sub quo latitudo Penumbræ ex Luna videtur.

PROBLEMA CIII.

1056. Invenire ad datum tempus Semidiametrum apparentem Penumbræ, una cum Latitudine apparente ejusdem.

RESOLUTIO.

1. Inveniantur ad datum tempus Semidiametri apparentes Solis atque Lunæ, ut supra (§. 130).
2. Semidiametri Luminarium ad se invicem addantur, erit aggregatum Semidiameter Penumbræ apprens.
3. Semidiameter Solis apprens multiplicetur per binarium, erit factum latitudo Penumbræ apprens.

DEMONSTRATIO.

Sit L Centrum Lunæ, ducaturque LG; erit HLG Semidiameter apprens Penumbræ (§. 1055); angulus vero LGE

Tab. XIV. Fig. 108. Semidiameter apprens Lunæ è Terra visæ. Quoniam angulus HLG æqualis angulis LCG & LGC (§. 239. Geom.), semiangulus vero Coni umbrosi Semidiametro Solis apparenti æqualis (§. 1020); evidens est, Semidiametrum apparentem Penumbrae esse aggregatum ex Semidiametris apparentibus Solis atque Lunæ. *Quod erat unum.*

Sit jam potro in F vertex Coni umbrosi, erit semiangulus ejusdem Semidiametro apparenti Solis (§. 1020), quemadmodum semiangulus Coni penumbrosi ECH æqualis (§. 1045). Quamobrem cum angulus GEO sit duabus semiangulis Conorum ECF & CFE æqualis (§. 239. Geom.); erit latitudo apprens Penumbrae DEG duplæ Semidiametro apparenti æqualis. *Quod erat alterum.*

S C H O L I O N.

1057. Cum KEPLERUS in semiangulo Coni umbrosi definiendo, cui semiangulum Coni penumbrosi æqualem esse constat (§. 1048), Parallaxeos Solis, quam sensibilem statuit, rationem habeat; ideo quoque in definienda Diametro apparente Penumbra eandem non neglet.

P R O B L E M A C I V.

1058. Determinare longitudinem spati in superficie Terræ, quam Penumbra Luna occupat dato tempore.

R E S O L U T I O.

Ponamus ut supra (§. 1036), Axem Coni penumbrosi CD transire per Centrum Terræ T.

I. Investigetur longitude Axis Coni Umbrosi (§. 1025), cui æqualis est longitude partis Penumbrosi LC inter Solem & Lunam interjacentis (§. 1048).

2. Investigetur porro ad datum tempus distantia Lunæ à Terra TL (§. 903), eique
 3. Addatur pars Axis Coni penumbrosi LC modo inventa (n. 1), ut habeatur TC.
 4. Quoniam itaque præter latea TC & TG, distantiam verticis Coni penumbrosi à Centro Terræ & Terræ Semidiametrum, in \triangle TCG datur semiangulus Coni penumbrosi TCG (§. 1045); reperietur angulus CGK (§. 38. Trigon.), consequenter angulus CTG innotescit (§. 245. Geom.) quem metitur arcus HG (§. 57. Geom.).
 5. Quodsi tamen duplum arcus HG, arcum scilicet IG, per ea, quæ in *Geographia* independenter ab his trahuntur, in millaria Germanica convertas; prodibit longitudo spatii, quod Penumbra dato momento occupat, in milliaribus Germanicis.

E. gr. Ponamus Terram esse in Perihelio, in quo cum Solis Semidiameter apprens maxima sit, erit semiangulus Coni penumbrosi TCG maximus, qui esse potest (§. 1045), nimirum $16^{\circ} 22' \frac{1}{2}$ sive $16^{\circ} 23'$ (§. 552).

Log. Sin. tot.	100000000
Semid. app. \odot	76781220

Log. Axis Coni umbrosi Ter. 2.3218780, cui in Tabulis, quam proxime respondent $209\frac{8}{15}$. Est igitur Axis Coni umbrosi Terrestris in Perihelio $209\frac{4}{3}$ Semidiametrorum Terrestrium.

Jam cum Semidiameter Telluris sit ad Semidiametrum Lunæ ut 1000 ad 266, (§. 912) reperietur Axis Coni umbrosi Lunaris $55\frac{8}{15}$ sive 56 Semidiametrorum Terrestrium (§. 1025), cui LC æqualis (1048).

Ponamus

Tab. XIV. Fig. 109.

Ponamus jam porro Lunam esse in Apogæo suo , erit $TL = 62$ Semidiametrorum Terrestrium (§ 906), adeoque $TC = 118$ Semid. Terrest. Quamobrem

Log. Sin. TCG	76781220
TC	20718820

Log. Sin. CGK	97500040,
cui in Tabulis respondent	
	$34^{\circ} 13' 10''$
TCG	16 23
arc. HG	33 56 47
IG	67 53 34

Est igitur IG fere 68° . Quoniam itaque uni gradui respondent 15 millaria Germanica ; erit longitudo spatii , quod occupat Penumbra 1020 milliarium Germanicorum.

Patet vero intra spatium , quod per Problema præsens determinatur , contineri quoque in meditullio spatium , ab Umbra plenaria occupatum , si quod datur , cuius longitudo per Probl. 102. (§. 1036) inventur.

DEFINITIO XCIV.

1059. *Ecliptica in disco Terræ est Linea recta, quæ repræsentat intersectionem Plani Eclipticæ & Disci Terræ..*

COROLLARIUM.

1060. Cum Ecliptica sit Circulus Sphæræ maximus (§. 171); idem cum Centro Sphæræ mundanæ (§. 15. *Spheric.*), consequenter Terræ Centrum habet (§. 10), ac ideo per Centrum disci Terræ transit (§. 1013.).

DEFINITIO XCV.

1061. *Via Penumbræ est recta, quam Centrum Penumbræ in disco Terræ describit. Dici etiam solet Via Luna à Sole.*

COROLLARIUM.

1062. Quoniam Centrum Umbræ idem est cum Centro Penumbræ, si qua datur Umbra ; via Penumbræ est etiam via Umbræ,

SCHOLION.

1063. *Si Sol aut potius Terra quiesceret , nec una cum Luna secundum Eclipticam , et si motu mult, tardiore , progrederetur versus eandem plagam, nimurum ab Occidente versus Orientem; via Penumbræ eadem foret cum Orbita Luna. Enimvero ob motum Solis seu Terræ proprium in Ecliptica accidit , ut sit diversa : id quod sequente Theoremate demonstratur.*

THEOREMA XLI.

1064. *Via Penumbræ diversa est ab Orbita Luna & sub majore angulo, quam Orbita Luna, ad eandem inclinatur, angulo tamen constante.*

DEMONSTRATIO.

Ponamus NM esse Eclipticam , NO Orbitam Lunæ , in N Nodium ascendentem & angulum adeo ONM inclinationem Orbitæ Lunaris ad Eclipticam. Ponamus porro Solem & Lunam in ipso Nodo N conjungi & interea, dum Luna in Orbita sua pervenit ad L , Solem ex N progredi in S ; Luna à Sole recedere videtur per rectam SL. Jam cum motus Lunæ à Sole idem sit , sive Sol una cum Luna versus eandem plagam progrediatur , sive Sol quiescat & Luna differentia celeritatum progrediatur ; ponamus Solem in Nodo quiescere & Lunam differentia celeritatum secundum Eclipticam moveri. Ducatur itaque per centrum Lunæ L recta PH Eclipticæ NM parallela & in Nodo N erigatur perpendicularis NP. Demittatur etiam ex L ad NM perpendicularis NI. Erit NI = PL (§. 226. *Geom.*), consequenter cum NI designet motum Lunæ secundum Eclipticam (§. 237. 241), etiam PL eundem designabit.

Tab. XIV. Fiat LK æquulis ipsi NS motui Solis secundum Eclipticam; erit PK differentia motuum Solis & Lunæ secundum Eclipticam, & KL parallela ipsi NS (§. 257. Geom.), consequenter Luna à Sole in Nodo S quiescente recedere videbitur per rectam NK. Quamobrem recta $NK = SL$ (§. 257. Geom.). erit via Penumbræ, quam adeo diversam esse ab Orbita Lunæ NO patet. *Quod erat unum.*

Jam angulus LSI æqualis est angulis LNS & NLS simul sumtis (§. 239. Geom.), consequenter major est Inclinatione Orbitæ Lunarum ad Eclipticam LNS. Quare cum angulus KNS sit ipsi LSI æqualis (§. 233. Geom.); erit etiam KNS inclinatio viæ Penumbræ ad Eclipticam major Inclinatione Orbitæ Lunaris ad eandem. *Quod erat alterum.*

DEFINITIO XCVI.

1065. *Inclinatio viæ Penumbræ* est angulus KNM, quem via Penumbræ KN cum Ecliptica NM in Nodo N efficit.

PROBLEMA CV.

1066. *Invenire inclinationem viæ Penumbræ.*

RESOLUTIO.

1. *Inveniatur motus Solis & motus Lunæ horarius ad datum tempus secundum Eclipticam* (§. 968.).
2. *Inferatur: Ut motus Lunæ secundum Eclipticam ad differentiam motuum Lunæ ac Solis secundum eandem; ita Inclinatio Orbitæ Lunaris ad Inclinationem viæ Penumbræ.*

DEMONSTRATIO.

Sint omnia ut in Theoremate præcedente (§. 1064.); erit PL motus Lu-

næ secundum Eclipticam, PK differentia motuum Solis ac Lunæ secundum eandem. Jam anguli PKN & PLN sunt anguli, sub quibus in distantiis PL & PK spectatur PN, adeoque magnitudines apparentes ejusdem objecti in diversis distantiis (§. 207. 208. Optic.). Quamobrem cum anguli isti sint valde exigui; erit angulus PLN ad angulum PKN, uti PK ad PL (§. 212. Optic.). Constat ex Demonstratione Theorematis præcedentis, rectas PL & NI esse parallelas. Est igitur angulus PKN ipsi KNM, hoc est, Inclinationi viæ Penumbræ (§. 1065.), & PLN ipsi LNI, hoc est, Inclinationi Orbitæ Lunaris æqualis (§. 233. Geom.). Quamobrem Inclinatio Orbitæ Lunaris LNM est ad Inclinationem viæ Penumbræ KMN ut motuum Lunæ ac Solis secundum Eclipticam differentia PK ad motum Lunæ secundum eandem PL. *Q. e. d.*

PROBLEMA CVI.

1067. *Invenire angulum, quem Circulus Latitudinis in dato Eclipticæ puncto efficit cum via Penumbræ.*

RESOLUTIO.

Sit NI Ecliptica, NK via Penumbræ, quæ licet arcus Circuli sit, in disco tamen Lunæ perinde ac Ecliptica instar lineæ rectæ repræsentatur, & KNI Inclinatio viæ Penumbræ. Cum arcus KI tanquam pars Circuli Latitudinis cum Ecliptica NI efficiat rectum ad I (§. 237.), præter angulum rectum dantur in \triangle KNI angulus KNI & latus NI. Invenitur itaque angulus NKI, quem efficit Circulus Latitudinis cum via Penumbræ, (§. 121. Sphær.).

DEFIN.

DEFINITIO XCVII.

1068. In Eclipsi Terrestri *motus horarius* est pars viæ Penumbræ, quam à centro Penumbræ intra unius horæ spatum Luna conficit.

DEFINITIO XCVIII.

1069. Recta TC ex centro disci T in viam Penumbræ NM perpendiculariter ducta dicitur *Arcus Latitudinarius*, cum ex adverso recta TO in centro disci ad Eclipticam EL perpendicularis designet ipsam Latitudinem Lunæ in O, tempore veræ Copulæ seu Conjunctionis Lunæ cum Sole.

COROLLARIUM I.

1070. Arcus adeo Latitudinarius respondeat arcui inter centra, quo supra in Eclipsibus Lunaribus & Solaribus fuimus usi (§. 945).

COROLLARIUM II.

1071. Quando Centrum Penumbræ pervenit in O, Coniunctio vera accidit; quando vero in C constituitur, obscuratio maxima est.

COROLLARIUM III.

1072. Si arcus Latitudinarius TC fuerit æqualis summæ Semidiametrorum disci Terræ atque Plenumbæ vel hoc aggregato major; nulla datur Eclipsis Terræ. In utroque enim casu Penumbra Lunæ Terram minime ferit, adeoque nullus datur in Hemisphærio Terræ illuminato locus, quod aliqua Luminis parte privetur, consequenter nulla est Eclipsis Terræ (§. 1011).

COROLLARIUM IV.

1073. Si arcus Latitudinarius TC fuerit minor aggregato ex Semidiametro Disci Terræ & Semidiametro Penumbræ; Penumbra Terræ superficiem fuerit, adeoque aliqua superficie pars Lumine Solari privat, consequenter Terra alicubi Eclipsatur.

COROLLARIUM V.

1074. Si denique arcus Latitudinarius TC fuerit minor aggregato ex Semidiametro Disci & Semidiametro Umbræ; Umbra per discum Terræ movetur, adeoque idem alicubi plene obscuratur.

THEOREMA XLII.

1075. Qui in Umbra Lunæ consti-
tuuntur, Eclipsin Solis vident totalem;
qui vero in Penumbra constituuntur,
nonnisi partiale, tanto tamen majo-
rem, quo centro Penumbra propiores sunt.

DEMONSTRATIO.

Qui enim in Umbra Lunæ consti-
tuuntur, ad eos nulli prorsus Radii So-
lis directi pertingere possunt. Nihil igit
ur Solis vident (§. 42 Optic.), sed Sol
ipsis totus tegitur (§. 122 Optic.). Sol
igitur totus iisdem obscuratus videtur;
consequenter Eclipsin Solis vident tota-
lem (§. 982). *Quod erat primum.*

Enimvero qui in Penumbra consti-
tuuntur, ad eos ex aliqua tantummodo
Disci Solaris parte Radii nulli pertingere
possunt, cum tamen ex reliqua ad eos
propagentur. Aliquam igitur tantum-
modo Solis partem non vident, vident
vero reliquam (§. 42 Optic.), conse-
quenter Luna ipsis tantummodo ali-
quam Disci Solaris partem occultat, ac
ideo Eclipsin vident Solis nonnisi par-
tiale. *Quod erat secundum.*

Quodsi vero Schema delineare value-
ris, facile constabit, quo quis IUmbræ,
consequenter centro Penumbræ fuerit
propior, eo majorem Solis partem à Lu-
na eidem occultari. Atque adeo Eclipsis
partialis tanto videbitur major, quo
quis centro Penumbræ fuerit propior.
Quod erat tertium.

COROLLARIUM I.

Tab. 1076. Quando igitur Selenitæ vident
XIV. Eclipsin Terræ, alicubi locorum in Terra
Fig. videtur Eclipsis Solis.

COROLLARIUM II.

1077. Quamobrem si arcus Latitudinarius TC fuerit æqualis aggregato ex Semidiametro Disci Terræ & Semidiametro Penumbræ, vel eodem major; nullus datur in Terra locus, ubi aliqua videtur Eclipsis Solis (§. 1072).

COROLLARIUM III.

1078. Quando arcus Latitudinarius TC fuerit minor aggregato ex Semidiametro Disci Terræ & Semidiametro Penumbræ; alicubi Terrarum videtur Eclipsis Solis (§. 1073).

COROLLARIUM IV.

1079. Quando arcus Latitudinarius fuerit minor aggregato ex Semidiametro Disci & Semidiametro Umbræ; alicubi Terrarum videtur Eclipsis Solis totalis (§. 1034).

COROLLARIUM V.

1080. Quando denique arcus Latitudinarius fuerit major aggregato ex Semidiametro Disci & Semidiametro Umbræ, vel eidem æqualis, minor tamen aggregato ex Semidiametro Disci atque Penumbræ; nullibi Terrarum Eclipsis Solis totalis est (§. 1074), sed alicubi Terrarum nonnisi partialis (§. 1078).

COROLLARIUM.

1081. Quoniam tam Umbra, quam Penumbra per superficiem Terræ ab Occasu in Ortum movet; in omnibus illis locis, per quæ Umbra incedit, Eclipsis Solis totalis est, in ceteris, per quæ Penumbra serpit, partialis est. Sed quia Umbra & Penumbra non omnia loca, quæ in alterutram incident, eodem tempore involvunt; Eclipsis quoque non omnibus in locis, in quibus videtur, eodem temporis momento incipit ac definit, nec totalis, ubi datur, obscuratio eodem momento accedit.

PROBLEMA CVII.

1082. Terminos Eclipspium Terrestrium definire.

RESOLUTIO.

Eadem est quæ superius in Sole & Luna (§. 995.), nisi quod hic arcus Latitudinarius inter centra TC sumitur æqualis Semidiametriis apparentibus Disci atque Penumbræ, cum ultra distantiam à Nodo, quæ eidem respondet, nulla Eclipsis alicubi Terrarum videri possit.

PROBLEMA CVIII.

1083. Invenire arcum Latitudinarium TC, una cum arcu CO, ad momentum Copulae.

RESOLUTIO.

Cum in momento Copulae Centrum Penumbræ sit in O ex datis in Δ TCO ad O rectangulo, quod ob arcus exiguo TC & TO pro rectilineo haberi potest, detur Latitudo Lunæ TO in Copula & angulus TOC (§. 1067); reperientur latera TC & CO (§. 36. Trigon.).

PROBLEMA CIX.

1084. Date arcu CO, distantia maxima obscurationis in C à Copula in O; invenire tempus obscurationis maxima.

RESOLUTIO.

1. Quoniam in momento, quo Copula contingit, centrum Penumbræ est in O, quando vero obscuratio maxima, in C; ex motu Lunæ à Sole horario invento (§. 968), queratur tempus, quo centrum Penumbræ arcum CO percurrit.
2. Hoc tempus à momento Copulae subducatur, vel eidem addatur ut supra (§. 971): ita prodibit tempus obscurationis maxima.

PROBLEMA CX.

1085. *Dato arcu Latitudinario TC & Semidiametris apparentibus Disci TI a que Penumbra HI; invenire tempus dimidiæ obscurationis una cum initio ac fine Eclipsis universalis.*

RESOLUTIO.

1. Datis in Triangulo TCH ad C rectangulo Hypothenusâ TH, æqualis aggregato ex Semidiametris apparentibus Penumbræ & Disci, atque arcu Latitudinario TC, invenitur portio viæ Penumbræ CH, quam centrum Penumbræ à momento dimidiæ obscurationis usque ad finem Eclipseos describit (§. 36 Trig.).
2. Ex motu Lunæ à Sole horario inventari tempus, quo centrum Penumbræ rectam CH percurrit: quod erit tempus dimidiæ durationis.
3. Hoc tempus ad momentum Conjunctionis addatur, ita prodit Eclipseis initium, hoc est, momentum, quo alicubi Terrarum Sol videtur Eclipsari (§. 1075).
4. Idem à momento conjunctionis subtractatur, ita relinquitur finis Eclipseis, hoc est, momentum, quo nullus amplius in Terra locus est, ubi Sol Eclipsari videtur (§. cit.).

THEOREMA XLIII.

1086. *Elevatio Poli super Disco Terra est æqualis Declinationi Solis.*

DEMONSTRATIO.

Quoniam enim Sol imminet centro Disci Telluris T, per quod transit planum Eclipticæ, eundem secans in EL; arcus inter Solem & horizontem interceptus est quadrans seu 90° . Est vero

Wolfi Oper. Mathem. Tom. III.

etiam arcus inter Polum & Äquatorem interceptus quadrans (§. 49). Quamobrem si utrinque auferas arcum inter Solem & Polum interceptum; relinquentur utrinque arcus æquales (§. 91 Arithm.). Enimvero qui inter Solem & Äquatorem intercipitur arcus, Declinatio Solis est (§. 76); qui vero inter Polum & Horizontem interjacet; elevatio Poli (§. 99.73). Patet itaque Elevationem Poli super Disco Terra esse Declinationi Solis æqualem. Q.e.d.

DEFINITIO XCVI.

1087. *Meridianus universalis TQ appellatur, qui transit per Solem centro T imminentem, seu Zenith ipsius Disci & Polum P (§. 72).*

COROLLARIUM.

1088. Quoniam Discus Terra respectu Telluris tanquam immotus spectatur, Terra vero motu vertiginis convertitur ab Occasu versus Ortum, alia aliaque continuo loca ad Meridianum universalem deferuntur, & in iis locis dato momento meridies est, qui sub eodem constituuntur; in eo autem Sol verticalis est, qui in centro Disci ex Luna appetet.

PROBLEMA CXI.

1089. *Data distantia Polorum Eclipticæ & Declinatione Solis; invenire positionem Meridiani universalis TQ super Disco Terra.*

RESOLUTIO.

Ex centro Disci Terra erigatur Eclipsei EL perpendicularis TR; erit in R Polus Eclipticæ (§. 25. Spher.) Sit Polus Äquatoris seu mundi in P; erit RP distantia Polorum Eclipticæ & Äquatoris, quæ per Observations datur

B b b

(§.

Tab.
XV.
Fig.
113.

Tab. XV. (§. 179) & angulus ad P rectus quia RP distantia. Et quia elevatio Poli PQ est Declinationi Solis æqualis (§. 1086), 113. quæ datur per hypoth. ideo in Triangulo RPQ invenitur ex datis cruribus RP & PQ Hypothenusæ RQ (§. 120 Spher.): quæ cum sit mensura anguli RTQ; hoc ipso positio Meridiani universalis TQ super Disco Terræ innotescit.

PROBLEMA CXII.

1090. Determinare locum, cui Sol dato momento est Verticalis.

RESOLUTIO.

Ostendemus in *Geographia* loca Telluris per Longitudinem & Latitudinem determinari, quarum illa est distantia à quodam Meridiano tanquam primo asumto versus Occasum secundum Äquatorem; hæc vero Declinationi Stellarum in Astronomicis respondet. Itaque

1. Quæratur ad datum tempus locus Solis (§. 720) & ejus Declinatio (§. 198), quæ erit Latitudini loci æqualis.
2. Tempus à meridie convertatur in gradus Äquatoris (§. 212), ita prodibit arcus Äquatoris inter Meridianum datum, in quo tempus numeratur, & Meridianum loci, cui Sol isto momento verticalis est, interceptus. Atque ita patet, cuinam Terræ loco, momento isto, Sol sit verticalis.

COROLLARIUM.

1091. Quoniam Solis Centrum, toto Eclipseos tempore, centro Disci T immnere supponitur; patet quomodo deter-

minentur loca, quæ ab initio Eclipseos Terræ usque ad finem ejusdem à centro Disci repræsentantur.

PROBLEMA CXIII.

1092. Determinare loca Terra, quibus Sol oritur & occidit, in principio ac fine Eclipseos Terrestris.

RESOLUTIO.

Quoniam Sol oritur in aliquo loco, quando vertigine Telluris in Peripheriam Disci Terræ defertur (§. 1013), Eclipsis vero Terræ incipit, quando Peripheria Penumbræ Peripheriam Disci primum contingit (§. 1075); in principio Eclipseos Terrestris Sol oritur eo in loco, qui est in contactu I Penumbræ atque Disci Terræ. Quamobrem per ea, quæ ad Problema præcedens dicta sunt, non alia re opus est, quam ut loci I Longitudo & Latitudo determinetur.

1. Demittatur ex T ad viam Penumbræ HM perpendicularis TC: in \triangle TCH ad Rectangulo, datur arcus Latitudinarius TC (§. 1083) & recta TH composita ex Semidiametro Disci TI & Semidiametro Penumbræ HI (§. 1015. 1056), invenitur angulus HTC (§. 38 Trig.); cui si addatur angulus CTP (in alio casu subtrahendus, quod pro re nata per se patet), prodibit angulus ITQ; consequenter arcus IQ innotescit.

2. In \triangle IQP in superficie Sphærica Telluris Sphærico & ad Q rectangulo, dantur latera QP (§. 1086) & IQ vi nu. I. adeoque reperitur IP complementum Latitudinis loci I ad quadrantem (§. 119 Sphæric.), quæ adeo innotescit, si arcum IP ex 90° subducas.

3. In

- ab. 3. In eodem Δ IQP ex iisdem datis reperitur angulus IPQ (§. 117. *Spher.*), cuius complementum ad duos rectos IPT est mensura distantiae Meridianorum loci I & alterius, ubi Sol verticalis est.
4. Quæratur igitur locus cui Sol verticalis est (§. 1090): cuius adeo Longitudine cognita, innotescet quoque Longitudo loci I, consequenter cum jam Longitudo & Latitudo ejusdem nota sit, in superficie Terræ Sphærica determinatus est.
5. Quodsi jam assumas Punctum contactus Penumbrae ac Disci in fine Eclipseos Terrestris, eodem prorsus modo determinatur locus, cui Sol in fine Eclipseos occidit.

PROBLEMA CXIV.

1093. Determinare locum Terra, ubi Sol totus Eclipsatus oritur, vel occidit.

RESOLUTIO.

Quodsi in I fuerit contactus Umbræ & Disci Terræ; evidens est, in I esse locum, ubi Sol totus Eclipsatus oritur. Et similiter si in O fuerit contactus Umbræ & Disci Terræ; patet in O esse locum, ubi Sol totus Eclipsatus occidit. Quamobrem cum cetera omnia eadem maneant, quemadmodum in Problemate præcedente, nisi quod HI hic sit Semidiameter Umbræ, quæ ibidem erat Semidiameter Penumbrae, Problema præsens eodem prorsus modo resolvitur, quo præcedens.

PROBLEMA CXV.

1094. Determinare locum Terra ad quem dato quolibet momento ante vel

post Eclipseos medium, centrum Penumbrae pervenit.

RESOLUTIO.

1. Dato motu Lunæ horario à Sole investigetur pars viæ Penumbrae GC, quam centrum Penumbrae tempore à medio Eclipseos dato describit. Ita enim dabitur Punctum G, cuius Longitudo & Latitudo investiganda, ut constet, quinam sit ille locus Terræ, in quo tunc centrum Penumbrae & Umbræ, si qua datur, hæret.
2. Datis itaque arcu Latitudinario TC (§. 1083) & portione viæ Penumbrae GC, in Δ rectilineo ad C rectangulo invenitur GTC (§. 38 *Trig.*) & latus TG (§. 36 *Trigon.*).
3. Addatur (vel si res ita ferat, dematur) angulus CTP ex superioribus notus (§. 1083. 1089) modo invento GTC, ut prodeat angulus GIP.
4. Quodsi Semidiameter Disci Terræ sumatur pro Sinu toto, erit GT Sinus Circuli Verticalis, qui transit per Solem centro T imminentem & per Zenith loci G. Quamobrem si inferatur: ut Semidiameter Disci TE ad rectam TG, ita Sinus totus ad Simum distantia Solis à vertice. Ita enim hæc ipsa distantia reperitur.
5. Jam in Triangulo Sphærico in superficie Terræ GTP datur PT distantia Solis à Polo, quæ complemento Declinationis ejusdem æqualis, TG distantia ejusdem à vertice loci dati G modo inventa, & angulus GTP paucio ante repertus. Invenietur itaque angulus GTP & GP distantia loci à Polo P (§. 165. 163. *Spher.*).

Bbbb 2

6. Quodsi

Tab.
XV.
Fig.
113.

6. Quodsi ergo GP ex quadrante auferas, relinquitur distantia loci G ab Äquatore, seu Latitudo ejusdem.
7. Et quia angulus GPT est differentia Meridianorum loci G, ad quod pervenit centrum Umbræ, & loci, ubi Sol verticalis est; Longitudo autem loci, ubi Sol verticalis est, inventari potest (§. 1090); igitur dato angulo GPT datur etiam loci G Longitudo.

PROBLEMA CXVI.

1095. Viam Umbræ atque Penumbræ in superficie Globi Terrestris, vel Mappa quadam Geographica delineare.

RESOLUTIO.

1. Querantur plura loca, ad quæ ante vel post medium Eclipseos pervenit centrum Umbræ vel Penumbræ (§. 1094), una cum locis ubi Eclipseis incipit & finitur (§. 1092. 1093): ita enim via, quam in superficie Terræ, centrum Umbræ percurrit, designari poterit.
2. Quodsi jam in distantia Semidiametrorum Umbræ atque Penumbræ ducantur eidem utrinque parallelæ; totum prodibit superficie Terrestris spatum, quod tam Umbræ, quam Penumbræ successive involvitur.

THEOREMA XLIV.

1096. Pars Diametri Solis loco intra Penumbram dato à Luna tecta, est ad Diametrum Solis integrum, ut distantia loci à margine Penumbra ad Latitudinem penumbrae.

DEMONSTRATIO.

Sit Latitudo Penumbræ GH, locus intra Penumbram datus M; erit ejus à

mrgine distantia MG. Ducatur ex M recta MN, quæ Lunam contingat & Diametro Solis in N occurrat. Patet, in M partem Diametri Solaris AN tegi. Quoniam NM Lunam tangit non procul à punto E, ubi Radii AG & BH eandem contingunt; Punctum contactus E pro eodem haberi potest. Erunt itaque anguli HEG & AEB, itemque AEN & MEG inter se æquales (§. 156. Geom.), cumque latitudo Penumbræ HG sit Diametro Solis AB parallela, etiam HGE = EAB (§. 233. Geom.). Est itaque EG : EA = GH : AB = GM : AN (§. 267. Geom. & 167. Arithm.). Quamobrem GH : GM = AB : AN (§. 173. Arithm.) vel invertendo AN : AB = GM : GH (§. 169. Arithm.). Q. e. d.

COROLLARIUM.

1097. Data ratione partis tectæ AN ad integrum Diametrum AB, si Diameter concipiatur in 12 digitos divisa, tanquam as in suas partes; inventari jam porro poterit, quot digitis dato in loco M Sol obscuretur (§. 302. Arithm.).

SCHOLION.

1098. Hactenus dicta sufficiunt, ut intelligatur, quomodo Eclipseum Terrestrialium calculus institui possit, qui Eclipseum Solarium calculus universalis est. Ut vero porro intelligatur, quomodo inde calculus specialis pro loco quodam dato deducatur, sequentia addere luet.

PROBLEMA CXVII.

1099. Ad datum tempus, invenire distantiam loci dati M à centro Penumbrae K.

RESOLUTIO.

Sit EL Ecliptica, NQ via Penumbræ. Erigatur ex centro Disci T recta

TR

Tab.
XV.
Fig.
114.Tab.
XV.
Fig.
115.

- b. TR ad Eclipticam perpendicularis; erit
 i. in O centrum Penumbræ in momento
 g. veræ Copulæ & TO, Latitudo Lunæ
 5. vera eodem momento & KO distantia
 centri Penumbræ à vera Copula. Sit
 denique in P Polus. Itaque
1. In Triangulo rectilineo TKO cum
 dentur latera KO & TO, ac præte-
 rea angulus TOK, quem Circulus
 Latitudinis cum via Penumbræ effi-
 cit (§. 1089.), reperietur angulus
 OTK (§. 40. *Trigon.*). & inde porro
 latus TK (§. 36. *Trig.*).
 2. Porro in Triangulo PTM, quod in
 superficie Terræ Sphæricum, dan-
 tur latera PT complementum De-
 clineationis Solis & PM complemen-
 tum Latitudinis loci & angulus TPM,
 quem Circulus horarius efficit cum
 Meridiano. Invenitur ergo distantia
 Solis à Vertice arcus TM (§. 163.
Trigon. Sphær.), cuius Sinus æqua-
 lis est rectæ TM, sumta Semidia-
 metro disci TR pro Sinu toto, at-
 que angulus PTM (§. 165. *Sphær.*).
 3. Jam cum angulus PTR ex positione
 Meridiani universalis in Disco no-
 tus sit (§. 1089.), si in præsente ca-
 su ab angulo PTM subtrahatur PTO,
 relinquetur angulus OTM, qui an-
 gulo KTO n. 1. invento additus
 prodit angulum KTM.
 4. Datis jam, in Triangulo rectilineo
 KTM, lateribus KT (*num. 1.*) & TM
 (*num. 2.*), una cum angulo inter-
 cepto KTM (*num. 3.*), reperitur tan-
 dem KM distantia loci dati M à
 centro Penumbræ K dato tempore
 (§. 40. 36. *Trig.*).

COROLLARIUM.

1100. Quodsi à distantia loci dati M à centro Penumbræ K Semidiametrum Pe-
 numbræ subtrahas, relinquetur distantia
 marginis Penumbræ à dato loco tempore
 dato.

PROBLEMA CXVIII.

1101. *Invenire initium & finem
 Eclipseos in dato loco.*

RESOLUTIO.

1. Quæratur ad duo tempora, quæ ho-
 ræ intervallo à se invicem diffident,
 distantia centri Penumbræ à loco
 dato (§. 1099.) & inde porro distan-
 tia marginis Penumbræ à dato loco.
2. Quoniam in utroque casu margo Pe-
 numbræ est loco Occidentalior; dif-
 ferentia distantiarum modo reperta-
 rum erit accessus marginis Penum-
 bræ intra horam unam.
3. Quamobrem si fiat: ut accessus ho-
 rarius marginis Penumbræ ad dis-
 tantiam hujus marginis à loco dato
 tempore primo, ita scrupula secun-
 da unius horæ ad intervallum tém-
 poris inter tempus primum assum-
 tum & initium Eclipseos intercedens.
4. Quodsi tempus modo inventum ad-
 das tempori primo, quo distantia
 marginis Penumbræ à loco dato fuit
 computata; prodibit tempus, quo
 Eclipseis Solis in dato loco incipit.
5. Non absimili modo finem Eclipseos
 reperire licet.

SCHOLION.

1102 *Plura de Calculo speciali jam non
 addimus, cum in superioribus jam commu-
 nem methodum computandi Eclipsees pro dato
 loco tradiderimus. Cel. DE LA HIRE in
 Tabulis Methodum istam explicat & Cl. Bo-*

SIUS (a) exemplo luculento eandem quoad singulas partes illustrat. Si locum datum in Discum Terræ projicere velis absque Calculi molestia, ope Scalæ eum in finem paratæ Eclipseos quantitatem, initium, finem & tempus maximæ obscurationis definire licet, quemadmodum docet JOHANNES KEIL (b).

OBSERVATIO LXVI.

1103. Luna fere semper eandem sui faciem nobis ostendit, nisi quod partes quædam in Limbo Occidentali quodam temporis intervallo nunc in conspectum veniant, nunc eidem sese subducant.

DEFINITIO XCVII.

1104. Motus iste Lunæ, quo in Limbo Occidentali nunc partes quædam ante visa occultantur, nunc aliæ, quæ occultatæ fuerunt, iterum reteguntur, Motus Librationis dici solet.

SCHOLION.

1105. Phænomena hujus motus studio obseruavit HEVELIUS & prolixam de eodem Epistolam ad R. P. RICCIOLUM perscripsit, quam Astronomiæ sua Reformatæ (c) totam inseruit.

THEOREMA XLV.

1106. Si Luna interea temporis, dum Orbitam suam peragrat, motu æquabili circa Axem convolvitur, motu Libratorio cieri videtur, cuius duæ Periodi intra unam Lunæ Revolutionem seu mensem Periodicum absolvuntur.

DEMONSTRATIO.

Sit ALP Orbita Lunæ Elliptica, cuius Centrum in C, Focus, in quo Terra hæret, in T, Apogæum in A, Perigæum in P. Patet, si Luna fuerit in suo Apogæo, Meridianum ED per cen-

trum Terræ T transire & Lunam faciem FEG Terræ obvertere. Quodsi motus vertiginis esset nullus & Luna in Orbita sua motu æquabili incederet; cum Diameter ED sibi continuo maneat parallela, ubi quadrantem AL absolvit, erit punctum D in G & E in F, adeoque Diameter in FG ipsi Lineæ Apsidum AP parallela. Movetur autem Diameter ED ob motum vertiginis Lunæ motu angulari circa Centrum & ob motum huncce æquabilem quartæ parte mensis Periodici angulum rectum emetitur. Quare si in Orbita sua motu æquabili incederet, Punctum E jam esset in I & D in K, adeoque eadem Meridiani Diameter ad centrum C tenderet, consequenter Luna Spectatori in Centro C constituto eandem semper sui faciem obverteret. Enimvero quando Luna pervenit in L, tempus, quo ex Apogæo A ad Punctum L pervenit, est ut Area Ellipseos LTA (§. 822. 633), quæ quartæ Ellipseos parte LCA major, adeoque majus quartæ parte mensis Periodici. Punctum igitur E ultra I promotum, quod ipsi E in Apogæo respondebat. Quamobrem in L jam in conspectum veniunt partes, quæ Luna in Apogæo versante inconspicuae erant. Dum vero Luna in Perigæum pervenit, si nullus esset motus vertiginis, punctum D jam foret in O & E in R, consequenter Telluri in T partem sui aversam jam obverteret. Sed quia motu vertiginis æquabili circumvertitur & diuidio mensis Periodici spatio Orbita diuidia describitur (§. §. cit.), Diameter Meridiani ED integrum Semicirculum absolvit,

(a) In Commentatione in Eclipse Terræ 1733. d. 13 Maii.

(b) In Introduct. ad veram Astronom. Lect. 14. p. 163. & seqq.

(c) Lib. III. C. 12. f. 169. & seqq.

absolvit, atque adeo in O denuo constituitur Punctum E & in R Punctum D, quemadmodum in Apogæo, sicque partes; quæ in F in conspectum productæ fuerant, eidem rursus eripiuntur & Luna eandem sui faciem Telluri in T obvertit, quæ in Apogæo eidem obvertebatur. Patet itaque si Luna motu vertiginis convertitur menstruo spatio, quo Orbitam suam Ellipticam percurrit, eam motu Librationis cieri debere (§. 1103). *Quod erat unum.*

Jam vero non minus liquet, quæ de Luna ab Apogæo usque ad Perigæum mota ostensa fuere, eadem quoque ad eandem applicari posse, dum à Perigæo ad Apogæum restituitur. Librationis igitur Periodi dux, intervallo unius mensis Periodici absolvuntur. *Quod erat alterum.*

COROLLARIUM.

1107. Quoniam de Sole (§. 422.) & plerisque Planetis primariis constat (§. 496), quod motu vertiginis gaudeant; naturæ ordini conveniens videbatur, Lunam quoque circa Axem suum converti. Quamobrem cum Experientia constet, eidem motu Librationis convenire (1103. 1104.), motus vero Librationis oriatur ex motu Revolutionis inæquabili in Orbita & motu æquabili vertiginis mensis Periodici intervallo absoluto (§. 1106.); quin Luna motu vertiginis moveatur & motus hic æqualis sit motui Revolutionis in Orbita dubitandum non est.

SCHOLION.

1108. *Nostrum jam non est pluribus edocere, quomodo Phænomena Librationis particularia per motum vertiginis Lunæ motui Revolutionis æqualem demonstrentur. Discussio enim prolixior est, quam ut eandem ferat præsens institutum.*

C A P U T I X.

De Stellis fixis, & novis, atque Cometis.

THEOREMA XLVI.

1109. *Stellæ fixæ sunt Terra nostra majores.*

DEMONSTRATIO.

Sint dux Stellæ C & D, quarum una videatur in Horizonte ortivo, altera in occiduo; C autem ipsi D Diametraliter opposita. Quam primum Stella D pervenit in C, Stellæ C apparet in D. Sed cum eadem celeritate utraque moveatur, dum Stella C arcum CHD describit, Stellæ D per arcum ipsi CDH æqualem incedens erit in F. Quare si Stellæ C & D sunt Terra minores, nondum videbitur in

Horizonte ortivo Stella D, dum altera C Tab. XI. ad occiduum pervenit; quod cum Experi- Fig. 92. rientiæ repugnet, necesse est Stellas in L & S constitutas & à Spectatoribus A & Buna integras vias, esse Terra AB majores. Q. e. d.

THEOREMA XLVII.

1110. *Fixæ ultra Saturni Sphæram à Tellure distant.*

DEMONSTRATIO.

Fixæ à Saturno Terricolis tegi possunt (§. 542): est ergo Saturnus Terricolis propior Fixis adeoque Fixæ ultra Saturni Sphæram à Tellure distant. Q. e. d.

OBSERVATIO LXVII.

III. *Stella Fixa, prima licet magnitudinis, etiam per Telescopia exquisita spectata, veluti Puncta lucentia sine omni visibili magnitudine resplendent, ipso HUGENIO (a) observante.*

SCHOLION.

III. Deficiunt adeo data ad magnitudinem Fixarum accurate estimandam.

OBSERVATIO LXVIII.

III. Per Telescopia Stella longe plures quam nudo oculo conspicuntur. Ita GALILEUS (b) in Pleiadibus 36 Stellas nudo oculo inconspicuas notavit, in Ense & Cingulo Orionis 80, in Nebulosa Capitis Orionis 21, in Nebulosa Praesepis 36 numeravit. RHEITA (c) in Sidere Orionis 2000 duxit, in Pleiadibus ultra 188. Quemadmodum autem Stellarum Nebulosae non sunt nisi Stellarum minutarum conglomeratio; ita similiter integra Via Lattea innumera rum Stellarum congeries deprehenditur. Cum HUGENIUS A 1656 Stellam medium in Ense Orionis per Tubam inspiceret; pro una 12 sese ipsi obtulerunt. Ex his tres pene inter se contiguae una cum 4 aliis velut trans nebulan lucebant, ita ut spatium circa ipsas multo illustrius appareret reliquo omni Cælo: quod cum apprime serenum esset ac cerneretur nigerrimum, velut hiatu quodam interruptum videbatur, per quem in plagam magis lucidam esset prospec-

(a) In Cosmthero Lib. II. p. 717 & seqq. Oper. Var. Tom. 2.

(b) In Nuncio sidereo p. 31. 32.

(c) In Oculo Enochii atque Elii Lib. IV. C. 1. membro 7. f. 197.

tus. Et mirum sane hoc Phænomenon constans in Cælo deprehendit (d).

COROLLARIUM I.

III. Non adeo credibile est Fixas omnes eidem superficie inhærente.

COROLLARIUM II.

III. Unde porro probabile fit, Fixas alias aliis minores apparere, quia longius à Terra distant, non quod revera minores sint.

PROBLEMA CXIX.

III. Invenire distantiam Fixarum à terra.

RESOLUTIO.

Quodsi Parallaxis Fixarum annua duorum ad summum scrupulorum secundorum (§. 608) omni dubio careret, haud difficulter earum à Terra distantia definiretur. Sit enim AD Semidiameter orbis anni, Sirius in R, Tellus in A; erit angulus Parallacticus ARD unius circiter scrupuli secundi, adeoque AD ad AR, ut Sinus unius secundi ad Sinum totum (§. 2. Trigon.) hoc est, per Canonem PITISCI ut 48481 ad 1000000000 seu fere ut 1 ad 206262. Quare cum AD sit 22000 (§. 906), reperietur AR = 4537764000. Tanta nimis est distantia Fixarum propriorum, admissa Parallaxi Solis CASSINIANA & Parallaxi Fixarum annua duorum scrupulorum secundorum.

Aliter.

CHRISTIANUS HUGENIUS pro summa, qua pollebat, Ingenii vi, Methodum conjecturalem excogitavit (e) rationem distantiae Fixarum ad distantiam Solis investigandi: Nimis.

I. Tu-

(d) In Systemate Saturn. p. 8.

(e) In Cosmthero Lib. II. p. 717. & seqq. Oper. Var. Vol. 2.

1. Tubi vacui 12 circiter pedes longi aperturam alteram occlusit Lamella tenuissima, in cuius medio tam exiguum erat foramen, ut linea pars tem duodecimam non superaret, & Oculo alteri aperturæ admoto particula Solis cerneretur, cuius Diameter ad totius Diametrum erat ut 1 ad 182.
2. Cum ea particula multo clarior adhuc appareret, quam noctu *Sirius*, foraminis globulum vitreum ejusdem cum ipso Diametri objecit & con teste undique capite per Tubum in Solem intuens non minorem ejus claritatem quam *Sirii* deprehendit.
3. Quoniam itaque tum Diametrum Solis $\frac{1}{152}$ ejus particulæ centesimæ octogesimæ secundæ, quam per foramen exiguum prius conspexerat, deprehendebat (§. 256 *Dioptr.*); ducatis in se $\frac{1}{152}$ in $\frac{1}{182}$ diametrum Solis reperit $\frac{1}{27664}$ ejus, quam nudo oculo in Cœlo contuemur.
4. Quia hinc constabat, Solem apparaturum instar *Sirii*, si eousque contrahatur ejus Diameter, ut nonnisi $\frac{1}{27664}$ ejus amplius videatur; evidens erat distantiam Solis à Terra tum fore ad præsentem, ut 27664 ad 1 (§. 212 *Optic.*), & Diameter apparens, quam nunc intuemur, divisa per 27664 prodebat Diametrum Solis in tanta distantia 4 scrupulis tertii paulo majorem.
5. Cum denique mox ostensuri simus, probabile esse, quod *Sirius* Sole non minor existat; *Sirii* quoque distantia à Terra ad distantiam Solis

ad eadem concluditur ut 27664 ad 1 & Diameter apparens 4 circiter scrupulorum tertiorum.

6. Quodsi ergo distantia Solis à Terra fuerit 34377 Semidiametrorum Terrestrium (§. 904); erit distantia Fixarum 951005328 Semidiametrorum terrestrium. Si vero eam cum CASSINO ponas 22000 Semidiametrorum Terrestrium (§. 905); erit distantia proxima Fixarum 608608000 Semidiametrorum Terrestrium.

COROLLARIUM.

1117. Cum distantia media *Saturni* à Terra sit 326894 Semidiametrorum Terrestrium (§. 904); si distantia priori 4537764000 utaris, spatium inter *Saturnum* & Fixas erit 4537437106; si posterior magis arriserit: idem deprehendetur 950678434 Semidiametrorum Terrestrium: quod posteriori spatium nimis forsan enome videri poterat. Quodsi distantiam medianam *Saturni* cum CASSINO facias 210000 Semidiametrorum Terrestrium; erit in casu primo spatium inter *Saturnum* & Fixas 4537554000, in posteriori 608398000 Semidiametrorum Terrestrium.

SCHOLION.

1118. Quamvis autem desint principia satis firma, unde distantia Fixarum à Terra satis tuto concludi possit; illud tamen dubio caret, quod vastum admodum spatium inter *Saturnum* & Fixas intercedat: alias enim Parallaxis Orbis anni foret sensibilis admodum, quæ tamen aut nulla, aut certe valde exigua deprehenditur. Facile id experieris, si distantiam Fixarum AR in Triangulo ARD non multo majorem distantia Saturni assumas & inde angulum ARD inveſigares.

Tab.
X.

Fig. 93.

THEOREMA XLVIII.

1119. Fixæ fulgent proprio Lumine.

DEMONSTRATIO.

Longius enim à Sole distant *Saturno* (§. 1110) ipsoque minores multo apparet (§. 1113). Cum tamen, hoc non obstante, multo clarius fulgeant *Saturno*, ita ut ipsorum Lumen non immunitatur, quemadmodum Planetarum, ubi per Telescopia conspicuntur; à Sole Lumen mutuari nequeunt. Quoniam itaque præter Solem non aliud in Cœlo comparet Corpus Lucidum, unde Lumen ipsorum derivari possit; necesse est ut proprio Lumine fulgeant. *Q. e. d.*

COROLLARIUM I.

1120. Sunt adeo Fixæ totidem Soles.

COROLLARIUM II.

1121. Sole igitur nostro non minores esse probabile existit.

COROLLARIUM III.

1122. Unde porro colligitur, circa quamlibet Fixam moveri perinde ac circa Solem nostrum Planetas sive Tellures, hoc est, Corpora Opaca, quæ Lumine ipsarum illustrantur, calefunt & fœcundantur.

SCHOLION.

1123. En vastitatem Universi, quæ omnes imaginandi vires longe excedit. Utrum vero infinitum sit, nec ne; ego non definivero. KEPLERUS equidem (a) negat, circa quamlibet Fixam dari Systema Planetarium nostro simile (quod afferuerat JORDANUS BRUNNUS) quia duplo aut triplo longius distantes duplo aut triplo minores apparere deberent, positis earum magnitudinibus aequalibus, atque ita Stelle paucissimæ & in maxima magnitudinum differentia viderentur. Enimvero

(a) In Epit. Astron. Lib. I. p. 35. & seqq.

non modo HUGENIUS jam notavit (b) ignes & flamas ex iis distantiis videri, unde alia corpora sub aquæ exiguis angulis comprehensa evanescunt, propter Luminis scilicet intensitatem; verum etiam mihi videtur Theorema Opticum de Diametrīs Objectorum apparentibus earum ab Oculo distantiis reciproce proportionatis tantum locum habere, quamdiu Diameter Objecti ad ejus distantiam rationem non nimis magnam habet. Notandum præterea etiam in vicinia Objecta minuta videri sub iis angulis, si fuerint Luminosa vel fortiter illuminata, sub quibus obscuriora evanescunt.

OBSERVATIO LXIX.

1124. Inter Fixas quædam comparent, quæ certas apparitionis & disparitionis Periodos amant. Pertinet hac Stella in Collo Ceti, quam Miram appellat HEVELIUS a BAYERO pro Stella semper apparente habita, sed a JOHANNE PHOCYLIDE Holwardo A. 1638 pro nova agnita & A. 1640 peculiari Libello descripta. Evanescens observavit A. 1639 circa septuagesimam, & septima Decembribus eodem precise loco ac situ, quo ante Annūm conspecta fuerat, redeuntem, A. 1641 d. 23 Sept. post alteram disparitionem reversam vidi FULLENIUS, Annis subsequentibus 1647 & 1648 eandem Stellam observavit JUNGIIUS, ab anno 1648 litteris JUNGII ad EICHSTADIUM datis excitatus HEVELIUS (c). Aliam ipsi similem in Collo Cygni detectum KIRCHIUS (d) litera x notata & inter Stellas apparitionis constantis relata, quæ Periodum admodum regularem 404 $\frac{1}{2}$ dierum observat. Illud autem notatum:

(b) In Cosmograph. Lib. II. p. m. 110.

(c) Vid. Historiola Stellaræ Miræ, quam Mercurio in Sole viso subjunxit Hevelius.

(d) Miscell. Berolin. p. 208. & seqq.

tatu dignum est, Stellarum istarum magnitudinem sub initium apparitionis crescere, sub finem vero decrescere, & per Tubos adhuc videri, quando nudis oculis non amplius apparent. Alias istiusmodi Stellarum Observationes reperire licet in Transaktionibus Anglicanis (a).

COROLLARIUM.

1125. Has Stellas esse è numero Planetarym, qui circa Fixas tanquam Soles suos Periodos suas absolvunt, probabile foret (§. 1122), modo concipi posset, quo modo Corpora Lumine mutuatitio splendescientia in tanta distantia videri possint.

SCHOLION.

1126. Vir acumine singulari prædictus Cel. DE MAUPERTUIS (b) demonstravit, vi motus vertiginis Astrorum fieri posse, ut inducant figuram Disceam, ac inde rationem reddit, cur nunc appareant, nunc iterum dispareant.

OBSERVATIO LXX.

1127. Observantur quoque nonnunquam Stella temporaneæ, quæ, ubi dispaeruerunt, non amplius redire videntur. Talem circa A. 125 ante Christum natum observavit HIPPARCHUS, ansam inde arripiens loca Fixarum determinandi, ut posteris constaret, an Stella abiarent nascerenturve (c). Eminet inter illas Stella nova, que ab A. 1572 usque ad A. 1574 in Cathedra Cassiopeæ effulsi eidem toto apparitionis tempore loco veluti affixa. Figura erat prorsus rotunda, qualis reliquas Stellas ornat: magnitudo initio major, postea successive, decrescebat. Mense nimirum Novembri A. 1572, quo primum conspecta, Vene-

rem Perigæam, per Decembrem Jovem Acronychium emulabatur, interdiu conspicua. Mense Januario anni sequentis Stellaris fixis prima magnitudinis paulo major cernebatur, ad quam mense Februario & Martio accedebat. Aprili & Maio ad Fixas secundi honoris accedebat, successive ita decrescens per Junium, ut in Julio & Augusto Stellaris tertiae magnitudinis par esset. Per Septembrem magis magisque extenuata Octobri & Novembri quartas in ordine representabat; in fine vero anni ejusdem & Januario sequentis quintas; in Februario sextas: donec tandem mense Martio ob exilitatem suam conspectui se prorsus ciperet. Color non minus variabilis erat, quam magnitudo. Ab initio enim albicanti, claro splendentique Lumine, gratoque & jucundo vultu Veneri atque Jovi assimilabatur: circa initium verni temporis nitiens jubar in Martiam quandam rutilantium degenerabat, ita ut instar Aldebaran (seu Oculi Tauri) rubesceret. Mense Mayo albedinem quandam sublividam induebat, qualis Saturni esse solet: quam usque ad finem apparitionis retinuit, successive tamen obtusiorem factam. Ad ultimum usque evanescentia terminum scintillabat (d).

SCHOLION.

1128. De natura Stellarum novirum nihil asserere audeo: quamvis enim suspicer, eas in Cometarum numerum referendas esse, qui in Systematis Planetarym superioribus circa Soles suos, hoc est Fixas, feruntur, nondum tamen adsunt rationes ad idem persuadendum sufficietes

Cccc 2

OBSER-

(a) Vide J. Lowthorp. in Epit. Transact. Vol. I. p. 247. &c seqq.

(b) Discours sur les Differentes figures des Astres p. 77. &c seqq.

(c) Vid. Plinius Lib. II. C. 26. Hist. natur.

(d) Vid. Tycho de Brahe Progymnas. Lib. I. C. 3. p. m. 309. &c seqq.

OBSERVATIO LXXI.

1129. Notatu digniores sunt Observationes MONTANAR I atque CASSINI (a) quorum ille disparuisse notavit Fixas constantis alias apparitionis; hic novas similes ante in Cœlo non vissas detexit.

SCHOLION.

1130. Optandum sane foret, ut, qui Observationibus rerum Cœlestium incumbunt, ad istiusmodi mutationes diligentius attenderent, ut tandem certo constaret Corporum Mundi totalium ortus & interitus.

DEFINITIO XCVIII.

1131. Cometae sunt Stellæ plerumque caudatæ, subito in Cœlo exortæ & per aliquod tempus apparentes, postea rursus dispartentes, toto autem apparitionis tempore Planetarum instar in propriis Orbitis dictim certo intervallo promoveri solitæ.

PROBLEMA CXIX.

1132. Cometae in Cœlo apparentis Longitudinem & Latitudinem determinare.

RESOLUTIO.

1. Observetur distantia Cometæ à duabus Stellis Fixis notæ Longitudinis & Latitudinis (§. 225.).
2. Inde per calculum Trigonometricum eruatur Cometæ Longitudo & Latitudo, prout ostendimus supra Probl. 27: (§. 740.).

Aliter.

Quodsi sine Instrumentorum apparatu locum Cometæ admodum accurate determinare voluerimus, utendum est Methodo ingeniosa per Extensionem filarem à LONGOMONTANO (b) adhibita. Nimirum.

1. Filum extensum aut Regula oculo ita-

(a) In Transact. Anglic. N. 73 p. 2201. 2202.

(b) Sphaeric. Lib. II. Probl. 5. f. 117. Astron. Dan.

objiciatur, ut Cometa (aut quod- Tab. cunque aliud Phænomenon cœleste) K cum duabus Stellis fixis Fig. 94. nota Longitudinis ac Latitudinis E & G in eadem recta appareat.

2. Situs Regulæ vel Fili ita mutetur, ut idem Cometa K cum duabus Fixis aliis H & F in eadem recta appareat, quarum itidem Longitudo ac Latitudo ex Fixarum Catalogo (§. 244.) nota est.
3. Sint jam A & C poli Eclipticæ, BO Ecliptica, erit AE complementum Latitudinis BE Stellæ E (§. 236. 240.), AG aggregatum ex quadrante AD & Latitudine DG Stellæ G (§. cit.) & BD mensura anguli BAD (§. 25. 31. Sphaeric.) longitudinum Stellarum B & G differentia (§. 241.). Datis adeo in Triangulo EAG duobus lateribus AE & AG cum angulo intercepto A inventur latus EG (§. 163. Sphaeric.) & angulus EGA (§. 165. Sphaer.).
4. Porro cum angulus ad D sit rectus (§. 237.) & angulus LGD modo repertus, DG vero Latitudo Stellæ G, reperietur in Triangulo LGD angulus GLD (§. 121. Sphaer.) & latus DL (§. 124. Sphaer.).
5. Similiter in Triangulo FHC erit FC complementum Latitudinis FM Stellaræ F (§. 236. 240.), HC aggregatum ex quadrante CI & Latitudine HI Stellaræ H (§. cit.), MI vero mensura anguli FCH (§. 25. 31. Sphaer.) differentia Longitudinum Stellarum F & H (§. 241.). Datis adeo in Triangulo FCH duobus lateribus FC & CH

- X.
4. CH cum angulo comprehenso FCH
invenitur latus FH (§. 163. *Sphær.*)
& angulus HFC (§. 165. *Spheric.*):
quo dato, datur etiam HFA (§. 43.
Spheric.).
6. Porro, cum angulus ad M sit rectus
(§. 237), angulus MFN seu HFA
modo repertus, FM vero Latitudo
Stellæ F (§. 236. 240); reperietur in
Triangulo FMN angulus MNF (§.
121. *Sphær.*) & latus MN (§. 124.
Sphær.).
7. Addantur latera DL & MN ante in-
venta & aggregatum subtrahatur ex
DM differentia longitudinum Stellæ
rum F & G (§. 241) ut relinquatur
NL.
8. Datis jam in Triangulo NKL latere
NL & angulis adjacentibus N & L,
suis quippe verticalibus MNF & GLD
ante repertis æqualibus (§. 43.
Sphær.), reperietur latus NK (§.
161. *Sphær.*).
9. Denique datis in Triangulo KNP ad
P rectangulo latere KN & angulo
N., invenitur latus KP (§. 116.
Sphær.), quod est Cometæ Latitu-
do (§. 236) & latus NP (§. 127.
Spheric.), quod ipsi MN supra in-
vento additum, efficit arcum MP
ulterius Longitudini Stellæ F adden-
dum, ut prodeat Longitudo Come-
tæ P.

Exemplum LONGOMONTANUS exhibit
in Marte, quem A. 1610 d. 10 Decembris
hor. 9 vespertina observavit in recta cum
Lucida Arietis H & posteriore in *Dorso Ceti* F, itemque in alia recta cum extre-
ma *Ala Pegasi* E & ea, quæ est in *Cuspidenarium Ceti* G. Prima Stella apud BAYERUM
littera α , secunda littera π , tertia littera

γ , quarta denique littera λ , notatur. Fuit Tab.
tum

Longitudo	Latitudo	Fig. 94.
Stellæ α $2^{\circ} 14'$ γ	$9^{\circ} 57'$ B.	
" $6 20 \gamma$	$16 55$ A.	
$7 3 46 \gamma$	$12 35$ B.	
$\lambda 9 39 \gamma$	$7 50$ A.	

Calculo rite instituto reperitur Longitudo
Martis ad tempus Observationis $23^{\circ} 59'$
 γ , Latitudo vero ejus Borealis $1^{\circ} 12'$.

S C H O L I O N.

1133. Non absimili modo calculus insi-
titur, si Stellæ omnes fuerint Boreales, vel
Australes, nisi quod Schema paulo aliter sit
describendum. Exemplum dedit MOESTLINUS
in Demonstratione Astronomicali loci Stellæ novæ
in Cassiopæa (a).

C O R O L L A R I U M.

1134. Cognita Longitudine ac Latitu-
dine Cometæ reperitur ejus Ascensio recta
& Declinatio (§. 260).

P R O B L E M A CXX.

1135. Data Cometæ Longitudine &
Latitudine una cum Longitudine Solis;
invenire ejus à Sole distanciam.

R E S O L U T I O.

Cum in Triangulo CIS ad I rectan-
gulo (§. 237) detur Latitudo Cometæ
CI & differentia Longitudinum IS Tab.
Solis S & Cometæ C; invenietur distan-
cia Cometæ à Sole CS (§. 120. *Sphær.*). Fig. 95..

E. gr. HEVELIUS (c) A. 1652 d. 20 Dec.
hor. 7 vespertina reperit Longitudinem:
Cometæ tunc fulgentis $68^{\circ} 24' 24''$, Latitu-
dinem $30^{\circ} 49' 1''$. Sed Longitudo Solis:
ex ejus calculo tunc erat $269^{\circ} 39' 12''$,
quæ ex illa integro circulo aucta subducta:
relinquit IS $158^{\circ} 45' 12''$. Est itaque

Cccc 3

Log.

(a) p. 31. Legitur etiam apud Tychonem Pro-
gymnaſium Lib. I. p. 515.

(b) Cometogr. Lib. I. Sect. 8. f. 80.

Tab.	Log. Cosin. IS	99694293
XI.	IC	99338961
Fig. 95.	Log. Cosin. CS	99033254, cui in Tabulis respondent $53^{\circ} 10' 18''$.
		Est ergo CS $143^{\circ} 10' 18''$.

PROBLEMA CXXI.

1136. Datis Longitudinibus H & I atque Latitudinibus CH & KI Cometæ ad duos dies se invicem immediate sequentes; invenire arcum KC, quem Cometæ motu diurno proprio descripsit.

RESOLUTIO.

Tab.	Quoniam in Triangulo KMC datur
XI.	angulus cognominis, quem nempe me-
Fig. 96.	titur arcus IH Longitudinum differentia (§. 31. Sphæric.), una cum lateribus KM & CM, quæ Latitudinum KI & CH complementa existunt; reperietur arcus KC (§. 163. Sphær.).

E. gr. HEVELIUS observavit A. 1653 d. 2 Jan. h. 6. vesp. $27^{\circ} 50''$ Longitudinem H Cometæ tunc temporis fulgentis $20^{\circ} 28' 8''$, Latitudinem Borealem CH $27^{\circ} 9'$; sed d. 3 Jan. h. 6. vesp. $47^{\circ} 30''$ Longitudinem I $20^{\circ} 10' 41''$, latitudinem IK $29^{\circ} 2' 40''$; erit IH $17^{\circ} 19''$, KM $60^{\circ} 57' 20''$, CM $62^{\circ} 50'$. Demisso itaque perpendiculo KF erit

Log. Cos. M	199999945
Cot. MK	97445460
Tang. MF	102554485, cui
in Tabulis respondent	$60^{\circ} 57' 18''$
Sed MC	62 49 60
Ergo FC	1 52 42
Quare porro	
Log. Cos. MK	96861784
Log. FC	99997665
	196859449
Log. Cos. MF	96861860
Log. Cos. CK	99997589, cui
in Tabulis respondent	$88^{\circ} 5' 10''$,
Est ergo CK	$8^{\circ} 54' 50''$.

Quodsi Latitudo altera fuerit Australis CH, altera Borealis GN, latus GM est aggregatum ex Latitudine GN & quadrante NM; arcus vero GC reperitur protus ut ante.

SCHOLION.

1137. Praestat Observationes pluribus diebus à se invicem distantes assumere, & motum iis competentem indagare, siquidem Cometæ motum distinctius cognoscere libuerit.

PROBLEMA CXXII.

1138. Datis duabus Cometæ & Longitudinibus H & I, una cum Latitudinibus respondentibus KI & CH; invenire Nodum O Orbitæ Cometæ & angulum ad Nodium COH.

RESOLUTIO.

- Datis in Triangulo MCK lateribus MC & MK una cum angulo intercepto M quem nempe metitur Longitudinum datarum differentia HI (§. 31. Sphæric.), inveniatur angulus MKC (§. 165. Sphæric.), qui ex 180° subductus relinquit angulum OKI (§. 43. Sphæric.).
- Datis adeo porro in Triangulo OKI ad I rectangulo (§. 237) Latitudine IK & angulo OKI modo invento, reperitur angulus IOK (§. 121. Sphær.) & arcus OI (§. 124. Sphær.) quo Longitudini I addito, habetur Nodi O distantia à o v.

SCHOLION.

1139. Non absimili modo ex datis duabus Ascensionibus rectis & Declinationibus motus Cometæ proprius, Inclinatio Orbitæ ejus ad Äquatorem & Punctum, in quo ea Äquatorem intersecat, invenitur.

PROBLEMA CXXIII.

1140. *Investigare tempus, quo Cometa per Eclipticam trajecit; dato ejus motu ad singulos dies apparitionis, una cum Latitudine IK ad tempus primaæ apparitionis, ejus Longitudine I ad idem tempus & distantia Nodi O ab oꝝ.*

RESOLUTIO.

1. A loco Nodi O subtrahatur Longitudo Cometæ I, ut relinquatur arcus OI.
2. Datis adeo in Triangulo KOI ad I rectangulo (§. 237) lateribus KI & OI, invenitur arcus KO (§. 120. *Spheric.*), quem à primo apparitionis die usque ad Eclipticam emetiri debuit Cometa.
3. Arcus KO inventus conferatur cum arcibus ab initio apparitionis ad datum usque aliquod momentum singularum dierum, descriptis, qui per Problema 119 (§. 1136) jam supputati supponuntur: ita enim innoscit tempus quasitum, adhibita, si quidem opus fuerit, uti in Astronomia moris est, parte proportionali.

SCHOLION.

1141. *Non absimili modo investigatur tempus, quo Cometa Äquatorem transit.*

PROBLEMA CXXIV.

1142. *Viam Cometæ in Globo designare.*

RESOLUTIO.

1. Observetur per Extensionem filarem Cometæ A cum Fixis C & B, itemque cum duabus aliis D & E in eadem recta, quemadmodum supra præcepimus (§. 1132).
2. In superficie Globi Cœlestis, quo

Stellæ quatuor B, C, D, E depictæ sunt, à Stella B usque ad alteram C, & à Stella D usque ad Stellam E extendatur aliquod Filum: ubi enim bina hæc Fila se se mutuo intersecant, ibi erit ad tempus datum locus Cometæ.

3. Quodsi ad plures dies loca Cometæ hoc paſto determinentur, via ejusdem in superficie Globi Cœlestis delineabitur.

COROLLARIUM I.

1142. Quodsi loca Stellarum in superficie Globi accurate fuerint designata & in locis Cometæ designandis omnem adhibueris diligentiam, Filum duobus locis applicatum transibit etiā per cetera omnia, sicque innoscit ea esse in Peripheria Circuli maximi, consequenter Cometam ex Terra in Peripheria Circuli maximi moveri videri.

COROLLARIUM II.

1143. Quodsi adeo Filum per duo loca transiens extendatur, donec Eclipticam & Äquatorem intersecet; patebit locus Nodi & Inclinatio Orbitæ Cometæ, simili que Punctum Äquatoris, per quod transit aut transiturus est.

SCHOLION.

1144. *Nemo non videt, per Extensionem filarem etiam locum Planetæ ad datum tempus in superficie Globi delineari posse.*

PROBLEMA CXXV.

1145. *Datis Ascensione recta Solis & ejus à Meridiano elongatione, atque Declinatione & Ascensione recta Cometæ veris; invenire Parallaxin altitudinis Cometæ.*

RESOLUTIO.

1. Observetur altitudo Cometæ quadrante exactissime diviso, summa, qua fieri potest, cum cura.

2. Ad.

2. Ad idem tempus ex datis supputetur altitudo vera (§. 300).
3. Altitudo visa à vera subtrahatur: quod relinquitur, est Parallaxis quæsita (§. 367).

E. gr. D. 24 Decemb. h. 1. $44' 15''$ mat. HEVELIUS Dantisci observavit altitudinem Cometæ A. 1652 $30^\circ 53'$. Juxta eundem tum erat Alcensio recta Solis $273^\circ 16' 42''$, ejus elongatio à Meridiano $206^\circ 3' 45''$, Ascensio recta Cometæ $56^\circ 49' 44''$, Declinatio ejus $19^\circ 0' 4''$. Reperitur adeo altitudo vera $31^\circ 15' 11''$, unde subducta visa $30^\circ 53'$, relinquitur Parallaxis $22' 11''$.

S C H O L I O N .

1146. Operosius multo TYCHO DE BRAHE ex distantia eruit Parallaxin (a). Enimvero methodis hisce nihil efficitur, nisi Parallaxis fuerit scrupulo primo major. Si subtilius exquirenda, utendum est methodo CASSINIANA superius exposita (§. 897).

C O R O L L A R I U M .

1147. Data altitudine Cometæ & ejus Parallaxi invenitur distantia à Terra in Semidiametris Terrestribus (§. 888).

P R O B L E M A C X X V I .

1148. Invenire utrum Cometa habeat Parallaxin sensibilem nec ne.

R E S O L U T I O .

1. Quoniam motus Cometæ circa finem apparitionis fit adeo tardus, ut intra aliquot horarum intervallum pro immoto haberi possit; per Extensionem filarem exploretur cum quibusnam Fixis vertici proximus sit in eadem recta.
2. Ubihorizonti occiduo appropinquat, exploretur denuo per Extensionem filarem, num adhuc cum iisdem Stellis in eadem recta deprehenda-

tur. Quodsi enim eundem habeat ad Fixas easdem situm prope Horizontem, quem tenet in loco altiori; Parallaxis sensibilis in Cometa, perinde ac in Fixis (§. 384), nulla erit.

Patet Cometam quoque cum Fixis in eadem recta observari posse prope Horizontem ortivum & prope verticem, prout occasio tulerit.

S C H O L I O N .

1149. Hoc pacto etiam exploratur, num Planetæ habeant Parallaxin sensibilem, si eo tempore fiat Observatio, quo stationarii deprehenduntur.

P R O B L E M A C X X V I I .

1150. Determinare distantiam TR, ultra quam Cometa aut aliud Phenomenon in Äquatore positum à Centro Terræ Fig. 4 removeri debet, ut datum tempus super Horizonte apparente HR consumat.

R E S O L U T I O .

1. Tempus dimidiæ moræ super Horizonte apparente HR convertatur in gradus & scrupula Äquatoris (§. 212), ut habeatur arcus VR, consequenter angulus HTR (§. 57 Geom.).
2. Datis jam in Triangulo HIR ad H rectangulo, latere TH seu Terræ Semidiametro, quæ fit 1, vel per ea, quæ in Geographia ostendentur, 860 milliarium Germanicorum, & angulo HTR modo invento, reperiatur TR (§. 36. Trig.).

E. gr. Sit tempus dimidiæ moræ super Horizonte 5 h. $57'$, seu tempus moræ integræ 11 h. $50'$, erit VR seu HTR $88^\circ 45'$, adeoque

Log. Sin. R	83387529
TH	29344984
Sin. tot.	10000000
Log. TR	45937455, cui in magnō Canone BRIGGII respondent 39423.

Est

(a) Progymnasm. Lib. II. p. 106. & seqq.

ab. Est igitur TR 39423 milliarium Germanicorum seu 46 fere Semidiametrorum .44. Terrestrium. Quodsi mora super Horizonte dimidia ponatur 5 h. 57' 30'', seu integra 11 h. 55', erit VR 89° 22' 30''; unde TR reperitur 91 Semidiametrorum Terrestrium, adeoque Lunæ distantia à Terra major (§. 906).

OBSERVATIO LXXII.

1151. HEVELIUS (a) observavit, Cometam A. 1652 d. 26 Dec. cum duabus Stellulis in Pede Persei una ortum esse & occidisse, adeoque per 17 horas supra Horizontem extitisse. Et similis mora Cometarum aliorum super Horizonte ab aliis annotata est.

COROLLARIUM.

1152. Fieri adeo nequit, ut Cometæ in Aëre nostro commorentur, sed ingenti admodum intervallo à centro Terræ remoti sint opus est, immo cum inter moram Fixarum & Cometarum super Horizonte nulla differentia sensibilis intercedat, ultra Lunam à Terra distare debent (§. 379).

SCHOLION.

1153. Absurda igitur est Aristotelicorum Hypothesis de Cometarum exhalationibus è Terra in Atmospharam elevatis ortu.

OBSERVATIO LXXIII.

1154. Idem HEVELIUS (b) eodem die hor. 6. circiter vespertina Cometam in eadem fere linea recta cum duabus fixis in Pede Persei notavit, non tamen aquatili omnino spatio ab invicem remota, distantia nimirum inter Cometam & Calcaneum Persei 1° 45', inter Calcaneum & sequentem sinistri pedis 2° 10' existente. Eodem die h. 16' vesp. BULLIALDUS Parisiis in eadem recta linea vidit ambas sinistri pedis Persei & Cometam Calcaneo

Wolffii Oper. Mathem. Tom. III.

(a) Cometogr. Lib. III. f. 151.

(b) Loc. cit. f. 154.

quam alteri propiorem & ipso Borealiorem & Occidentaliorem, satisque diu Cometam in hoc positu persistisse deprehendit, ita ut circa hor. 9. non multum rectam istam lineam superquerit. Immo hoc ipsum plane Phænomenon eodem die etiam Regiomonti, Hafniæ, Monasterii, Lugduni Batavorum, Bruxellis, Boniæ in Provincia Galliæ alibique observatum esse, HEVELIUS autor est. Similiter A. 1577. d. 16 Novembr. eandem Cometæ à Vulture in Circulo Verticali distantiam observavit Uraniburgi TYCHO; Pragæ autem HAGECIUS (c).

COROLLARIUM.

1155. Cum Luna Parallaxin admodum sensibilem habeat (§. 892), Cometa autem tunc temporis Parallaxi sensibili fere destitutus fuerit (1154.368); dubio sane caret, quod ultra regionem Lunæ à Terra distiterit.

SCHOLION.

1156. Idem sane manifestum est, ex comparatione Parallaxium Lunæ atque Cometæ (§. 1146).

OBSERVATIO LXXIV.

1157. Cometarum motus proprius omni tempore, quo accuratius in eundem inquisiverunt Astronomi, admodum regularis deprehensus: prout Observationes TYCHONIS (d), HEVELII (e), CASSINI (f) aliorumque abunde loquuntur. Quodsi cum CASSINO motus Cometarum, qui diversis temporibus apparuerunt, proprios inter se conferre libuerit; mira inter veteres & recentiores observabitur convenientia. E. gr. Cometa A. 1680 iisdem propositis legibus motus, quas Cometa

Ddd d

A.

(c) Tychonis Progymnasm. Lib. II. C. 6. p. 24.

(d) Progymnasm. Lib. II. p. 86.

(e) Cometogr. Lib. II. f. 105. & seqq.

(f) In Libello de Cometis.

A. 1577 TYCHONI observatus respexit. Uterque nimirum sub initium apparitionis motu diurno 4° $16'$ versus Orientem gavisus est: eadem in utriusque motu nontantur decrementa, cumque prior evanesceret, minuta nonnisi 16 , posterior in eodem statu 18 per diem confidere visus est. Uterque Eclipticam circa 21° + intersecavit & sub eodem fere angulo, cum Äquatore angulum 33° effecit & prope trecentesimum à \textcircled{O} \textcircled{V} gradum per cum trajecit. Uterque sub iisdem plane Siellis fixis incessit. Eadem fere semita fuit Cometarum annorum 1665, 1672 & 1677: immo omnium Cometarum notatur quasi aliquis Zodiacus, cujus Constellationes CASSINUS his versiculis comprehendit: Antinous, Pegasusque, Andromeda, Taurus, Orion, Procyon atque Hydrus, Centaurus, Scorpius, Arcus.

Nec id negligi debet, quod, cum Cometa Anni 1680 & 1681 nudis Oculis non amplius appareret, per Telescopium tamen videri adhuc potuerit & quidem facilius per Telescopium 4 pedum. quam per alind excellentius 20 pedum, ipsoque Jove major apparuerit.

COROLLARIUM.

1158. Cum Cometæ adeo regularem obseruant motum; Corpora Mundo coeva esse yidentur, quæ in Orbitis valde eccentricis feruntur, adeoque non yidentur, nisi quando noctu circa Perihelium versantur.

SCHOLION.

1159. Atque hinc apparet, quod vastum illud spatiū inter Saturnum atque Fixas interjectum (§. 1117), non sit prorsus inane; sed motibus Cometarum locum concedat.

OBSERVATIO LXXV.

1160. Inprimis vero notatu dignum

est, quemadmodum annotavit NEWTONUS (a), Cometas secundum ordinem Signorum progredientes sub exitu apparitionis omnes esse aut solito tardiores, aut retrogrados, si Terra est inter ipsos & Solem; at justo celeriores, si Terra vergit ad Oppositionem: & contra, qui pergunt contra ordinem Signorum esse justo celeriores in fine apparitionis, si Terra versatur inter ipsos & Solem, & justo tardiores vel retrogrados, si Terra sita est ad partes contrarias.

COROLLARIUM.

1161. Quoniam Planetæ eodem modo retrogradi cernuntur (§. 562) ob motum Telluris annum circa Solem (§. 585.587); & præterea motus eorundem proprius ex eadem causa inæqualitati obnoxius est (§. 775); Cometas in regione Planetarum versari, dum conspectui nostro sese sistunt, palam est.

SCHOLION.

1162. Inæqualitas ista in Planetis dicitur Parallaxis Orbis anni (§. 776), cum revera sit Parallaxis, quæ in motum ipsorum redundat ob motum annum Telluris circa Solem. Atque adeo patet ob Parallaxin Orbis anni, quam patiuntur Cometæ, Fixæ non item (§. 608), innotuisse eorum in regionem Planetarum descensum.

LEMMA VI.

1163. Si in Ellipsi centrum à Foco interalloc infinito removeatur; portio, cuius abscissa finita est, in Parabolam degenerat.

DEMONSTRATIO.

Sit Axis transversus Ellipsis = a , Parameter = b ; erit distantia Foci à centro = $\sqrt{(\frac{1}{4}a^2 - \frac{1}{4}ab)}$ (§. 482 Anat.). Quamobrem cum hæc sit infinita per Hypoth. erit

(a) In Princip. Phil. Nat. Mathem. Tom 3. Lem. 4. p. 478. Edit. nov.

erit $\frac{1}{4} a^2 - \frac{1}{4} ab = \infty^2$, seu quadratum hujus distantiae erit infinites infinitum, consequenter si eandem dividat per quantitatem infinitam $\frac{1}{4} a$ ex hypoth. erit $a - b = \infty$, & hinc b respectu ipsius a infinite parva. Jam in Ellipsi $y^2 = bx - bx^2 : a$ (§. 425. *Analys.*) Quamobrem cum x , quæ abscissam denotat, sit quantitas finita per hypoth. erit $b x^2 : a$ quantitas infinite parva, adcoque respectu ipsius $bx = o$ (§. 3. *Analys. infin.*). Est itaque in casu præsente $y^2 = bx$: quæ cum sit æquatio ad Parabolam (§. 388. *Analys.*); portio Ellipsoes, quamdiu abscissa finita est, in Parabolam degenerat. Q. e. d.

HYPOTHESIS IV.

1164. *Cometa moventur in Orbitis Ellipticis valde eccentricis, circa Solem, qui in earum Foco uno existit, ea lege, ut Radius vector verrat Areas temporis à Perihelio proportionales.*

COROLLARIUM.

1165. Quoniam Orbita Cometarum admodum eccentrica (§. 1158), & portio, quam describunt, quamdiu apparent, valde exigua, cum nonnisi exiguo temporis spatio conspicui sint; Orbita ipsorum tempore apparitionis in Parabolam degenerat (§. 1164).

SCHOLION.

1166. KEPLERUS *Trajectoriam Cometarum, hoc est, lineam in qua incedunt, esse Lineam rectam statuit* (a) & in *Trajectoria rectilinea ex quibusdam locis observatis locum Cometæ per calculum eruere docuit* CASSINUS. *Enin vero agnovit jam HEVELIUS* (b), *Trajectoriam rectilineam non omnino satisfacere Phænomenis & in Linea Parabolica Come-*

(a) *Vid. Libri tres de Cometis*

(b) *Cometograph. Lib. IX. f. 659.*

tas universos moveri sibi persuasit. Cum anno 1680 ingens ille Cometa exoriretur, DOERFFELIUS, Vir rerum Astronomicarum peritissimus, ex Observationibus loca Cometæ in Orbita Parabolica repræsentavit, in cuius Foco est Sol, observatis Legibus Keplerianis. Scriptum patrio idiomate editum paucis plagulis constat. Mox vero Vir summus NEWTONUS (c) idem accuratius demonstravit & HALLEIUS (d) docuit, quomodo loca Cometa per calculum in Orbita Parabolica institutum erui possint. Nimirum quemadmodum de Orbitarum Ellipticarum veritate constat ex consensu Calculi cum Observationibus; ita quoque de Cometarum Orbitis Parabolicis ex eodem consensu certi reddimur. Tanto minus igitur nunc dubitari potest, Cometas esse Corporum Mundi totallium peculiare quoddam genus instar Planatarum, cum eadem lege circa Solem moveantur, quemadmodum Planetæ.

OBSERVATIO LXXVI.

1167. *Per Telescopia si spectantur Cometarum capita, longe aliam sui faciem exhibent quam Fixæ atque Planetæ. Sane Cel. STURMIUS (e) fatetur, se Telescopium primum in Cometam anni 1680, deinde in Venerem ac vicinam Jovem & in Aquilæ Lyraque Lucidas dirigentem, pruna obscurius cudenti, aut massa interminata tristi ac fumido quasi Lumine, in medio paulo magis, ad extrema minus, collustrata potius, quam Stella disco rotundo ac vivida luce corruscanti similem vidisse. HEVELIUS (f) de Cometa A. 1661. sequentia anno-*

Dddd 2 ravit.

(c) In Princip. Phil. Nat. Math. Lib. III. Prop. 40. & seqq. p. 485. & seqq.

(d) In Synopsi Astron. Comet. quæ legitur in Transact. Anglic. n. 1683. p. 218. & Actis Erud. A. 1707. p. 297.

(e) In Dissert. de Nat. Comet. C. H. Phæn. 12. p. 124. Tom. 2. Phil. Eleæ.

(f) Cometogr. Lib. VII. f. 317.

tavit. D. 3 Febr. Caput subflavi coloris, clarum & conspicuum, nullo tamen vibranti præditum erat Lumine. In meditullio unum densum & subrufum referebat nucleus, ipsi Jovi propemodum aequalē: quem autem materia longe dilutior & tenuior cingebat. D. 5 Febr. Caput aliquanto majus & clarius aurei coloris; Lumen tristius, quam reliquarum Stellarum apparebat. At vero nucleus ille unicus in diversas partes jam dissectus erat. Die 6 Febr. Cometa eundem fere adhuc referebat colorem, non dissimilem ei, paulo tamen obtusorem, quēm Stella in Humero Aquilæ alias exhibet. Discus ex parte decreverat; nuclei autem plerique etiam minores existebant: quorum aliis in parte disci inferiori ad sinistram præ reliquis omnibus multo densior clariorque corpore rotundo, instar lucidissimæ alicujus Stellule extitit: quos nucleos alia materia, ut semper, omnino circumdabat. D. 7. Febr. Caput à priore facie paululum recedebat, sic ut nucleus iste clarior non adeo jam esset conspicuus: interea tamen fere adhuc ejusdem erat coloris & magnitudinis. D. 10 Febr. Caput jam aliquanto obscurius atque nuclei confusiores; in parte tamen inferiori clariores, quam in superiori: cuius alias magnitudo quoad nucleos pene erat eadem. D. 13 Febr. caput mulsum decreverat, tam ratione magnitudinis, quam claritatis. D. 17 Febr. Cometa conspicua adhuc erat magnitudinis, etiam Luna splendente. Nuclei siquidem propemodum Diametrum Veneris equabant; etiam ratione Luminis & coloris fere eandem speciem, nisi quod ali-

quanto turbidum & hebetudine languidum exhiberet. D. 20 Febr. totus Cometa ob Lunæ splendorēm; una cum nucleis & materia circumstante pallidior & languidior videbatur. D. 2 Mart. satis adhuc conspicuus, magnitudine aliquot minutorum in Diametro; non tamen omnino rotundus, adhac circumcirca laceratus & dispersus existebat. D. 10 Mart. eandem fere præ se ferebat magnitudinem, nisi quod totum corpus cum nucleis obtusius tristiusque existeret. D. 28 Martii Cometa pallidissimus & tenuissimus, maxime vero ratione materia erat valde dispersus, ut nulli omnino nuclei discrete animadverterentur, quamquam magnitudo ejus parum decreverat. ERHARDUS WEIGELIUS, cui Cometam A. 1664 una cum Luna & nubecula aliqua à Sole illuminata simul contueri datum est, advertit (a), quod Luna per Tubum conspecta continuam exhibeat superficiem luminosam, Cometa vero non item, nubecula in vicinia Horizonis à Sole adhuc illuminata simillimus.

COROLLARIUM.

1168. Patet adeo, Cometas proprio Lumine desitui, & hinc à Sole illustrari: id quod etiam inde confirmatur, quod dum à Terra recedunt ad Solem, decrecente Diametro augeatur splendor.

SCHOLION.

1169. Ex iisdem observationibus HEVELIUS aliquique concludunt, Cometas ad instar macularum Solis, quibus nempe simillimi (§.411), ex ejus exhalationibus ceu fuliginibus crescere

(a) Vid. Die Fortsetzung des Himmels-Spiegels; Cap. II. §. 1. p. 96.

crescere, KEPLERO (a) calculum adjuvantes, qui Cometas in Aethere instar Piscium in Oceano magno numero gigni statuit, et si non omnes in oculum incéprant, vel quid minores, vel quia interdiu super Horizonte existunt. Quamvis autem hæc Hypothesis probabilitate sua non destituatur, præsertim si Observationes Hevelianæ fuerint satis accurate; rationes tamen superius allatae faciunt, ut in eorum sententiam magis propendeam, qui Cometas Corpora Mondo cœrvæ esse statuunt; præsertim postquam vir summus NEWTONUS (b) ostendit, Cometam A. 1680 in transitu suo per viciniam Solis statim dissipari debuisse, si ex Solis & Planetarum exhalationibus constitisset. Si Cælum nobis in posterum aliquot adhuc Cometas spectandos exhibuerit; nullus dubito fore, ut tandem certiora de eorum natura tradantur.

OBSERVATIO LXXVII.

1170. CASSINUS autor est, Cometas Annorum 1665 & 1680, cum 22 & 23 gradibus à Sole tantum distarent, pleno orbe fulsisse.

COROLLARIUM.

1171. Cum adeo à Sole illuminentur (§. 1168); evidens est, Cometas annorum 1665 & 1680 supra Solem extitisse.

(a) In ausführlichen Berichte von den Cometen des 1607en Jahres.

(b) In Princip. Phil. Natur. Lib. III. Prop. 41. p. 508. Edit. nov.

OBSERVATIO LXXVIII.

1172. Caudæ Cometarum semper præsidiuntur in partem à Sole aversam, et si TYCHO in Cometa A. 1577 & HEVELIUS in Cometa A. 1652 aliquam inclinationem calculo scrupulosus subdacto, notaverint. Longitudo Caudarum in uno Cometa diversis temporibus variā. Sane Cometa, qui A. 1680 apparuit, cauda circa 20 Nov. observante STURMIO (c) gracilis satis & ad summum 20 gradus longa, mox stupenda plusquam 60 graduum longitudine per aliquot noctes conspicua fuit, deinceps autem indies fere magis magisque decrevit. Siellas fixas per Caudas Cometarum tralacentes videbunt CYSATUS, CRUGERUS, TYCHO, KEPLERUS, SCHICKARDUS, HEVELIUS (d). Plerumque tamen Caudæ Stellas occultant.

COROLLARIUM.

1173. Patet adeo, Caudas Cometarum esse congeriem exhalationum è Capite ascendentium.

SCHOLION.

1174. Prolixius hoc adstruit NEWTONUS (e) & singularia eorum Phænomena explicat, refutatis quoque opinionibus nonnullorum oppositis.

(c) Philos. Ecclæst. Tom. 2. p. 133.

(d) Vid. Hevelii Cometogr. Lib. VIII. f. 516. §17.

(e) Loc. cit. p. 509. & seqq.

FINIS TOMI TERTII.

Tab.
XI.

ERRATA

Hæc graviora LECTOR BENEVOLUS condonabit, &
antequam Lectioni se accingat, sic corriget.

IN ELEMENTIS OPTICÆ.

Pag. Col. §°. Lign. Erratum lege

13. 2. 104. 4.	a^2	---	a^4
22. 1 — 14.	DE: DA	DE: BA.	
26. 2. 173. 3.	Dioptricis	Dioptris.	
31. 2. N°. 1. 1.	Formam	Foramen	
35. 2. — 1.	BG	AG	
63. 2. — 3. & 4.	A	B.	

IN ELEMENTIS PERSPECTIVÆ.

79. 1. 2. 3..	diregere	dirigere.
83. 2. 40. 6.	tur Punctum	tur, Punctum
"	principale V, ita	principale V ita
89. 2. N°. 5. 1.	HI	BI
ibid. linea Demonst. 2 ^{da} . Re		ke
90. 2. 65. 15.	IB	IH.
96. 2. — 8	FG	FI
ib. ad marg. Tab. VI. Fig. 37.	Tab. VI. Fig. 36	

IN ELEMENTIS CATOPTRICÆ.

134. 1. 169. 2.	Punc-	Puncto
136. 2. 185. 2.	remotior	remotior à
142. 1. — 3.	BE	BF
165. 2. ult.	$m > 1$	$m < 1$

IN ELEMENTIS DIOPTRICÆ.

175. 2. 27. 5.	Hoc	Hac
178. 1. 39. 4.	$\frac{1}{3}$ MBE	$\frac{2}{3}$ MBE
193. 2. — antep.	EB	EF
199. 2. — 6.	ut PC	ut PB ad PC
202. 1. 148. 7.	FB: FA	FB: BA.
219. 2. — 2.	CM	CN
244. 2. 376. 8.	EG	EO
263. 2. 483. 4.	$\frac{1}{2}3$	$\frac{1}{3}2$

IN ELEMENTIS SPHÆRICORUM.

306. 1. 71. 1.	Si in omni	In omni
313. 2. 100. 1.	omnia	omni

Pag. Col. §°. Lin. Erratum

317. 1. 109. 2.	Cosino	lege
330. 1. — 15.	triangulo &	Cosinu

Triangulo
CBG &

IN ELEMENTIS ASTRONOMIÆ.

358. 1. — 15	ezH	eZH
374. 1. — antepen.	43	3
382. 2. — 1.	48°	84°
386. 2. — 2.	resolutionis	resolutione
387. 1. — 2.	CO	CD
394. in margine.	Tab. III. Fig. 25.	Tab. III. Fig. 20.

395. 1. N°. 2. 3.	FD.	FA
407. 2. — 22.	SH	SG
418. 1. — 22.	Jan.	Jun.
	25.	dies
457. 2. 527. 15.	majorum nempe	majorem
	Jove	nempe Jovis
443. 1. — 4 & 5.	Deleatur, &	;
467. 1. — 13	11°.	1°.
ibid.	654. ult.	7d. 13h. 57' — 7d. 23h. 57'
556. 2. N°. 5. 1.	tamen	tandem
557. 2. — 4. à fine.	NI.	LI.
559. 1. 1072. 3.	Plumbæ	Penumbrae
1073. 4.	fuerit	ferit

Perspectivæ Tab. V. Fig. 33. Litera G signetur inferius extremum linea ex C demissæ in IM.

Tab. VI. Fig. 38. N mutetur in H. Catoptricæ Tab. III. Fig. 24. Angulus ACM signetur litera m & Angulus MPC litera r.

Tab. IV. Fig. 45. Linea abc signetur literis adb.

Astronomiæ Tab. VIII. Fig. 74. N°. 1. Circulorum interseccio altera signata est litera O : altera signetur litera N.




FIG. ASTRON. TAB. II.






Fig. 28.



N.2.



N.3.



Fig. 13.




Fig. 5.




Fig. 33.




Fig. 18.







Fig. 17.







Fig. 23.







Fig. 24.



Fig. 31.






FIG. ASTRON. TAB. IV.

Fig. 37.




Fig. 34.




Fig. 35.




Fig. 36.




Fig. 37.




Fig. 38.




Fig. 39.




Fig. 40.




Fig. 41.




Fig. 42.




Fig. 43.




FIG. ASTRON. TAB. V.




Fig. 53.



Fig. 47.



Fig. 46.





Fig. 52



Fig. 48.

Fig. 55.




Fig. 56.




Fig. 57.



Fig. 61.




Fig. 64.




Fig. 54.




Fig. 59.




Fig. 60.





FIG. ASTRON. TAB. VII.




Fig. 62.




Fig. 70.




Fig. 68.




Fig. 65.




Fig. 72.



Fig. 69.




Fig. 77.




Fig. 73.




Fig. 71.




Fig. 74. N. 2.







Fig. 87.




Fig. 82.

FIG. AST PON. TAB. IX.

Fig. 78.




Fig. 79.



Fig. 80.




Fig. 81.






Fig. 83.






FIG. ASTRON. TAB. X.

Fig. 90.




Fig. 86.





Fig. 83.




Fig. 84.




FIG. ASTRON. TAB. XI.

Fig. 91.





Fig. 93.



Cometa A. 1652. *Hevelius
observatus.*



Fig. 92.




Fig. 94.




Fig. 95.




Fig. 96.






FIG. ASTRON. TAB. XII.

Fig. 101.





Fig. 103.




Fig. 99.




Fig. 98.




Fig. 100.

Fig. 102.




FIG. ASTRON. TAB. XIII.

Fig. 107.




Fig. 104.




Fig. 105.




Fig. 106.






FIG. ASTRON. TAB. XVI.




Fig. 108.




Fig. 109.




Fig. 110.



Fig. 111.




Fig. 112.



FIG. ASTRON. TAB. XV.

Fig. n^o3.




Fig. n^o4.



Fig. n^o5.





Fig. n^o7.

